IACOBI MAZONII CAESENATIS

De triplici Hominum vita, Actiua nempè, Contemplatiua, & Religiosa Methodi tres,

QVAESTIONIBVS QVINQVE MILLIBVS, centum, & nonagintaseptem distinctae.

IN QVIBVS OMNES PLATONIS, ET ARISTOtelis, multae verò aliorum Graecorum, Arabum, & Latinorum in vniuerso scientiarum orbe discordiae componuntur.

quae omnia publicè disputanda Romae proposuit Anno salutis M. D. LXXVI.

Ad Philippum Boncompagnum S. R. E. Cardinalem amplissimum.



Approbante Sancto Inquisitionis Officio.

Caesenae Bartholomæus Rauerius excudebat.

M. D. LXXVI.

Quod in antecedenti pagina dictum est approbante Sancto Inquisitionis Officio, ita tamen intelligatur, vt nullo pacto Conclusiones pertinentes ad aeternitatem animi posint disputari.

PHILIPPO BONCOMPAGNO S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.

Iacobus Mazonius S. P. D.

XENOCRATEM, Dionemquè Illustrißime Praesul Philosophos quidẽ sed homines agrestiores, & asperiores quàm decere sapientes videretur, saepe monuit Plato Gratijs sacra diligentißimè facere, vt vrbaniores, lenioresquè redderentur. Quo exẽplo (meo quidem iudicio) excitatus PHILIPPVS SEGA Vir (vt tu omnium optimè nosti) cuius in pectore omnes sese tùm disciplinae, tùm virtutes explicarunt, ac proindè & mentis acumine, & vitae integritate cum Platone conferendus, cùm tergeminos positionum mearùm libros nullis (vt ità dicam) emblematis, nullo cultu ornatos, & tanquã sine flosculis spinosiores, ac par esset, intueretur; saepius tibi dedicandos admonuit, sperans (quemadmodum arbitror) penes te Gratiarum trium splendore gratißimo posse ità circumfundi, vt obscuriori, tristioriquè illo vultu statim mutato, clariores posthac laetioresquè intuẽtibus viderentur. Cuius praeterea voti (capta ex tempore occasione) compotem, vt me redderet, dum tu redires ab

HENRICO Francorum, ac Polonum inuictissimo Rege, apud quem pro summo Pontifice incredibili cum tua laude legatione functus es, cum (vt meministi) Caesenae ab ANSELMO Dandino Apostolicae Sedis Protonotario meritissimo opimo, Pontificioquè apparatu exceptus esses apud te maiorem meritis de me opinionem suam testatus, plus tibi pro me spopondit, quàm mea pecunia posset dependi: Quo tamen officioso mendacio eam mihi praebuit occasionem, quam oblatam dùm arripui, licuit & mihi me de humili gradū altius tollere, atquè inter supremae fortunae viros, quasi fores clientelae tuae pulsare, opusquè hoc quod tunc prae manibus habebam addicere tibi, idquè ea lege vt nunquam manumitteretur. quod postea factum cū ego statim detulissem ad ADOARDVM Gualandum Ecclesiae Caesenatis Episcopum, sub cuius iudicio omnia mea tùm scripta, tùm consilia, quasi Clipeo Palladis se ostentāt aemulis inuulnerabilia, is ea qua solet copia, varietate, facilitate, venustate tantas ipso (quod aiunt) horreo in illud congessit laudes, vt nunquàm me ità maligni fructus, incultiquè ingenij mei poeniteret, quo tamdiu detineri prouidebam, quominus tibi debitas fruges metirer, Sed iam tandem (Deo fauente) tibi promissa soluo, tardius quidē fateor, ac pollicitus fueram, sed non sine aliquo foenore,

siquidem

ſiquidem pro tribus millibus quaeſtionum tibi debitarum, qinque & eò plus mitto, non ſanè quòd illas tantae virtuti fortunaequè conuenire abitrer, aut hoc eſſe putem, quod tuae erga me humanitati debeatur: ſed potius vt tui memoria liber, tùm dignitatem, tùm authoritatem capiens magni celebritate nominis commendetur. Quemadmodum enim Pictores cum aliquid, aut altius, aut profundius, aut à ſenſibus noſtris remotius, quàm verè ſit ob oculos nobis ponere nauiter curant, id coloribus quorum tanquàm aſpectum cógregantium tardior ſit actio, velut nigro, aut affinibus depictum, albo ſeu ſplendido, qui ſanè celeriter viſum mouent, & diſijciunt vallare, ac circumſcribere ſolent. ſic & ego triplicem hunc vitarum Gerionem, multa & remota lectione, multaquè formatum opera: pluribus tamen errorum tenebris obuolutum, inſcitiaequè meae caligine infectum, quò & dicendi genere ſublimiorem, & doctrina reconditiorem, & ſenſibus abſtruſiorem quàm verè ſit hominibus ſe offerat ſpectandum Illuſtriſsimi tui nominis ſerto redimire, atquè ornare decreui. Quo ex conſilio illud etiam vtilitatis orietur, vt Bubonum, Noctuarum, omniumquè lucifugarum auium (ſic enim eos appello, qui literarum rudes dum ſine iudicio ſibi nimis plaudunt, eam temerè profitentur doctrinam, quã malignè in alijs irrident) quas operis

mei

mei amica obſcuritas ad ſui ipſius perniciem allicere poterat, imbecillis acies radijs tuis ita perſtringetur, vt ab huius operis laniatu, etiam nolentes repellantur, inuitiquè abeant aliò ſuam effuſuri rabiem. Eſt enim vobis ampliſsimis patribus datum vt quaſi maius quoddam lumen ſitis, quod de ſublimi quadam ſpecula obſcuris honeſtarum diſciplinarum profeſſoribus lumen impartiat, tutamquè viam, & hoſpitium oſtendat. Quod tibi prae caeteris cōceſſum fuiſſe non eſt quod ambigas, ſi quod tuo generi, tuo nomini, tibimetipſi, tuiſquè debes inſtitutis, id cumulatè in futurum etiam perſoluēdum exiſtimaueris. Habes nāquè patruum GREGORIVM XIII. Pont. Max. cuius egregiae virtuti, cum pontificatus diuino conſilio, & iudicio traditus, ac cōmiſſus fuerit, ſecundùm Deum, quo afflante vniuerſam Eccleſiam adminiſtrat, illius vigilantia, & ſapientia ita nititur, conſeruatur, augetur, vt illo vigilante, atquè adeo ſapientiam eximiam adhibente, tùm optatam ſperet Chriſtiana Reſpublica tranquillitatem, tùm eius ſanctiſsimi nominis memoria, nequè apud Deum ipſum ſit vnquàm intermoritura. Te verò ab eo educatum, & eruditum, ſuorumquè numero fratrum eius loco adſcriptum non indecorem tanto ſenatui, non imparem tanto faſtigio iam ſummum Cardinalium collegium recepit, in quo breuiſsimo tempore eximia

mia tua gloria bono pub. coniuncta cum, qui te ornabat honorem summoperè ornasti, vt iam appareat Pontificem non propinquitati, aut familiae: sed tibi qui familiae nomen illustrare studes honorem obtulisse. Quo quidem nomine, si locus, & tempus postularet, quemadmodum ipse mihi vehementer gaudeo, ità tibi plurimum gratularer. Verùm tu propensionem hanc animi mei satis habe, atquè interim hilari vultu suscipe quaeso quicquid hoc est mei foetus, plura, melioraquè forsitan aliquando accepturus, modò horum qualiacunquè sint primum quasi gustatum non asperneris. Vale. Caesenae Kal. Octob. M. D. LXXVI.

ILLVM Ego (candide lector) felicem iam indè à puero duxi, qui libris ocioquè literario contentus intrà fortunam viuere didicit, & quantùm potest in sese habitans, nihil extrà se ipsum suspirat, vel ambit. Proindè illud Neoptolemi, aut non esse Philosophiae studia viris attingenda, aut summis labijs ingenij potius ostentationis gratia, quàm animi cultus esse delibanda, exitiale monstrosumquè decretum semper existimaui, quamuis quidem multorum mentibus hominum, & id iampridem obrepserit, & modò tenacius haereat, quàm vt indè sapientum virorum persuasione vlla conuelli possit. Sanè cum firma, & solida felicitas in bonis, tantùm animi reperiatur: extraria verò fortunae bona, aut parum, aut nihil ad nos attineant; Quis aequo ferat animo studium sapientiae tanquàm illiberale, ac mercenarium ad illa dirigi, & eos, qui modo literis operam nauant mercaturam nō rerum scientiam exercere? Tantùm enim abest (quod ipsi dicere solent) vt sibi facilius beatam adipiscantur vitam, vt potius sub miseria duce, sub vexillis ambitionis, sub stipendijs inuidiae militent aduersus sui felicitatem. His ego à studiorum meorum initio perterritus nihil habui carius nihil omninò antiquius, quàm me totum (reclamantibus etiam parentibus, & amicis) Philosophiae tradere, ob quam & mecum habitare addiscerem, & mea contentus animi tranquillitate, nihil extra me ipsum quaererem. Hoc itaquè consilio Patauiū me contuli, vt à FEDERICO Pendasio cuius copiosissima ingenij fertilitate illa tunc temporis alebatur Academia limpidam, atquè nectaream Philosophiae crateram ebiberem. Illius itaq; doctissimis enucleationibus cum per biennium operam primariam, atquè seriosas addidissem lucernas, adeo mihi profecisse visus sum, vt ne semper ocio situq; languescerē nimis forsan audacter imitatus sim Leonum Catulos, quibus cum satis dentes vnguesq; creuerūt, aspernati matris vbera praedā sibi ipsis in syluis captant. Decreui namquè in vniuerso scientiarum orbe nonnullas colligere quaestiones, quarum publica discussione tanquàm de tabernaculi vmbraculis, ad campi puluerem

ad sudorem, & ad palum vocarer. Arbitrabar enim hunc laborem eiusmodi fore, in quem omnem Philosophiae notitiam, quam iugi pataueram lectione ità possem effundere, vt simul exercens ingenium, ingenij quoquè gratiam adipiscerer. Cumquè meminissem omnia Platonis, & Aristotelis volumina, nec penitus incuriosè, nec planè conniuentibus oculis perlustrasse pollicitus amicis saepe fui me ante secundū annum illis postremā impositurū manum. Sed alium habuit exitum caecus ille, & factiosus amor, dum sese mihi detexit supinitas mea. Porrò extitit longissimo in opere mira rerum omnium varietas, quae vbiquè suas habuit salebras, sua item cacumina, per quae non sine sudore agerem onus, suosquè quoq; descensus per quos non sine lapsus periculo facerem iter. Nequè verò ibi vllam inueni stratam viam, vbi diuersitas, atquè adeò aduersitas Platonis, & Aristotelis, Plotini, & Procli, Porphyrij, & Iamblici Alexandri, & Simplicij, Auerrois, & Auicennae, D. Thomae, Scotiquè non modo fuit indicanda, sed & tollenda, & componenda. In qua quidem re multo plus operis, laboris, temporisquè consumpsi, quàm putaram, quod nihil aliud esse videatur (quemadmodum est in prouerbio graeco) πλίνθον πλύνειν quàm varias Philosophorum contradictiones conciliare, vt non immeritò emunctae naris Philosophi hanc rem non modò ἀπολογητικήν, sed etiam ἀδύνατον arbitrati sint. Accesserunt etiam mathematica in quibus licet adhuc tirunculus, volui tamē & de numeris, tùm seiunctim, tùm vt ex illis tota sonorum scientia conflatur, de planis, de solidis, de prospectu, de astrorū cursu, progressionibus, stationibus, magnitudine, de Gnomonicis, de automatis, de paegmatis, alijsquè mechanicis nonnulla, eaquè non negligenda proponere. Ex Scholasticis etiam Theologis aliquos plenos haustus in hāc lucubrationem contuli, in quibus licet fuerim parcior, quod non decebat profanum hominem, nec natu grandem temerè de sanctissimis rebus, vel definire, vel disputare; annum tamen integrum in illis impendi magno quidem conatu, ac voto, vtinam pari successu, ob quae omnia innumeri penè libri, quos ne nomine quidem prius cognoueram, non modò fuerunt in sinu continuò gestādi; sed & vorandi etiam, & concoquendi, ac propè meum in suum, ac sanguinem conuertendi. His tàm magnis, tàm multis, tàm

tem operosis, innotuit sese mihi iuuenilem nimis priorem fuisse meam cogitationem, quae longe aliter experiendo processit, quam ipse mecum ratiocinatus, & alijs pollicitus essem: Hinc factum est vt dum alij quasi hastatos, triariosq; meos cum sollicitudine praestolantur, ego vix rorarios, accensosque centuriauerim, in hac sane re procul dubio suggillandus, & culpandus: Simonidis tamen exemplo tuendus, & excusandus, qui ab Hierone interrogatus quid qualisue Deus esset cum ad deliberandum postulasset sibi diem, postridie biduum petiuit, deincepsque saepius duplicauit numerum, quod & ipsi quoque ex diuturniori consideratione id quod promiserat, operosius ac cogitasse videretur. Nec defuerunt interim multa, quae impetum quodammodo retardarunt ingenij mei, currentique velut obstarunt, & (vt vtar Plautino verbo) remoram fecerunt, atque in primis repentinus Baptistae charissimi patris interitus, ex quo facile quisque intelligere potest, vt ea res studiorum meorum quietem concusserit eo sublato, qui mihi vnus ocia faciebat, quanta cupiebam. Hinc vt nulla vnquam calamitas venit sola, successit facultatum mearum tenuitas, ad quam, & patrimonij cum alijs fratribus inopportuna diuisio, & haec ipsa studia in ipsa illo forsan diuitiarum cōtemptu me redegerūt. Qua quidem sola re (vt vera fatear) adeo perterrui, vt tunc tandem ingressus mihi viderer viam infinitam, & impercursilē, cui nullo pacto fortuna mea sufficeret. Pertexi tamen Deo fretus, neque ille prijssimus votis defuit. Namque fortunae coelum illud mihi prius densissimis nubibus, nebulisque obtectum ijsdem discussis, atque disiectis FRANCISCO MARIA METAVRENSIVM amplissimo Duce, tanquam clarissimo Sole me suauissime recreauit, qui cum in familiae suae obsequia me retulisset, deinceps omni genere magnificentiae, atque animi magnitudine in me fuit adeo liberalis, vt iam mihi res meae non modo supra spem: verum etiam supra vota succedere inciperent. Neque mirum: is enim ille est princeps, qui modo cum paucissimis contra torrentem pessimorum morum brachia dirigit: proinde cum illi maxime liceret per fortunas, & opes in luxu, & delitijs vitam transigere: nihil tamen habet optimarū quarumque rerum scientia charius, nihil antiquius. Illud etiā in eius aula maximas mihi tulit suppetias, quod ibi sicut eius

Franciscum PANIGAROLAM de facie cognoscere, aetate quidem adhuc parua: sed qui omnes allicit lepore verborum; suspendit sententiarum grauitate, flectit orationis impetu, & viribus, trahit deniquè in admirationem copiosa, & arcana multiiugae disciplinae varietatae. Ille itaquè ob eam qua in Deum optimum maximum praeditus est pietatem, summamq; in proximum charitatem cum adeo sit inuictus, & infatigabilis, vt non aliundè magis reparare vires, quàm de laboribus ipsis videatur, licet tùm publicè Verbi Dei concionibus iugiter immoraretur, vt in aliud quidquam incumbere vix eum vnquã posse contingeret; subcisiuis tamen horis multa mihi ad ingeniquè Philosophandum adiumenta suppeditauit, in quibus forsan posteriores non vindicat sibi partes ars illa, quae imaginibus quibusdam memoriam vegetiorem, atquè adminiculatiorem reddit. Omitto praeterea quanta mihi hoc tempore sedulò, quanta officiosè fecerit RAINERIVS è Marchionibus Montis, totaquè illius familia. Prae omnibus autem FRANCISCVS MARIA Rainerij filius, iuuenis omnibus fortunae, corporis, animiquè dotibus cumulatissimus; qui multis ab hinc annis quod vegetis, vigilantibusque oculis in studijs explorauerat mecum partiri consueuit; tot, tantisquè beneficijs est me persecutus, vt si iam id agendum sit, quod & bona nomina facere solent, quibus quando non est vnde debitum reddant, saltem apud creditorem quantum debent profitentur; haec tota epistola, aliaequè permultae in hoc erunt consumendae. Horum itaq; omnium occasione in hac celeberrima curia examinaui, expendi, excussi, didiciquè permulta: Omisi tamen edendi curam, tantumquè sulcis velut intercisiuis librum nonnunquam, sicut hortum irrigaui, quòd non possem rerum aulicarum aestu non iactari, & fluctuare: Nam quemadmodum est in prouerbio saepe ferox Equus, & sternax imperitum sessorem deijcit. Certè semper male habet, vexatquè potius quàm vehat. Proindè meam cellulam, mea studia, meorum librorum oblectamenta impetrata à Principe venia tantae curiae fauoribus per aliquod tempus anteponenda duxi. Redij itaquè statim ad vitam vmbratilem, ac tùm compositis rebus, ac digesta bibliotheca caepi totus in scriptionem incumbere. Cumquè illo tempore Theologica Theoremata mihi solùm deessent, quae mihi

sanè

tinè (quòd Scholasticae Theologiae penitus essem rudis) tanquam panis frustillatim erant emendicanda, obtulit sese mihi Dei Opt. Max. munere Ioannes Lodovicus Passius à Pinarolio Theologiae consultissimus, Scoticaeque doctrinae antesignanus, quo duce veluti peregrinus sermonis expers alienas peragraui regiones, & tanquàm paruulus infans nutrice praeeunte inambulaui. Quo factum est, vt assiduis illius tùm publicis, tùm priuatis explicationibus, sicut attritu crebrius silice, paruulas saltem Theologiae scintillas videar excudisse, tantúq; flammae rapuisse fomitibus, vt in nocte caeca, & tenebrosa iam iā mihi aliquid profectò fulgoris sublucescat. Nec defuerunt interim mihi alij eruditissimi viri, quorum ego authoritate succenturiatus, doctrinaquè confirmatus ad ambiguitates tollendas, euoluenda inuoluta, scruposque diluendos aptior factus mihi videar, & id interdùm consecutus, vt iterum (quod dicitur) ad eundem lapidem non offendam. Est enim modò Caesena tanquàm honestarum disciplinarum asylum: nam & prudentissimis Iureconsultis, peritissimisquè abundat Medicis nec illi desunt viri multiiugae, multifariaequè doctrinae, inter quos duo (meo quidem iudicio) seligendi sunt, in quos omnia bona turmatim, & coaceruatim confluxisse videantur, quorum alter est Alexander Martinellus, vir quem omnis admiratura sit posteritas, cum liuor quieuerit, authoritatemquè dies lenta praescripserit: alter verò Iosephus Gottifredus, admirabili adolescens indole, si modò indolescea est appellanda, quae fructus ediderit, maturis quidem aetatibus, & doctrinae quamuis exercitatae non modò despiciendos: sed & auidissimè etiam concupiendos. Verùm vt vndè digressa erat oratio regrediatur post meum à Principe discessum eruditorum amicorum opera consilioquè adiutus, quanta maxima potui diligentia anno ferè vno quod reliquum erat absolui, venique ad has praefationes scribendas adeo lassus, & labore tanto, tàmquè vario adeo fractus, vt libros, literasquè omnes nescio quemadmodū animus auersaretur, veluti redundans stomachus cibos omnes. Quo factum est vt eo tandem fastidio liberari miserè cupiens, idquè vniuersis atquè vnicis exoptans votis, gratiam studiosorum non aequè existimauerim, ac me tandem liberatum esse illa molestia. Proindè multa in hoc opere scripta, quae mihi

nullo pacto satisfaciunt, non quòd melius tunc potuerim cum illa tumultuario quodam imperio promebam. Sed quòd nunc si mihi eadem repetenda essent, mirum est quàm videantur mihi posse, & commodius, & locupletius dici, ita tamen vt erant reliqui ne ad tàm sinuosum, & inamaenum opus amplius reuerti cogerer. In quibus omnibus nihil est quod me torqueat aequè quàm syllabarum interpunctiones in quam maximè partem me absente [redacted] negligentia carnificinam exercuit. Nam quòd stilus ipse meus sibi sit dispar, quo nomine multi quoquè me reprehenderunt, non est quod ego multum expostulem, aut vices conquaerar meas, cùm culpa haec tota facillimè nobis praestari possit, atquè condonari, quandòquidem non eadem mihi semper voluntas, nec eadem cuicunquè materiae cōgruebat oratio, nec semper ab eorumdem authorum lectione discedebam, quamobrem interdùm Scoti rudibus interdùm Tullij elaboratis pigmentis mea fuit quasi coloranda oratio. Pugnātia verò quae in hoc opere interdùm reperiuntur ne quaeso quemquam deturbent: profiteor enim saepius me vtramquè contradictionis partem defensurum. Quo ad reliqua verò attinet ità viuat, legatur, placeat, & prosit opus si fauerit genius, sin aduersetur concidat, & intereat. Illud tantum antequàm finē scribendi faciam dixisse velim me in omnibus meis scriptis S. R. E. lituras (si opus fuerit) vehementer exoptare. errare namquè & ego facillimè ac saepius, ab ea verò Dei gratia fultus nunquàm desciscere potui.

nullo pacto satisfaciunt, non quod melius tum potuerim cum illa tumultuario quodam imperio promebam. Sed quod nunc si mihi eadem repetenda essent, mirum est quam videantur mihi posse, & commodius, & locupletius dici, ita tamen ut tamē reliqui ne ad tam sinuosum, & inamaenum opus amplius traheri cogerer. In quibus omnibus nihil est quod me torqueat, nisi quam syllabarum interpunctiones in quam maxime parte me absente impressorum negligentia carnificinam exercuit. Nam quod filius ipse meus sibi sit dispar, aliquoties multi quoque me reprehenderunt, non est quod ego multum expostulem, aut vices conquaerar meas, cum culpa haec tota facillime nobis praestari possit, atque condonari, quandoquidem non eadem mihi semper voluntas, nec eadem cuicunque materiae cōpetebat oratio, nec semper ab eorundem authorum lectione pendebam, quamobrem interdum Scoti rudibus interdum Tullij elaboratis pigmentis mea fuit quasi coloranda oratio. Pugnātia vero quae in hoc opere interdum reperiuntur ne quaeso quenquam deturbent: profiteor enim saepius me utramque contradictionis partem defensurum. Quo ad reliqua vero attinet ita vivat, legatur, placeat, & prosit opus si fuerit gratus sin adversetur concidat, & intereat. Illud tantum ante quam finē scribendi faciam dixisse velim me in omnibus meis scriptis S. R. E. lituras (si opus fuerit) vehementer exoptare. errare namque & ego facillime ac saepius, ab ea vero Dei gratia sub nunquam deficere potui.

Mors

METAPHYSICA fol. 344 con. 4427

VITAE RELIGIOSAE BREVIS ELENCHVS.

IDOLOLATRIA

DISCORDIAE PLATONIS, & Aristotelis in primo libro conciliatae, & prius in Ethicis.

938 de mala voluptate ib. con. 639.

DISCORDIAE PLATONIS, & Aristotelis conciliatae in Politicis.

Concordia Platonis, & Aristotelis de pessimo genere Rerumpub. fol. 48. con. 683 de distinctione facultatis ciuilis a legali f. 63 c. 903 de numero Rerumpub. f. 64 c. 923 de Tirannidis detestatione ib. c. 925 de artium subiecto f. 66 c. 937 de Scopo regni ib. c. 939 de legum multitudine f. 71 c. 1018 de sensuum erroribus f. 75 c. 1053 de illorum correctione per intellectũ ib. c. 1055 de vnitate, & distinctione Reip. f. 77 c. 1094 de mulierum, & rerum communione in Rep. ib. c. 1085 de possessionũ aequalitate f. 78 c. 1105 de custodum numero ib. c. 1108 de Reip. mutatione ib. c. 1109 de mutatione orbis partiali f. 79 cõ. 1116 de mutatione orbis vniuersali ib. con. 1118 de doniorum distributione f. 81 con. 1153 de nuditate puellarum ib. c. 1169 de filiorum numero ib. con. 1170 de ciuitatis mediocritate f. 82 c. 1189 de maris distantia ab vrbe f. 84 c. 1221 de vrbis mutatione f. 75 c. 1237 de arce in vrbe aedificanda f. 88 c. 1278 de militis natura fol. 92 con. 1333.

DISCORDIAE PLATONIS, & Aristotelis conciliatae in Poeticis.

Concordia Platonis, & Aristotelis de malorum imitatione euitanda f. 118 con. 1716 de nobiliori fabula ib. c. 1719 de euitanda affectuum redundãtia f. 121 c. 1766 de dignitate Epici, & Tragici poematis f. 123 c. 1807.

DISCORDIAE STOICORUM, & Peripateticorum in eodem primo libro conciliatae.

Concordia Stoicorum, & Peripateticorum de subiecto actiuae vitae in proem. c. 12 de numero bonorum f. 4. c. 67 de felicitate f. 9. c. 116 de peccatorum aequalitate fol. 14 con. 169.

DISCORDIAE CYRENAICORUM, & Peripateticorum in primo libro conciliatae.

Concordia Cyrenaicorum, & Peripateticorum de primo appetibili tempore fol. 6 con. 87 de libero arbitrio f. 15 c. 239.

DISCORDIAE SCOLASTICORUM in primo libro conciliatae.

Concordia Scoti, & D. Thomae de subiecto actiuae vitae in proem. con. 19 de obiecto beatitudinis quo ad appetitum naturalem f. 3. c. 57 quo ad obiectum elicitũ f. 4 c. 58 quòd affectus sint voluntarij f. 16 c. 192

Concordia Henrici de Gandauo cũ Scoto de libero arbitrio f. 19 c. 234.

ALIAE DISCORDIAE PHIlosophorum in p. libro conciliatae.

Concordia Peripateticorum in diuisione Philosophiae moralis f. 1 c. 34
Concordia Platonicorum de obiecti causalitate f. 18 c. 217
Concordia contradictionis Platonis de puerorum educatione f. 73 c. 1015
Concordia Scepticorum, & Dogmaticorum f. 3 c. 52
Concordia Stoicorum, & Cyrenaicorum de primo appetibili tempore f. 6. c. 52
Concordia Periandri cum Aristotele de felicitate f. 8 c. 108
Cõcordia Lycophronis cum Aristotele de felicitate ib.
Concordia Aristotelis, & Plotini de augumento felicitatis f. 11 c. 130
Concordia Scriptorum Romanorum de forma spatij vrbis Romae f. 87 c. 1253
Concordiae Architectorum de areae coaequatione f. 84 c. 1220
Concordia Dionysij Halicarnassei, Hermogenis, Quintiliani, & Ciceronis de metro, ac rithmo f. 109 c. 1591
Concordia Antonij de tempore, Petri Bembi, & Dantis de rimae Hetruscae quidditate f. 110 c. 1598

Concordia

ad ſudorem, & ad palum vocarer. Arbitrabar enim hunc laborem eiuſmodi fore, in quem omnem Philoſophiae notitiam, quam iugi pat aueram lectione ità poſſem effundere, vt ſimul exercens ingenium, ingenij quoquè gratiam adipiſcerer. Cumquè meminiſſem omnia Platonis, & Ariſtotelis volumina, nec penitus incurioſè, nec planè conniuentibus oculis perluſtraſſe pollicitus amicis ſaepe fui me ante ſecundũ annum illis poſtremã impoſiturũ manum. Sed alium habuit exitum caecus ille, & factioſus amor dum ſeſe mihi detexit ſupinitas mea. Porrò extitit longiſsimo in opere mira rerum omnium varietas, quae vbiquè ſuas habuit ſalebras, ſua item lacunilia, per quae non ſine ſudore agerem onus, ſuoſquè quoq; deſcenſus per quos non ſine lapſus periculo facerem iter. Neque vero ibi vllam inueni ſtratam viam, vbi diuerſitas, atquè adeo aduerſitas Platonis, & Ariſtotelis, Plotini, & Procli, Porphyrij, & Iamblici Alexandri, & Simplicij, Auerrois, & Auicennae, D. Thomae, Scotiquè non modo fuit indicanda; ſed & tollenda, & componenda. In qua quidem re multo plus operis, laboris, temporiſquè conſumpſi, quàm putaram, quod nihil aliud eſſe videatur (quemadmodum eſt in prouerbio graeco) αἰθίοπα λευκαίνειν quàm varias Philoſophorum contradictiones conciliare, vt non immeritò emunctae naris Philoſophi hanc rem non modò ἀπολογιάδη: ſed etiam ἀδύνατον arbitrati ſint. Acceſſerunt etiam mathematica in quibus licet adhuc tirunculus, volui tamẽ & de numeris, tùm ſeiunctim, tùm vt ex illis tota ſonorum ſcientia conflatur, de planis, de ſolidis, de proſpectu, de aſtrorũ curſu, progreſsionibus, ſtationibus, magnitudine, de Gnomonicis, de automatis, de paegmatis, alijſquè mechanicis nonnulla, eaquè non negligenda proponere. Ex Scholaſticis etiam Theologis aliquos plenos hauſtus in hãc lucubrationem contuli, in quibus licet fuerim parcior, quod non decebat profanum hominem, nec natu grandem temerè de ſanctiſsimis rebus, vel definire, vel diſputare; annum tamen integrum in illis impendi magno quidem conatu, ac voto, vtinam pari ſucceſſu, ob quae omnia innumeri penè libri, quos ne nomine quidem prius cognoueram, non modò fuerunt in ſinu continuò geſtãdi: ſed & vorandi etiam, & concoquendi, ac propè meum in ſuum, ac ſanguinem conuertendi. His tàm magnis, tàm multis,

tàm

tam operosis, innotuit sese mihi iuuenilem nimis priorem fuisse meam cogitationem, quae longè aliter experiendo processit, quàm ipse mecum ratiocinatus, & alijs pollicitus essem: Hinc factum est vt dum alij quasi hastatos, triariosq; meos cum sollicitudine praestolantur, ego vix rorarios, accensosque centuriauerim, in hac sanè re procul dubio suggillandus, & culpandus: Simonidis tamen exemplo tuendus, & excusandus, qui ab Hierone interrogatus quid qualisuè Deus esset cum ad deliberandum postulasset sibi diem, postridiè biduum petiuit, deincepsque saepius duplicauit numerum, quod & ipsi quoquè ex diuturniori consideratione id quod promiserat, operosius ac cogitasset videretur. Nec defuerunt interim multa, quae impetum quodammodo retardarunt ingenij mei, currentiquè velut obstarunt, & (vt vtar Plautino verbo) remoram fecerunt, atque in primis repentinus Baptistae charissimi patris interitus, ex quo facilè quisquè intelligere potest, vt ea res studiorum meorum quietem concusserit eo sublato, qui mihi vnus ocia faciebat, quanta cupiebam. Hinc vt nulla vnquam calamitas venit sola, successit facultatum mearum tenuitas, ad quam, & patrimonij cum alijs fratribus inopportuna diuisio, & haec ipsa studia intempestiuo fortasse diuitiarum cōtemptu me redegerūt. Qua quidem sola re (vt vera fatear) adeo perterrui, vt tunc tandem ingressus mihi viderer viam infinitam, & impercursilē, cui nullo pacto fortuna mea sufficeret. Pertexi tamen Deo fretus, neque ille pijssimus votis defuit. Namque fortunae coelum illud mihi prius densissimis nubibus, nebulisque obtectum ijsdem discussis, atque disiectis FRANCISCO MARIA METAVRENSIVM amplissimo Duce, tanquam clarissimo Sole me suauissime recreauit, qui cum in familiae suae obsequia me retulisset, deinceps omni genere magnificentiae, atque animi magnitudine in me fuit adeò liberalis, vt iam mihi res meae non modo supra spem: verum etiam supra vota succedere inciperent. Neque mirum: is enim ille est princeps, qui modo cum paucissimis contra torrentem pessimorum morum brachia dirigit, proinde cum illi maximè liceret per fortunas, & opes in luxu, & delitijs vitam transigere: nihil tamen habet optimarū quarumquè rerum scientia charius, nihil antiquius. Illud etiā in eius aula maximas mihi tulit suppetias, quod ibi sicuti

Franciſcum PANIGAROLAM de facie cognoſcere, aetatè quidem adhuc parua; ſed qui omnes allicit lepore verborum, ſuſpendit ſententiarum grauitate, flectit orationis impetu, & viribus, trahit deniquè in admirationem copioſa, & arcana multiiugae diſciplinae varietatae. Ille itaquè ob eam qua in Deum optimum maximum praeditus eſt pietatem, ſummamq; in proximum charitatem cum adeo ſit inuictus, & infatigabilis, vt non aliundè magis reparare vires, quàm de laboribus ipſis videatur, licet tùm publicè Verbi Dei concionibus iugiter immoraretur, vt in aliud quidquam incumbere vix eum vnquā poſſe contingeret; ſubciſiuis tamen horis multa mihi ad ingenuè Philoſophandum adiumenta ſuppeditauit, in quibus forſan poſteriores non vindicat ſibi partes ars illa, quae imaginibus quibuſdam memoriam vegetiorem, atquè adminiculatiorem reddit. Omitto praeterea quanta mihi hoc tempore ſedulò, quanta officioſè fecerit RAINERIUS è Marchionibus Montis, totaquè illius familia. Prae omnibus autem FRANCISCUS MARIA Rainerij filius, iuuenis omnibus fortunae, corporis, animiquè dotibus cumulatiſsimus, qui multis ab hinc annis quod vegetis, vigilantibuſquè oculis in ſtudijs explorauerat mecum partiri conſueuit, tot, tantiſquè beneficijs eſt me perſecutus, vt ſi iam id agendum ſit, quod & bona nomina facere ſolent, quibus quando non eſt vnde debitum reddant, ſaltem apud creditorem quantum debent profitentur, haec tota epiſtola, aliaequè permultae in hoc erunt conſumendae. Horum itaq; omnium occaſione in hac celeberrima curia examinaui, expendi, excuſsi, didiciquè permulta. Omiſi tamen edendi curam, tantumquè ſulcis velut interciſiuis librum nonnunquam, ſicut hortum irrigaui, quòd non poſſem rerum aulicarum aeſtu non iactari, & fluctuare. Nam quemadmodum eſt in prouerbio ſaepe ferox Equus, & ſternax imperitum ſeſſorem deijcit. Certè ſemper male habet, vexatquè potius quàm vehat. Proindè meam cellulam, mea ſtudia, meorum librorum oblectamenta impetrata à Principe venia tantae curiae fauoribus per aliquod tempus anteponenda duxi. Redij itaquè ſtatim ad vitam vmbratilem, ac tùm compoſitis rebus, ac digeſta bibliotheca caepi totus in ſcriptionem incumbere. Cumquè illo tempore Theologica Theoremata mihi ſolùm deeſſent, quae mihi

ſanè

ſanè (quòd Scholaſticae Theologiae penitus eſſem rudis) tanquam panis fruſtillatim erant emendicanda, obtulit ſeſe mihi Dei Opt. Max. munere Ioannes Lodovicvs Paffius à Pinnarolio Theologiae conſultiſsimus, Scoticaequè doctrinae anteſignanus, quo duce veluti peregrinus ſermonis expers alienas peragraui regiones, & tanquàm paruulus infans nutrice praeeunte inambulaui. Quo factum eſt, vt aſsiduis illius tùm publicis, tùm priuatis explicationibus, ſicut attritu crebrius ſilice, paruulas ſaltem Theologiae ſcintillas videar excudiſſe, tantúq; flammae rapuiſſe fomitibus, vt in nocte caeca, & tenebroſa iam iā mihi aliquid profectò fulgoris ſublucеſcat. Nec defuerunt interim mihi alij eruditiſsimi viri, quorum ego authoritate ſuccenturiatus, doctrinaquè confirmatus ad ambiguitates tollendas, euoluenda inuoluta, ſcrupoſquè diluendos aptior factus mihi videar, & id interdùm conſecutus, vt iterum (quòd dicitur) ad eundem lapidem non offendam. Eſt enim modò Caeſena tanquàm honeſtarum diſciplinarum aſylum: nam & prudentiſsimis Iureconſultis, peritiſsimiſquè abundat Medicis nec illi deſunt viri multiiugae, multifariaequè doctrinae, inter quos duo (meo quidem iudicio) ſeligendi ſunt, in quos omnia bona turmatim, & coacеruatim confluxiſſe videantur, quorum alter eſt Alexander Martinellus, vir quem omnis admiratura ſit poſteritas cum huic quieuerit, authoritatemquè dies lenta praeſcripſerit. alter verò Ioſephus Gottifredus, admirabili adoleſcens indole, ſi modò indoleſca eſt appellanda, quae fructus ediderit, maturis quidem aetatibus, & doctrinae quamuis exercitatae non modò deſpiciendos: ſed & auidiſsimè etiam concupiendos. Verùm vt vndè digreſſa erat oratio regrediatur poſt meum à Principe diſceſſum eruditorum amicorum opera conſilioquè adiutus, quanta maxima potui diligentia anno ferè vno quod reliquum erat abſolui, veniquè ad has praefationes ſcribendas adeo laſſus, & labore tanto, tàmquè vario adeo fractus, vt libros, literaſquè omnes neſcio quemadmodū animus auerſaretur, veluti redundans ſtomachus cibos omnes. Quo factum eſt vt eo tandem faſtidio liberari miſerè cupiens, idquè vniuerſis atquè vnicis exoptans votis, gratiam ſtudioſorum non aequè exiſtimauerim, ac me tandem liberatum eſſe illa moleſtia. Proindè multa in hoc opere ſcripta, quae mihi

2 nullo

nullo pacto satisfaciunt, non quòd melius tunc potuerim cum illa tumultuario quodam imperio promebam. Sed quòd nunc si mihi eadem repetenda essent, mirum est quàm videantur mihi posse, & commodius, & locupletius dici, ita tamen vt erant reliqui ne ad tàm sinuosum,& inamaenum opus amplius reuerti cogerer. In quibus omnibus nihil est quod me torqueat aequè quàm syllabarum interpunctiones in quam maximè partem me absente [redacted] negligentia carnificinam exercuit. Nam quòd stilus ipse meus sibi sit dispar, quo nomine multi quoquè me reprehenderunt, non est quod ego multum expostulem, aut vices conquaerar meas, cùm culpa haec tota facillimè nobis praestari possit, atquè condonari, quandòquidem non eadem mihi semper voluntas, nec eadem cuicunquè materiae cõgruebat oratio, nec semper ab eorumdem authorum lectione discedebam, quamobrem interdùm Scoti rudibus interdùm Tullij elaboratis pigmentis mea fuit quasi coloranda oratio. Pugnãtia verò quae in hoc opere interdùm reperiuntur ne quaeso quemquam deturbent: profiteor enim saepius me vtramquè contradictionis partem defensurum. Quo ad reliqua verò attinet ità viuat, legatur, placeat, & prosit opus si fauerit genius, sin aduersetur concidat, & intereat. Illud tantum antequàm finẽ scribendi faciam dixisse velim me in omnibus meis scriptis S.R.E. lituras (si opus fuerit) vehementer exoptare. errare namquè & ego facillimè ac saepius, ab ea verò Dei gratia fultus nunquam desciscere potui.

nullo pacto satisfaciunt, non quod melius tum potuerim cum illa tumultuario quodam imperio promebam. Sed quod nunc si mihi eadem repetenda essent, mirum est quàm videantur alibi posse, & commodius, & locupletius dici, ita tamen vt tamē reliqui ne ad tam sinuosum, & immanem opus amplius coerri cogerer. In quibus omnibus nihil est quod me torqueat æq; quàm syllabarum interpunctiones, in quam maximè partem me absente imperitorum negligentia carnificinam exercuit. Nam quod filius ipse meus sibi sit dispar, & nomine multi quoque me reprehenderunt, non est quod ego multum expostulem, aut vices conquærar meas, cum culpa hæc tota facillimè nobis præstari possit, atque condonari, quandoquidem non eadem mihi semper voluntas, nec eadem cuiuscunque materiæ currebat oratio, nec semper ab eorumdem authorum lectione discedebam, quamobrem interdum Scoti rudibus interdum Tullij elaboratis pigmentis mea fuit quasi coloranda oratio. Pugnātia verò quæ in hoc opere interdum reperiuntur ne quæso quenquam deturbent: profiteor enim sæpius me vtramque contradictionis partem defensurum. Quo ad reliqua verò attinet ita viuat, legatur, placeat, & prosit opus si fauerit genius sin aduersetur concidat, & intereat. Illud tantum antequam finē scribendi faciam dixisse velim me in omnibus meis scriptis S. R. E. lituras (si opus fuerit) vehementer exoptare. errare namque & ego facillimè ac sæpius, ab ea verò Dei gratia fultus nunquam deficere potui.

a 2 con.

Mors

VITAE RELIGIOSAE BREVIS ELENCHVS.

DISCORDIAE PLATONIS, & Aristotelis in primo libro concilia-
liatae, & prius in Ethicis.

DISCORDIAE PLATONIS, & Aristotelis conciliatae in Politicis.

DISCORDIAE PLATONIS, & Aristotelis conciliatae in Poeticis.

DISCORDIAE STOICOrum, & Peripateticorum in eodem primo libro conciliatae.

DISCORDIAE CYRENAIcorum, & Peripateticorum in primo libro conciliatae.

DISCORDIAE SCOLASTIcorum in primo libro conciliatae.

ALIAE DISCORDIAE PHIlosophorum in p. libro conciliatae.

Concordia

Concordia Iurisconsultorum cum Philosophis de iure, quod seruitutem introduxit fol. 134 con. 1977

CONCORDIAE QVAEDAM VETERUM Philosophorum cum Scholasticis in primo libro.

Concordia Simplicij, & Scoti de bono à voluntate humana desiderato f. 1 c. 38
Cócordia Scoti cum Scepticis de appetitu naturali, & libero voluntatis f. 2 c. 47
Concordia Chrysippi, & Scoti de potentia affectuum f. 11. c 137
Concordia Eustratij, & Scoti de obiecto appetitus irascibilis f. 13 c. 153

DISCORDIAE PLATONIS, & Aristotelis in secundo libro conciliatae, ac prius in Dialectica.

Concordia Platonis, & Aristotelis quod Dialectica sit pars, & suppelectilis Philosophiae fol. 148 con. 2142 de nominum impositione f. 149 c. 2149 de Syllogismi diuisiui validitate f. 156 c. 2206 de scientia & ignorantia syllogismi f. 157 c. 2218. de praecognitionibus ib. c. 2220 de definitione f. 161 c. 2263

DISCORDIAE PLATONIS, & Aristotelis conciliatae in Rhetorica.

Concordia Platonis, & Aristotelis de propoitione Rhetoricae ad Dialecticam, & ad coquinariam f. 166 c. 2316 de numero generum Rhetoricae f. 168 c. 2333

DISCORDIAE PLATONIS, & Aristotelis conciliatae in Philosophiae diuisione.

Cócordia Plat. & Arist. de distinctione Metaphysicae ab alijs sciétijs f. 182 c. 2520

DISCORDIAE PLATONIS, & Arist conciliatae in Mathematicis

Concordia Plat. & Arist. de ordine Mathematicarum ad alias scientias f. 182 c6. 2521 de terrae statu f. 222 c. 3891 de generatione, & corruptioné, illarumquè perennitate f. 223 c. 3103 de globorum coelestium numero f. 229 c. 3186 de generatione, & corruptione à Sole pendente fol. 229 c. 3191 de velocitate, ac tarditate planetarum ib. c. 3187.

DISCORDIAE PLATONIS, & Aristotelis conciliatae in Physicis.

Concordia Plat. & Arist. de mundi efficientia fol. 241 con. 3321 de caussa exemplari ib. c. 3323 de numero caussarum, & principiorum vniuersalis concordia ib. con. 3325 particularis fol. 246 c. 3368 de concaussis f. 242 c. 3327 de negatione materiae congruenti ib. c. 3331 de priuatione f. 244 c. 3348 de forma ib. c. 3350 de illius eductione ib. c 3351 de illius latitatione in materia ib. c. 3352 de naturae essentia ib. c. 3355 de magis natura ib. c. 3356 de distinctione animatorum ab inanimatis fol. 245 c. 3359 de Plátarum motu ib. c. 3363 de abstractione formae à materia ib. con. 3364 de Fati necessitate f. 249 c. 3396 & 3397 an motus genus fol. 249 c. 3403 de praedicamentorum numero ib. c. 3404 de actuoso motu f. 250 c. 3413 de loci definitione f. 252 c. 3445 de temporis definitione f. 255. con. 3482 & f. 256 c. 3497 quòd Coelum sit in tempore f. 257 c. 3501 de perfectione maiori, & minori animorum f. 258 c. 3520 de speciebus in animo latitantibus f. 259 c. 3531 de scientiae generatione ib. c. 3532 de mundi generatione f. 261 c. 3542 quòd anima semper sit in tempore ib. c. 3547 de priori, & posteriori in Ideis ib. c. 3549 de primo motore immobili f. 262 c. 3554 de antiperistasi in motu ib. c. 3554 quòd Sphaerarum animi non sint mobiles ex accidenti f. 263 c. 3560 de corruptibilitate mobilis animae humanae ib. c. 3562 de possibilitate Coeli ib. con. 3565 de infinitate vigoris primi motoris f. 264 c. 3571 de illius abstractione ab vno quoquè orbe ib. c. 3592 quòd omne incorruptibile ingenerabile f. 266 c. 3594 de necessario caussato f. 267 c. 3605 de ratione ob quam mundus sit vnus f. 269 c. 3624

de mundi

DISCORDIAE PLATONIS, & Arist. in Metaphysicis conciliatae

Concordia

de

CONCORDIAE QVAEDAM VETERVM PHILOSOPHORŪ CŪ SCHOLASTICIS IN 2. LIBRO.

DISCORDIAE IN TERTIO libro conciliatae.

IACOBI MAZONII CAESENATIS IN TRES METHODOS DE TRIPLICI HOMINVM VITA PROEMIVM.

1 SVMMVS orbis opifex bonitatis exuberantiam latè diffundens naturales ita composuit species, vt cum totae sub aliquo reponerentur genere, secundùm vnum quiddam, quod in ipsis speciebus existeret, ab eo distinguerentur, & propterea cum superparticularibus deuinctae rationibus essent consonam vsquè quaquè redderent harmoniam. (Proclus in Timaeo.)
2 solùm autem inter caeteras humanam speciem superpartiente ligauit ratione. haec enim similiter tota sub genere collocatur: at secundùm duplicem differentiam, rationale nēpè, & irrationale ab eo distinguitur.

COROLLARIA.

3 hinc est quòd bruta vnico tantùm modo vitam degunt.
4 homines verò multifariàm.

EPPA.

DIFFERENTIA SVPERPARTIENTIS RATIONIS INTER SPECIEM MVLI, ET LICISCAE; ET SPECIEM HOMINIS. EX PROCLO.

5 quòd autem Proclus asserit, & Mulum, & Liciscam hac eadē superpartiente ratione componi negotium nobis minimè facessere potest. haec enim animalia huiuscemodi vinculum in materia tenent. homo verò in formà. quae quidem vna, & eadem numero cum sit: duplicem tamen gerit substantiā quarum altera diuina mens est: altera verò brutorum portio. hinc duplex homo, quem nobis tradidit antiquitas, alter internus ab Angelis paullò diminutus, alter externus brutis persimilis.
6 idipsum Moyses allegoricus (sicut exponit Origenes, à quo nec Plotinus, nec Ammonius valdè discrepant) significauit nobis. Adam enim primus tamquam homo intrinsecus, & rectus à Deo factus est, ex eo deinceps quasi somno oppresso, & diuinorum oblito, quod accidit cum ad sensibilia labitur Eua vt homo alter extrinsecus effingitur, ex quo vitium prodijt, & error mente ipsi consentiente, à qua etiam secundus ille homo corripitur. (Plot. l. 1. enn. 1. cap. 9. & ibi Ficin.)

† Vita

VITA CONTEMPLATIVA IN INTERNO HOMINE IVXTA OMNIVM OPINIONEM.

QVI FELICITATEM CONTEMPLATIVAM AB ACTIVA DISTINXERVNT, CVIVS RATIO AFFERTVR EX SYRIANO.

7 in primo homine rationem solùm habenti contemplatiua progeneratur vita. nec est in tota philosophantium varietate, qui huic dicto libentissimè non subscripserit. cuius rei rationem si quaeras, aderit tibi praestò Syrianus, qui vitam contemplatiuam in conuersione ad finem vniuersalem subtilissimè reposuit: verùm solùm primus homo, vt potè qui secundum virtute contineat, finem habet vniuersalem.

1. metaph. cap. 1.

VITAE ACTIVAE DESCRIPTIO EX SYRIANO.

8 vita verò actiua cùm in conuersione ad finem particularem locum sibi vindicare asserat rectè Syrianus, proindè iuxtà illum ignobiliorem, & secundum hominem, qui virtute nihil aliud, quam se continet adscribere sibi quoquè videtur. id autem quo pacto non satis est exploratum.

Arist. c. fin. 1. Eth.

VITA ACTIVA QVOMODO IN SECVNDO HOMINE IVXTA OPINIONEM D. THOMAE, ET EGIDII.

9 in primis enim occurrunt inter Latinos Diuus Thomas, & Egidius, qui in huiuscemodi quaestione vnanimes asserunt actiuam vitā in secundo homine subiectiuè produci. quod tamen ipsi admonuerunt in illa tantùm actiuae parte credendum in qua virtutes, quae perturbationes retundunt, veluti temperantia, fortitudo, aliaequè ad eas pertinentes continentur.

D. Thom. 3. sen. dist. 33. ar. 2. q. 4. l. 2. q. 50 art. 6. Egid. de Rom. quol. 4. q. 18.

10 deinceps verò seiungunt ab homine secundo illam actiuae portionem, quae iustitiam & illius καταπόδας virtutes cōplectitur, quā cū illi viri voluntati adiudicent: proindè illā in homine interno primoq; sine dubio reponunt, licet huic etiam finem adscribant particularem, quod totius primi hominis verè, & propriè non sit finis.

11 estquè omnium horum ratio, quòd satis per se voluntas ad proprium bonum ex ostensione tantùm mentis absquè alio habitu

habitu propēsa est. at vt illa bona, quae ad caeteros pertinēt eligat, cum ad ea non habeat ex se propensionem habitu indiget talem propensionem impertiente.

ACTIVA VITA QVOMODO IN SECVNDO HOMINE IVXTA SCOTI OPINIONEM.

12 Scotus è regione totam actiuam vitam in primo, internoq; homine in voluntate nempè, subtilissimis, acutissimisquè telis primò, & per se figit. in secundo autem homine secundariò, & per sequelam quandam. cum enim iuxtà Philosophum virtus sit habitus electiuus secundùm rectam rationem, propterea ob frequentes rectas electiones debet in voluntate generari virtus, eam ad rectè semper eligendum inclinans. Scotus 3. sen.dis.33. q. vnica 1. Politic.

13 ex politico autem imperio quo voluntas appetitui sensitiuo praeest, in eo habitus, siuè potius conformitas, & habilitas quaedam derelinqui potest, qua ipse ad sensibilia imperio voluntatis iucundè moueri possit.

14 contradicentium verò potissima ratio in ipsos reflectitur. licet enim voluntas (esto enim id modò, quod tamen inferius infringetur) per intellectus ostensionem sufficienter possit ad rectam electionem determinari: non attamen inferat quis habitum in ea generari non posse, namquè & intellectus etiam ad rectè iudicandum propensus est, & tamen ex crebris operationibus, habitus in eo recti iudicij prudētia nempè progeneratur.

HARVM OPINIONVM CONCORDIA EX FRANCISCO DE MAYRONIS.

15 Franciscus autem de Mayronis distinctione quadam praeuia omnes habitus morales primò & per se, tùm in voluntate, tùm in appetitu sensitiuo collocat. videtur enim illi rectè propter quatuor habitus dari, ob perfectionem nēpè actus, ob delectationem (perfectiorem enim actum sequitur maior delectatio) ob facilitatem, & ob velocitatem. l. 1. sent. dis. 2. q. 8.

16 priora duo inueniuntur in potentijs separabilibus, & propterea illorum gratia voluntas habitus recipiet morales. at alia duo, quae sunt operari faciliter, & velociter, siuè promptè, habitus in potentijs organicis coniunctis efficiunt, si

quidem in potentijs separatis, nihil est difficile, vel tardum cum in instanti operentur.

17 alioquin (dicebat ille) posset voluntas ab aliqua caussa cogi nam quandocunque aliquid positiuum ens aufert in aliquo gradu potentiae facilitatem, si magis & magis augeatur maiorem etiam infert difficultatem. verùm quid impedit, quò minus intendatur adeo delectatio, vt totam penitus demat voluntati facilitatem, necessitatemq́; imponat illi? perardua sanè dubitatio.

HORVM EXPVGNATIO.

9.Metaph. t.c. 17. 18 ob quam tamen illius viri opinionem minimè comprobamus, si quidem teste Philosopho vbicunquè reperitur potētia contradictionis, statim etiam adest potētia lassitudinis & defatigationis. quamobrem poterit voluntas, vt contradictionis potentia delassari, & defatigari.

VERA CONCORDIA EX PROPRIA OPINIONE.

19 dicamus itaquè nos, vt partis animi superioris summa perfectio in rectè imperando posita est, sic inferioris in parendo. ex quo hoc etiam intelligitur, quid ipsa virtus morum à parte animi superiore accipiat, quid ab inferioribus. à superiore enim huius regula existit, inferiorum est id, quod regitur. sed quia perfectio in eo, vt in subiecto est, quod perficitur (sic enim Aristoteles ipse docuit in physicis motū qui perfectio quaedam est, esse potius in eo quod mouetur, quàm in eo quod mouet) iccircò virtutes huiusmodi in parte animi inferiore, vt in subiecto esse dicuntur, & à superiore efficientem caussam id est rectam rationem, tamquam regulam accipere. quamobrem in hoc magis Thomae fauemus, qui ferè hoc idem sub alijs verbis dixit.

1. Polit.

3. Physic.

20 quòd si tamen cum Scoto, & subiectiuè illas in voluntate tueri libuerit, id secundùm illum motum, quem Platonici actuosum vocant dicere licebit: vel (si simplicij verbis vti voluerimus) secundùm motum cum abscisione sumptum, voluntas virtutibus subijcitur. quòd si scholasticos terminos requiras, dicimus virtutes subiectiuè secundùm respectum in voluntate. at secundùm actionem actam in appetitu sensitiuo reponi.

3. Physic.

quò

ΠΑΡΕΡΓΟΝ.

21 quò loci libenter adnoto idem apud Platonicos esse motū actuosum, quod apud Simplicium est motus cū abscisione, & apud Scholasticos motus secundùm respectum. sicut etiam idem apud Platonicos est motus passiuus, quod apud Simplicium est motus cum connexione. & apud Scholasticos motus secundùm actionem actam.

ΕΡΓΑ.

IN EADEM RE CONCORDIA OPINIONIS STOICORVM CVM OPINIONE ACADEMICORVM, ET PERIPATETICORVM.

22 hac eadem distinctione potest in eadem re Stoicorum opinio cum Academicorum, & Peripateticorum opinione cōponi. arbitrabantur enim Stoici (si credimus Ciceroni) virtutes in parte rationali reponendas esse. quod vnanimes negarunt Platonici, Peripateticique. in p. Academ. quęst.

23 hisce tamen stantibus haec propositio absquè cōtradictione vera est. Stoici dum virtutes in parte rationali locant, cum Academicis, & Peripateticis nullo pacto consentiunt, cuius dicti rationem inferius ex Galeno demonstrabimus.

PVLCHERRIMAE DIFFINITIONES VITAE CONTEMPLATIVAE, ET VITAE ACTIVAE.

24 in secundo itaquè homine dum semetipsum primo subijcit actiua producitur vita: quamobrem sicut non malè quis definiret contemplatiuam vitam perfectionem animae humanae perfectionis, quatenus animae humanae perfectio, vel perfectionē hominis interni, quatenus homo internus, sic & rectè forsan posset definire actiuam vitam perfectionē animae humanae imperfectionis, quatenus animae humanae imperfectio, vel perfectionem hominis externi, quatenus homo externus. quod quidem mirabile arcanum ἀνδρῶν ἁπάντων (vt Oraculi verbis vtar) σοφώτατος SPERONVS SPERONIVS reserauit nobis.

COROLLARIA.

25 ex his ni fallor facilè tuebimur contemplatiuam vitam in proportione musica persistere. illa etenim perindè atquè

ista

ista maioribus terminis, maiorem tribuit rationem.

26 actiua verò arithmeticae proportioni similis est, siquidem haec maiori termino minorem tribuit proportionem.

ΕΡΓΑ.

NECESSITAS RELIGIOSAE VITAE.

27 sed mediocritatis licet diuerso modo vtraquè vita nimis est amatrix, actiua namquè ad illa quae operatur, se veluti regula, mensuraquè habet, quae quidem inter magnum, & paruum mediocritatem quandam perquirit, quam bonum philosophantes appellant. iuxtà quod illud Hesiodi iam tritum est sermone.

1. operum & dierum

,, Νήπιοι οὐδ' ἴσασιν, ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός.

,, Stulti haud nesciunt, quia dimidium plus toto.

28 contemplatiua verò ad ea, quaé speculatur se habet veluti mensuratum, & regulatum, in qua quidem medium (vti sensit D. Thomas) non est inter aliquam contrarietatem, quae fit ex parte rei (siquidem contraria medium recipiẽtia, non sunt ex parte mensurae: verùm ex parte mensurati, secundùm quod à mensura, vel excedit, vel deficit) sed ex parte tantùm ipsius intellectus: sunt autem intellectus contraria, ea quae secundùm affirmationem, & negationẽ opponuntur.

in quaest. disp q. de virt. in cō. art. vlt.

29 quin & ex parte quoquè mensurati possumus in contemplatiua (quod sanè D. Thomae nouum, & sine ratione videbitur) mediocritatem tueri. etenim contemplatiua inter Deum tanquam finem, & materiam tanquam infinitum naturalia sic collocat, vt eorum veritatem inter finem, & infinitum semper venetur: naturam enim ἀτέλει τέ τελευτῆν infinitum nempè finem Orpheus poetarum vetustissimus iure vocauit. nam quaecunquè natura constant (vt & etiã Plato testatur) fine infinitoquè componuntur. finis verò & infinitum actus, & potentia à Peripateticis vocatur. quamobrem contemplatiui Philosophi creationem prorsus abnuunt, quòd ea tota finis infinitum non admittat.

in Philebo & ibi Fici.

30 addamus eosdem interdùm ita temerarios esse vt ipsummet Deum ab infinito fine nō semoueant. asserunt enim Deum infinitum duratione, finitum autem vigore.

31 quapropter tertia vita hominibus iam necessaria fuit, quae hinc

hinc inde excessus interdũ vt optimos probaret, & ex vtraquè (non adęquatè vt dicebat Gotfredus: sed eminenter, vt Gaetanus sensit) composita, earum audaciam retunderet, ac moderaretur, dissonamquè ac superpartientem rationem ad consonam, & superparticularem reduceret, & hanc religionem vocamus. iam itaquè triplex haec vita hominibus conuenit, cuius naturas sigillatim perquirere modò propositum est nobis.

in p. par. sum. q. 1. art. 4.

IACOBI MAZONII CAESENATIS
VITAE ACTIVAE METHODVS.

32 VERSABIMVR autem primùm in actiua, cùm sine hac ad cótemplatiuam aditus hominibus sit occlusus, ita vt in hominum caetu actiua rationem necessitatis habeat, dignitatis verò cótemplatiua. perpulchrèquè actiua tactui, contemplatiua visui comparatur. nam sicut visus à tactu nunquam separatur: tactus verò à visu nonnunquam seiunctus est, ita nihil est à ratione alienum, si sit Resp. quae ciuilem solùm vitam ducat: quae verò soli contemplationi incumbat, haud facilè reperietur, eaquè si dabitur ita erit affecta, vt possit, vbi res postulauerit, in actionem prolabi, sicut videntes tangendi vi non carent.

ORPHEI DVO REGNA NECESSITATIS NEMPE, ET AMORIS DECLARATA.

33 huc eodem Orphei decantata regna tendunt, quorum alterum necessitatis est, alterum amoris.

DIVISIO PHILOSOPHIAE MORALIS, ET IN EA DISCORDIA PERIPATETICORVM CONCILIATA.

34 sed quo pacto necessitatis, vitae nempè actiuae regnum diuidatur, non satis inter ipsos Peripateticos est exploratum. Eustratius enim & cum eo Simplicius totum morale negocium in Monasticum, in Oeconomicum, & in Politicum distribuunt. obsistunt alij, qui iuxtà morem Aristotelis, qui prius subiecti principia, deinceps subiectum vniuersum, postremò illius partes ad amussim expendere solet, in Ethicis boni ciuilis principia, in Politicis vniuersale bonum, in Oeconomicis illius partes pertractari crediderunt. quorũ sanè sententia absquè dubio potior est. verùm si & priores Ethica praecepta non ad priuatum hominem, priuatamuè familiam primò, & per se pertinere dicant: sed quatenus quidem, tùm homo solus, tùm cum familia cum alijs ciuibus viuit, non video inter istas opiniones dissensionem.

Eust. 1. Eth. i procem.
Simpli. in com: Epic.

BONVM, SEV FELICITAS ACTIVA.

35 vita verò haec actiua bonum primò & per se sibi appetit: malum autem vt sibi maximè infensum prae caeteris fugit.

Rabi Moses dux neutrorum l. 1. c. 2.

hinc & ob Euam, quae si Rabi Moysi credimus actiuae vitae simulachrum quoquè refert, boni, maliquè natura potuit.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

36 dubitaret autem aliquis nec mehercule iniuria quo pacto particeps extiterit homo actiuae vitae ob Euam, eiusquè peccatum, an quòd homo creatus à Deo immediatè intellectum habuit in fine perfectionis, & propterea contemplatiuus solummodò fuit, & in intelligibilibus versatus, sensibilia in quibus bonum, & malum reperitur, prorsus non agnouit.

37 cùm verò peccauit, & desiderium concupiscibilis potentiae secutus est, recessit ab eo intelligibilium, remansitquè sensibilium apprehensio.

ΕΡΓΑ.

PVLCHERRIMA CONCORDIA SIMPLICII, ET SCOTI DE BONO A VOLVNTATE HVMANA DESIDERATO.

1 sen. dist. 1. quaest. 1.

cap. 5. in Epict. Stoicum.

38 supradictis autē repugnabit forsan aliquis, quòd voluntas humana necessariò bonum non appetat. asserit enim subtilissimus Scotus, vltra bonum reale, ac bonum apparens posse sibi voluntatem finem aliquem ex libertate sua praefigere, qui neq; hoc neq; illud sit: verùm si cū Simplicio dicamus, quae motum habent aliundè, bonum quoquè & malū aliundè habere: at quae se ipsa mouent cum sui motus, & actionis caussae sint, tùm bonum suum, tùm malum in seipsis habere, nequè quid Scoto repugnans (quod inferius particulatim explicabitur) in medium proferemus, nequè non verum etiam erit, finem praefixum bonum posse nuncupari.

39 atquè ob hoc idem facillimè quis demonstrare poterit, cur in finibus bonorum, & malorum, tàm multae, tamquè repugnantes fuerint opiniones, quorum tamē principes duae sunt, quae hinc indè diuersae penitus fluctuant, quarum altera Pyrronis, Zenophanis, caeterorumquè Scepticorum bonum vltimum in assensus suspēsione collocat, quae Graecè ἐποχὴ dicitur, altera verò in alicuius rei assecutione.

SCEPTICORVM FELICITAS ἘΠΟΧΗ BONI, ET FELICITATIS.

40 et in primis Sceptici suspendunt assensum in bono, quod id minimè cognosci posse arbitrētur. cùm enim caeteri bonū

esse

esse dicant, quod eligitur propter se, magis id demonstrāt, quod bono accidit, quàm verè boni substantiam doceant: si enim praeter haec inquiratur, quid nā sit id, quod propter se debet eligi: non vtiquè iam consentient: sed res redibit ad bellum irreconciliabile, cum alij quidem dicant virtutem. alij verò voluptatem. alij doloris vacuitatem. alij demùm quid aliud. quamobrem exposita definitio minimè quid sit bonum: sed quid accidat bono docet. Sex. Emp. con. mat.

41 et in hac sanè suspensione quod quidem mirabile videtur felicitatem locant suam: nam quicunquè bonum, vel felicitatem aliquid esse dicunt, inutilibus circumaguntur perturbationibus, alia quidem prosequentes, alia verò profugientes. dùm enim non habent, quod eo careant, & quod in eo acquirendo satagant, perturbantur. dùm verò acquisierunt, & ex immoderata letitia, & ex magno studio conseruandi, & ex timore amissionis puniuntur. qui verò non magis hanc, quàm illam proferunt vocem, neque conturbantur quòd absint, neque laetantur quòd adsint.

HORVM EXPVGNATIO.

42 primùm verò eos falsitatis coarguere possumus, quòd homo minimè perfectionem innatam habeat: sed egregias potentias quibus eam potest adipisci: & propterea nisi datur iam naturae frustratorium est opus. Aris. 1. eth c. 1. & ibi Accia.

43 deindè dum etiam in fine felicitatis dogmaticae perturbationes locant prorsus vt est in adagio, neque coelum, neque terram attingunt, siquidem affectus iam tum ad mediocritatem redacti, felicem, neque ob studium conseruandi, neque ob timorem amittendi, minimè poterunt perturbare, quod inferius probabitur.

44 postremò falsis innituntur principijs, vt potè qui ex diuersis eiusdem rei opinionibus omnium falsitatem astruant, quòd omnes sermones aequales putent. hinc & decantatū ab illis principium παντὶ λόγῳ λόγος ἴσος ἀντικεῖ verè enim is sermo maioris ponderis existimari debet, cuius conceptus firmioribus argumentis munitus, & fultus est.

DOGMATICORVM OPINIO DE FELICITATE.

45 altera via est Dogmaticorum, qui quidem boni ponunt ap-

petitum idquè omnes vnanimes appellant, ob quod omnia fiunt.

SCEPTICORVM, ET DOGMATICORVM IVDICIVM EX PLVTARCHO.

aduersus Colotem

46 existimauit autē Plutarchus illam de omnibus rebus assensus suspensionem prorsus vanam non esse, tùm quòd ne hi quidem, qui in hoc negocio valdè occupati fuerunt, ac voluminibus scriptis, disputationibusquè contrà illam contenderunt, eam nunquam tamen euertere potuerint. quippè qui omnia tentando, & omnia mouendo tamen ab incitatione ea, qua ad agendum fertur appetitus impetrare non potuerunt, vt se assensionem dici pateretur, aut pro principio sui momenti assensum agnosceret. sed apparuit eā sponte sua ad agendum ferri, nihilquè ad hoc assensu indigere.

COROLLARIVM.

CONCORDIA SCOTI CVM SCEPTICIS DE DISTINCTIONE APPETITVS NATVRALIS VOLVNTATIS AB APPETITV LIBERO.

Scotus in 4. dist. 49. quaest. 9.

47 ex quibus palàm esse poterit, quo pacto illi viri eam mordicus defenderint opinionem, pro qua & modò tota Scoti familia veluti pro aris, & focis pugnant. illius enim Dictator prius voluntatis propensionem ab actu illius elicito subtilissimè, atquè maxima cum ratione distinxit.

ΕΡΓΑ.

48 tùm quòd omnes animi motiones (vt multi credebant) Sceptici è medio non tollant. cùm enim tria sint motuum genera, imaginās, appetens, adsentiens, primum illud ne si conemur quidem, potest aboleri: nam necesse est cum res nobis offeruntur, earum visa nos concipere. appetens autē ab imaginante excitatum ad naturae suae accommodata hominem efficaciter mouet, quod etiam non tollunt, qui de omnibus assensum cohibent. sed appetitione vtuntur naturali ducente ad id, quod videtur conueniens.

49 quid igitur est id, quod inhibent? id cui soli error, & falsitas inhaeret opinionem nempè, quandò assensus prae imbecillitate ei quod videtur concedit, eiquè se applicat, nihil

vtile

vtile habens.

50 tuebimur itaquè apud Scepticos actionem dari, siquidem actio duabus opus habet rebus, viso nempè eius quod naturae congruit, & ad hoc incitatione.

HORVM EXPVGNATIO.

51 defensionem tamen Plutarchi ea infringunt, quae superius in eos diximus.

PROPRIA OPINIO IN CONCORDIA SCEPTICORVM, ET DOGMATICORVM EX THEMISTIO.

52 dixerim autem ego Scepticos à Dogmaticis nequaquam dissentire, duplex enim, vt Themistio placet, est veritas, ea nempè quae ab eo simplex solet vocari, quae cum germana sit veritas non aliam rem post aliam, nequè aliquandò falsum, aliquandò verum intelligit: sed semper semet, verumquè intuitiuè comprehendit. alia verò est μικτὸ ψεύδει mixta nempè cum falso, quam noster intellectus ob illius potentiam, tàm ad verum, quàm ad falsum apprehendit. prima cùm verè idem sit cum obiecto, propterea sola diuinorum mentium propria, quam ob hoc nonnulli recentiores praecisam veritatem dixere à nobis minimè potest sciri, atquè de hac intelligant Sceptici, dùm vbiquè suspendunt assensum.

Them. 3. de anima in paraph. tex. 25.

Card. Cusanus de doct. ign. cap. 2.

53 altera verò quandòquidem cum falso miscetur, nec solùm non est eadem cum obiecto quod intelligit: verùm etiam & alia à se per speciem ita percipit, vt tantùm vas lambat: nō attingat autem pultem: quamobrem & alij eam veritatem proportionalem appellarunt, sicuti à Dogmaticis non exploditur, sic nequè etiam à Scepticis.

ΠΑΡΕΡΓΟΝ.

54 quòd autem nonnulli recentiores eandem Themistij supradictam distinctionem vnam, & eandem arbitrantur cum ea Philoponi, qua ipse alteram veritatem ὑπαρκτικὴν alteram verò διτιδιακριμένην ἐν γνώσει nuncupat reprehensione non carent. est enim posterior veritas apud vtrosquè eadem: at non prima, siquidem apud Philoponum in omnibus terminis incomplexis adest ea veritas, quam ipse substantificā appellat. quam verò dicit Themistius simplicem in illis

Nogarola in Paraph. Them. 3. de anima.

tantùm mentibus, quae femet primò intelligunt.

D. THOMAE, ET SCOTI DISCORDIA DE OBIECTO BEATITVDINIS.

55 inter Dogmaticos autem de obiecto beatitudinis prima eſt lis, & controuerſia: cùm enim omnes vſquè ad D. Thomā voluntatem dixerint bonum, & beatitudinem in communi appetere, primùm Scotus auſus eſt obſiſtere contrà, qui tàm in appetitu voluntatis naturali, quàm in actu libero, qui voluntatis actus eſt elicitus, beatitudinem in communi non deſiderari dixit: ſi enim appetitus naturalis ad perfectionē intrinſecam realem, qua ipſamet voluntas perficitur tendit, quo pacto ea perfectio non erit aliquid particulare? nec enim perfectio realis eſt aliquid vniuerſale. argumentum ſanè non minus relatu, quàm defenſione dignum.

4. ſen. diſt. 49. q. 9.

56 demonſtrat praeterea appetitum, vt eſt actus elicitus magis beatitudinem in particulari, quàm in communi appetere: neque enim apud Philoſophum dubium eſt particulare ipſo vniuerſali maiorem includere perfectionem. appetat itaquè actus voluntatis elicitus magis beatitudinē in communi, ac in particulari.

D. THOMAE, ET SCOTI CONCORDIA DE OBIECTO BEATITVDINIS, QVOAD APPETITVM NATVRALEM, EX THOMA DE VIO CARDINALI.

57 haſce verò opiniones quò ad primum attinet ex illa diſtinctione, quae fit inter reſpicere aliquid vniuerſale, ac vniuerſaliter egregiè ſatis componit Gaetanus: particularem enim vult ſibi appetitus beatitudinem: cum nulla vis vniuerſale reſpiciat, niſi quae id attingunt in ſua vniuerſalitate intellectus nempè, ac voluntas: attamen particularem hàc beatitudinem vniuerſaliter reſpicit, ſicuti & prima materia formam appetit non vniuerſalem: ſed vniuerſaliter. quae dicta iuxtà Platonis, & Ariſtotelis principia facillimè ſuſtineri poſſunt.

in p. par. ſum q. 82. art. 1.

D. Thomae

D. THOMAE, AC SCOTI CONCORDIA DE OBIECTO BEATITVDINIS, QVOAD ACTVM ELICITVM.

58 secundam verò discordiam ita possumus conciliare, vt dicamus, felicitatem distinctè cognitam in particulari magis appeti, quod quaeso dicat Scotus. at in prima, confusaneàque cognitione secus esse.

BONORVM DIVISIO.

59 cùm itaquè homines non particulatim: sed vniuersaliter beatitudinem concupiscāt, proinde factum est, vt in illius natura referāda, minimè semper consenserint. quin & saepius in diuersissimas, contrariasquè opiniones sint distracti, propterea illorum opiniones sigillatim sunt expendēdae; vt in veritate tandem sistamus, & cum ad boni diuisionem ipsae quoquè diuidantur, operae pretium erit id in suas species secare.

60 bonum autem vel est corporis, vel fortunae, vel animi.

STOICORVM, ET PERIPATETICORVM DISCORDIA DE NVMERO BONORVM, EX SENECA.

61 Stoici verò solam virtutem bonum, solum vitium malum dixerunt: diuitias verò pulchritudinem, & reliqua, quae vt facultates bona dicuntur, neque bona, neque mala esse affirmarunt, quòd videlicet fieri non posſit, vt vel virtute malè, vel vitio benè quispiam vtatur: reliquis autem & benè, & malè vti possumus. Eustr. c. 1. 4. Ethic.

HORVM EXPVGNATIO EX EVSTRATIO.

62 verùm optimè refellit Eustratius illos, quòd in istis paucis verbis dupliciter peccent. primùm enim virtutis, & vitij ne vsus quidem prorsus vllus est, vt neque benè, neque malè nos vti ipsis dicendum sit, non enim his vtimur: sed per haec ipsa reliquis. alia verò in vsum cadunt, quaequè in vsum cadunt sunt eiusmodi, vt & benè, & malè vti ipsis valeamus.

63 deindè neque ex his quae assumunt, rectè id colligunt, quod opinantur. nam si ea quibus benè vtimur bona, quibus malè mala sunt, nemini dubiū est quin cōficiatur, vt ea quibus

& benè, & malè vti possumus, & bona, & mala sint. non enī ita sumunt, vt dicant ea, quibus benè vtimur non esse mala: ea item quibus malè non esse bona. sic etenim nequè virtus bona: sed non mala: nequè vitium malum: sed non bonum esse demonstraretur.

64 adde quòd absurdum etiam est, vt pro vtentium ratione rerum ipsarum natura immutetur, si namquè id quo quis male vtitur, vel esset malum, vel nequè bonum, nequè malum, consequeretur vt & Socrates, quo Athenienses malè vsi sunt vel malus, vel nequè bonus, nequè malus fuerit. quod de Anaxarcho, quo etiam Nicocreon Tyrannus malè vsus est, dicendum esset, idem & de Zenone, & de alijs compluribus.

65 sed vltrà Eustratium id quoquè animaduertes eos etiam propositum non demonstrare, quòd ex malis saepius diuitiae colligantur, vt lenocinio, arte meretricia, & similibus. sicut enim ex falsis verum per accidens interdùm colligitur sic & ex malis bonum.

66 quòd si & adhuc simul instes cum Seneca, quòd sicuti nunquam ex veris falsum, sic nunquam ex bonis malum, cùm tamen ex diuitijs multa oriantur mala, respondebit Posidonius diuitias non propterea mali esse caussam, quia id efficiant ipsae: sed quia facturos irritant. alia est enim caussa efficiens: alia praecedens, sic enim & virtus ipsa inuidiae caussa est praecedens, non autem efficiens.

in Ep. 86.

STOICORVM, ET PERIPATETICORVM IN SVPRADICTA QVAESTIONE CONCORDIA, EX SENECA.

67 bonum autem duplex est, alterum nempè vt ars, alterum vt instrumentum. animi bona vt artes sint solummodò bona: reliqua verò bona, vt instrumenta bona sint.

Seneca in Ep. 86.

ARISTIPPI, CYRENAICORVMQVE OMNIVM FELICITAS VOLVPTAS CORPOREA:

68 inter bona corporis assumpserunt sibi pro felicitate voluptatem Cyrenaici, qui quidem ab Aristippo Socratis discipulo fluxerunt. isti enim cum suprà corpus nihil agnoscerent, viderentquè omnia ab incorrupta natura ad voluptatem ordinari, eamquè sibi primò appetere, & pueros, & infantes, & bruta, omnesquè dolores malos esse, maximequè

fugiendos

fugiendos, folebant palàm canere.

„ Cùm te mortalem noris praesentibus exple
„ Delitijs animum post mortem nulla voluptas.

Diog. Laer. in vita Aristip.

69 illam verò satis superiorum Philosophorum sermone tritã propositionem, voluptatem nempè corpoream à corporis indigentia nasci, argutijs nonnullis falsam demonstrabant, asseruerunt enim non ab indigentia sitim: sed à mutatione meatuum figurae oriri, quòd qui noctu sitiunt, si obdormiant absquè potu à siti liberantur, & febricitantes inclinante morbo aut prorsus decedente, simul etiã sitire desinãt & multis vbi lauerunt, aut adeò vbi vomuerunt sitis abijt: cùm tamen humor harum rerum non augeatur. meatus itaquè duntaxat mutata figura ordinem alium, affectionémquè nouam praebuerunt.

Plutarch. symp. l. 6. q. 2.

70 manifestius & hoc iuxtà eorum opinionem apparet in fame. multi enim egroti alimento indigi appetitione carẽt nonnullorũ cum impleti sunt nihil remittunt appetitus: sed vel in eodem statu perseuerant, vel eadem affectio illis augetur. iam multi eorum qui inediam tolerauerunt oliua salsa gustata, statim appetitus earum instauratus est. quae sanè maximè videntur ostendere voluptates corporeas ob meatuum affectionem nõ ob indigentiam accidere nobis.

HORVM EXPVGNATIO EX ALEXANDRO APHRODISAEO, ET PLVTARCHO.

71 verùm illa non satis probant voluptatem indigentiam semper sibi adnexam non habere. illa enim meatuum figurae mutatio, quae famem, & sitim inducit, qualis tandem est? ego enim aliàs meatuum differentias non inuenio, quàm secundùm multitudinem, & quod vel claudantur, vel aperiantur, & conniuentes quidem nequè cibum possunt, nequè potum admittere. aperti vacuum, & spacium parant quae est indigentia eius, quod naturae sit familiare.

72 febricitantibus autem & ijs, qui sitientes obdormiunt idem euenit, quod & horto, in quo puteus aquae ditissimus sit, cùm in eo tamen nemo sit, qui illam hauriat, & diffundat plantas sitire, ac alimento destitui necesse est. at si quis per hortum riuulis crepitantibus irrigauerit fruticeta iam debito

bito humore madefacta nutriuntur, ac vireſcunt: ita & in corpore ſi humor omnis in vnum contrahatur locum, mirum non eſt indigere caetera, & arere, donec is rurſum, vel per remiſsionem morbi, vel per ſomnum omnes impleat partes.

73 nequè in lauacro ob mutationem figurae meatuum ſitis ceſſat: ſed carne humorem recipiente, ij vapore humido implentur.

74 vomitus autem quod à natura alienum eſt eijciens, ei fructi accommodatis facultatem praebet. nec enim abundantem: ſed naturae conuenientem humorem ſitis appetit. itaquè etiam ſi copia alieni adſit, tamen indiget homo, cum naturae congruenti humori impedimento ſit peregrinus, nequè illum permiſceri ſinat, donec alieno eiecto ſuũ meatus humorem recipiant.

75 poſtremò quae aperiendi vim habent, & acrimoniam, ea fortaſſe non appetitum: ſed morſum ſicut pruritum quemdam recipientibus nutrimentum partibus inferunt.

76 atquè vt eam affectionem demus appetitiuam eſſe probabile eſt, ea quae ſumuntur tanquam acuta acria, & ſalſa materiã comminuere, atquè diſsipare, vt attenuatis ijs, quae par eſt excerni, fieri indigentiam non mutatione meatuum ſitus: ſed ijs vacuatis, ac repurgatis.

Plato in Philebo.

77 non erit itaquè felicitas in voluptate corporea, quandòquidem illa cum abſquè indigentia, vel nullo modo, vel certè vix corpus mouere poſsit, pura minimè poteſt appellari; quinimò ſemper doloris particeps ſaepius poenitentiam, ſatietatem, morboſquè parit: atquè cum ob eã in eodem etiam tempore in contrarios affectus, diuerſaſquè ſententias animus diſtrahatur, hominem illius ſectatorem ſibimet ipſi contrarium, & diſſonum cum Socrate pronunciamus.

COROLLARIVM.

78 hinc forſan rectè Pythagoras virtutem harmoniam quandam eſſe dixit.

ΕΡΓΑ.

79 nequè verum eſt ab incorrupta natura ad voluptatem omnia dirigi, cùm & notum ſit voluptatẽ animalibus propter

actiones

actiones inditam esse: non autem è conuerso, omninò enĩ absurdum est dici nos ali non vt seruemur: sed pro voluptate, quae in alimento sumitur. Alex. Aph. l. 4. q. c. 23

80 sed & voluptatem quae venereis rebus aduenit si quis naturaliter inquirat non alterius gratia inueniet disseminatam nisi filios procreandi, vt à voluptate incitata animalia ad coniunctionem non sint segnia: si verò manifestè in his voluptates animalibus actionum gratia fiunt, & in alijs naturalibus actionibus sic se habere rationabile est.

81 quòd si omnia vt etiam & Plato testatur primò voluptatem appetunt, id de illa intelligatur primitate: quae temporis ab Aphrodisaeo vocatur: non autem de illa, quae est perfectionis. primùm enim appetibile tempore voluptas. perfectione verò felicitas. 3. de ll. c. 4. lib. 2. de anima.

STOICORVM, ET CYRENAICORVM, AC PLATONIS, ET ARISTOTELIS DE PRIMO APPETIBILI TEMPORE CONCORDIA. EX APHRODISAEO.

82 verùm huic dicto repugnabunt forsan Stoici, & Aristoteles, qui nosmetipsos nobis ipsis primùm appetibile tempore dixisse visi sunt. id enim Stoicos credidisse affirmauit in officijs Cicero, & Aristoteles in nono Nichomachiorum se ipsum maximè amandum esse arbitratur. dixerim ego simul cum Alexandro quòd sicuti finis duplex est, quod nẽpè & cui. quod vt felicitas: hoc enim est omnium bonorũ maximum, & vltimum, & scopus. cui verò nobis. vt quantum ad res spectat felicitas sit finis, & scopus, quantum autem ad nos, nos beatam vitam ducentes. in 1.

83 sic & primum appetibile sit duplex: nos nempè appetibile cui, voluptas verò quod. 1. concordia.

VLTIMA OBIECTIO CYRENAICORVM DE DOLORE DILVTA.

84 dùm autem obijciunt quòd sicuti omnis dolor est malus, eumquè prae omnibus semper euitamus, sic & omnis voluptas bona, eamquè maximè omnium appetimus, dicimus nos & omnem dolorem non esse malum (nec enim mali sũt illi dolores, qui ob fortitudinem in honesta morte interdũ

solent

solent ab optimis viris auidè concupisci) & proindè ita vt non omnes reformidandos, sic & non omnem voluptatem amplexandam.

85 tùm eorum consequentiam optima responsione rescindi posse. licet enim omnis dolor malus: non attamen omnis voluptas bona. sunt enim quaedam voluptates, quae in excessu positae dolori tanquam malo malum opponuntur. illae verò quae in mediocritate consistunt, à dolore veluti bonum à malo seiunguntur.

Alex. 4. li. q. c. 16. & cap. 7.

86 magisquè ab honestis viris respuuntur turpes actiones quā dolores, sicuti & magis actiones bonae, quàm voluptates ab eisdem expetuntur.

QVO PACTO CYRENAICORVM OPINIO AD BONVM SENSVM POSSIT REDVCI. EX SCALIGERO.

87 Cyrenaicorum verò opinio ad bonum sensum reduci posset si quaecunquè de voluptate corporeá dixerunt, non tanquā de felicitate: sed tanquam de illa re, quam propriè Graeci οἰκεῖον πρῶτον nuncupant, dicta velint, est autem οἰκεῖον πρῶτον apud Graecos duplex. alterum non satis propriè sumptum, quod est homini peculiare excellentia sua, estquè beatitudo. alterum quod est homini peculiare tempore, & est voluptas, in quo significato tanquam apud Graecos magis vsitato defenderunt forsan Cyrenaici voluptatis appetitum.

Scaliger in Gard. exe. 307. c. 26.

EPICVRI FELICITAS INDOLENTIA.

88 at melius Cyrenaicis Epicurus indolentiam statuit: videmus enim à natura voluptates animalibus ob indolentiam tribui: namquè esculenta, poculenta, venereaquè ad repellendam famem, ad explodendam sitim, & ad eam repellendam molestiam, quam seminis excessus solet animalibus inferre, proponuntur à natura, vt Galenus animaduertit. fuerunt etiam inter Ethnicos philosophos nonnulli viri continentia satis perspicui, qui & interdùm indulserunt libidini, non à voluptate veluti aliquo bono illecti; sed vt noxam euitarent, quae illis obrepere corpori ob longam castimoniam videbatur.

Lib. 6. de locis affe.

Diogenes Cynicus

89 hanc autem indolentiam non in voluptate (vt malè sensit

Cicero)

Cicero) ſed in doloris ſolùm priuatione locauit. voluptas .n. aliquid iuxtà Epicureos ponit in eſſe, & proindè neceſſariò gignitur ex atomis. hinc fit ex illorum, ſicuti etiã ex Cyrenaicorum opinione omnes voluptates, ſeù corporis, ſeù animi corporeas eſſe: quamobrẽ omnes ex eorum ſententia dolorem ſupponunt cùm ab indigentia fiant, ideoquè apud ipſos indolentia magis eſt appetibilis, quàm voluptas. 1 de finib.

90 atquè primò voluptatem ex corpuſculis oriri demonſtrat nobis Epicurei dogmatis canora illa Lucretij tuba, quae ſic intonuit.

„ Vt facilè agnoſcas de leuibus, atquè rotundis l. 1. de nat. rerum
„ Eſſe ea, quae ſenſus iucundè tangere poſſunt.
„ At contrà quae hamata, atquè aſpera cumq; videntur,
„ Haec magis hamatis inter ſe nexa teneri,
„ Proptereaquè ſolere vias reſcindere noſtris
„ Senſibus, introituquè ſuo perrumpere corpus.

in quibus carminibus doloris, & voluptatis cauſſa redditur.

91 inter haec autem medium quoddam conſtituit Epicurus, quod caeteri vocarunt indolentiam, ipſe verò titillationẽ, cuius afferunt cauſſam eiuſdem Poetae hi verſus.

„ Sunt etiam, quae iam nec leuia iure putantur in 2.
„ Eſſe, nequè omninò flexis mucronibus vnca:
„ Sed magis angellis paullum proſtrantibus, & quae
„ Titillare magis ſenſus, quàm laedere poſſint
„ Fecula iam quo de genere eſt, viniquè ſapores.

92 ſic & felicitatem in indolentia perſiſtere idem quoquè his carminibus teſtatur.

„ O miſeras hominum mentes, ò pectora caeca lib. 3.
„ Qualibus in tenebris vitae, quantiſquè periclis
„ Degitur hoc aeui, quodcunquè eſt, nonnè videtis
„ Nil aliud ſibi naturam latrare, niſi vt cum
„ Corpore ſeiunctus dolor abſit, mente fruatur
„ Iucundo ſenſu cura ſemota, metuquè?

93 hanc verò addidit quoquo pacto mortuis etiã cõmunicari, atquè ſic Chryſippi rogatiunculam de ſtatua, quae manum porrigebat, credidit ſubterfugere poſſe, quod & Lucretius memoriae mandauit.

„ Tu

„ Tu quidem vt es laeto sopitus, sic eris aeui,
„ Quod superest cunctis priuatu' doloribus aegris.

HORVM EXPVGNATIO.

94 sed ex Epicuri sententia ridiculum quid consequitur actũ nempè secundum primo imperfectiorem esse. vbi enim voluptas, vel dolor, ibi actus secundus ob atomorum concursum. vbi verò felicitas, & indolentia, ibi quoquè actus primus. quamobrem ex istius viri sententia potentiam nobiliorem actu quis facilè tuebitur.

Aleq.95.l. 4. cap.14.

95 non itaquè felicitas si quid ipsa perfectissimum est (vt inferius patebit) in quiete debuit locari.

96 praeterea cum & hanc indolẽtiam in animo magis exoptet, quàm in corpore (carpebat enim si Diogeni credimus Cyrenaicos corporis voluptates animi voluptatibus praeferẽtes) magis erat haec felicitas voluptatis, quàm indolentiae nomine designanda. quaecunquè enim à brutis appetuntur (vti supra probauimus) indolentiam respiciunt. solùm inter omnia mortalia est hominis animus voluptatis, qua voluptas est capax, quod & in Picturae prospectu, & in Musicae auditu, & in alijs multis videre licet. sed quo pacto Epicurus cum Peripatetico possit conciliari in Metaphysicis declarabitur.

Diog. Laer. in eius vita.

CROESI LYDII, ET MYDAE PHRYGII FELICITAS DIVITIAE.

97 Lydius Croesus, & Mydas Phrygius felicitatem in diuitijs posuerunt, cuius quidem positionis nos duplicem possumus assignare rationem. prima est quòd cum felicitas sit omniũ bonorum aggregatione status perfectus, proindè absurdum non erit si constituatur in numismate, quod & Philosopho teste, veluti fideiussor est habendi quodcunquè voluerit homo. secunda quòd desiderium circa pecunias, & opes est infinitum. atqui nihil nisi summum bonum sui desiderium admittit infinitum.

5. Ethico.

98 quòd si illos vrgeas facultates tanquam instrumẽta felicitatem esse non posse, audacter tibi respondebunt instrumento nihil cõtrariũ reperiri, atqui diuitijs paupertatẽ aduersari.

HORVM EXPVGNATIO.

99 istos verò optimis refellit Egidius argumẽtis. primò quod numismata

numiſmata talia ſint hominum poſitione, ſecundò quòd indigentiae non ſatisfaciant ex ſe, tertiò quòd ad aliud diriguntur. atqui fiunt homines natura beatitudinis cõpotes, ob quam cum nullius rei ſint amplius indigi, nihil etiam aliud expetunt. de Reg. prin. cap. 6.

100 eorum autem argumentis occurrit D. Thomas, quòd Ariſtoteles ea tantùm, quae venalia ſunt, pecunia poſſe haberi fateatur, & tùm etiam diuitias ob vſum expeti. & proindè vocabulo Graeco χρήματα ἀπὸ τῆς χρήσεως appellata sũt. 1. 2. q. 2. art. 1.

101 inexhauſtus autem pecuniarum appetitus ob rei poſſeſſae vilitatem, atquè contemptum oritur. quò enim opum copia magis conſpicui ſumus, eò minus ob rei inſufficiẽtiam deſiderium acquieſcit. quamobrem, & vehementiſſimus adhuc permanet appetitus. at iuxtà Philoſophos cũ expleri poſsit felicitatis appetitio non eſt infinita.

102 dum verò diuitias inſtrumentum negant facillimè poterit quis oſtendere propoſitionum ab illis ſumptarum, neutrã rectè aſſumptam (quod & Alexander vidit) ſi enim quia toti, & ex forma, materiaquè compoſito inſtrumento nihil eſt contrarium, propter hoc nequè ſerrae, nequè cithatharae dicat quis eſſe aliquid contrarium, nequè igni etiã ita ſumpto erit aliquid contrarium, nequè alicui aliae cõpoſitae ſubſtantiae. ſi verò ſecundùm paſsiones, qualitateſquè ſit contrarietas, ita vt igni ſecundùm caliditatem, ſiccitatemquè ſunt aliqua contraria, ſic & ſecuris acuto obtuſum erit contrarium, graui verò leue, ſiquidem indiget ipſa, & grauitate, & acutie. eadem & in alijs inſtrumentis ratio.

103 praetereà ſi quis diceret priuationem, à qua poſsibile eſt habitum genitum iri, illi contrarium, omnibus hic generabilibus eſſe aliquid contrarium diceret, non ſolis inſtrumentis. in omnibus enim eſt huiuſmodi priuatio, in quo oppoſitorum genere paupertas diuitijs aduerſatur.

PERIANDRI CORINTHII, ET LYCOPHRONIS FELICITAS HONOS.

104 Periander autem Corynthius, Lycophrõquè ſummum bonum honorem vocarunt, quòd omnium finis ipſis videntur.

Horum

HORVM EXPVGNATIO.

105 sed nec etiam isti verum tetigerunt scopum. felicitas enī possidentem perficit, & proindè illius quid proprium videtur. honor verò nō in illius est potestate, cui defertur: sed in illius qui defert, ea propter fit, vt & indigno tribuatur, & dignus eo priuetur, ob eius qui honore afficit prauum iudicium.

1.Eth.c.4.

106 praeterea melius est honorare quàm honorari, siuè superiorem, siuè parem, siuè inferiorem assumas. & primò qui maiorē honore prosequitur iustè agit, qui verò parē amicè. qui demùm inferiorem gratuitè: atqui iusta, amica, & gratuita operatio, passione iusta, amica, & gratuita multò appetibilior.

107 postremò non ob se: verùm ob aliud expetitur honos. volunt enim homines à viris prudentibus, & ab amicis honore affici, vt hoc veluti indicio cognoscantur virtute praediti, & virtutis ergò his honoribus ornari.

BONVS SENSVS OPINIONIS PERIANDRI, ET LYCOPHRONIS. EX EVSTRATIO, ET BVRIDANO.

108 verùm si ab istis honos ita sumatur, vti à magnanimo debet appeti, non video cur eorum opinio defendi non possit. sicut enim magnanimus ad honores extrinsecus accedentes minimè tendit, aliòquin (ipsemet Aristoteles aduersaretur sibi, quod & Eustratius doctissimè vidit) sed eò respicit, vt dignum se praestet proborum virorum honore, & huius praestantiae, ac dignitatis sibi ipse conscius, si honore afficitur, libenter admittit, ac laetatur: sin minus in conscientia dignitatis suae acquiescit: nec tamen magnanimus desinit esse. sic forsan Periandri, & Lycophronis felix honorem appetens, siuè ab alijs honoretur, siuè non, semper felix erit.

lib.4.Eth. cap.3.

109 quemadmodum enim Deus cum sit sufficientissimus se ipsum primò ita diligit, vt eius dilectio in se ipso perfectissimè quiescat: cùm tamen secundariò super res ab eo creatas, vt ejs suam bonitatem largiatur amādo transeat. ita simpliciter bonus se ipsum bonum, & felicem primò diligit: desiderat tamen deinceps suam bonitatem alijs fieri

fieri euidentem, vt eam debito afficientes honore, participent, & proindè meliores reddantur.

STOICORVM FELICITAS VIRTVS.

110 satisfacient forsan aliquibus Stoici, qui virtutem solam vltimam hominis felicitatem posuerunt. tùm quòd malitia per se solam ad miseriam sufficiat, & propterea virtus sola debet ad beatitudinem satis esse. tùm quòd tranquillitatis mater sit ipsa virtus, cum ea praesente appetitus, & ratio minimè dissideant: sed potius reciprocè consensus & vnitas adsit maxima. Gell. li. l. 18. cap. 1. Seneca Ep. 92.

HORVM EXPVGNATIO.

111 verùm quomodò huic assentiendum est parti, si felicitas quid perfectissimum est, virtus autem imperfecta existit? fatentur enim ipsi summum id esse bonum, quod extrà se nihil habet, & tamen virtus, cum actus sit primus, secundũ vti perfectiorem requirit.

112 praeterea sicut homo totus agere dicitur animo tanquàm efficiente: corpore verò veluti instrumento. sic & ille animi primùm virtute instructus, deindè etiã externis bonis adiutus verè beatus dicitur. non igitur sola virtus sufficit.

113 deindè iuxtà illorum principia sic illos optimè redarguit Alexander. si Dij hominibus prouident bonum aliquod eis praebent, omne enim quod alicui prouidet, bonum aliquid ei, cui prouidet adipiscitur. atqui secundùm quos sola virtus est bonum. cum illa in nobis, ex nobis, & à nobis sit, Dij hominibus non prouident, cum nullum illis conferant bonum. ergò vel nulla est prouidentia, quod nullo pacto admitterent Stoici. vel aliud datur bonum praeter honestum. quae tamen ratiocinatio in vera philosophandi ratione nullius esset põderis, vt in tertio libro declarabimus. lib. 1. cap. 14. quaest.

114 quòd verò ad miseriam vitae conficiendam satis malitia valeat: non tamen ad praestandam vitam beatam sat esse virtutem rectè quis poterit inferre, non quòd hoc argumẽtum ea euertatur argutiola qua de congio vini vsus est Peripateticus ille apud Gellium, cum id (& Phauorino teste) captio magis lepida sit, quàm probum aut simile argumẽtum. verùm quia (vt & Alexander admonuit) cõtrariorũ Noc. Att. l. 18. c. 1. 2. Top. loco 25.

consequentia valet interdum ordine commutato sicut & hic. valet enim vitiosus ergò infelix. at non virtuosus ergò felix, sed felix ergò virtuosus.

115 cuius dicti ratio ex eo desumi potest, quòd ad alterum cõtrariorum nonnulla per accidens requirantur, quorum non est indigum alterum. licet enim imperitia ad malam operationem per se sufficiat: non attamen peritia satis est ad rectè agendum, cùm absquè instrumentis nullum bonũ opus possit à perito confici.

STOICORVM FELICITAS DEFENSA, ET CVM ARISTOTELEA CONCILIATA EX BVRIDANO, ET EVSTRATIO.

116 si verò virtutes sine actu ita Stoici sumpserunt, vt actum tantùm transeuntẽ secluderent, tacitè subindicantes essentiam felicitatis in immanenti actu permanere, non video cur ab Aristotele, & veritate discrepent. sunt enim actus immanentes imperantes, & dirigentes. actus autem transeuntes imperati, & directi. dirigens autem nobilius directo, & imperans imperato. debet autem felicitas in nobiliori parte locari.

Burida. p. Eth. q. 10.

117 quòd verò dixerunt felicitatem bonorum corporis, & fortunae adminiculo non indigere id forsam secundũ Eustratium ita intelligendum est, vt felicitas sui caussa illis non indigeat (si enim sui caussa externis egeret bonis, rebus longè se deterioribus indigeret, quod sanè videtur absurdum) sed ob subiectas res in quibus ciuilis versari consueuit, quae disponi, ac perfici sine pecuniarum subsidio non possunt. nec minus etiam in multis domestici, amici, ministri, & serui conferunt.

Eustr. 1. Eth. c. 8.

118 vel dicas ex vitarum differentia (sicut & in alio loco ipsemet Eustratius testatur) ciuilis inquam, ac purgatoriae in hac re aliter, & aliter dicendum. nam quemadmodum virtutes ad vtramquè harum alio, atquè alio modo accõmodantur, vt in altera affectuum moderationes in altera sublationes penitus sint, ita quoquè felicitas, & beatitudo, alia est si ciuili, alia si contemplatiuae, & purgatoriae vitae accommodetur. ibi enim est moderatio affectuum solùmodò, & in irrationales perturbationes dominatio rationis

Eustr. 1. Eth. c. 7.

nis cum ea scilicet iubet, atquè imperat; illae obediunt, subditaeq; imperio sunt: atquè ita & eatenus operantur, quemadmodum & quatenus praesidens ratio definierit, aguntquè res ciuiles prudenter, & secundum leges, & instituta ciuitatis, siquè hactenus processerint satis ciuili vitae est, quae ad suam perfectionem consequendam, & bona fortunae, ac corporis efflagitat.

119 purgatoria verò quia praesentes has consuetudines prorsus respuit, supraquè hominem degere proposuit: ac quãtum ad propositum, & voluntatem separationem à corpore meditatur, propriamquè mentem ita conatur eleuare, vt suprà inferiora haec penitus sublata, omnia quae sub tẽpus & primum motum sunt, relinquat, ad Deumquè ascẽdat, ac euolet, videtquè terrena haec bona suum hoc studium retardare, eleuationemquè mentis, ac volatum impedire, & deprimere, idcirco aduersus illa, quasi hostes affecta est, cum illisquè bellum implacabile sine vllis inducijs gerit.

PARMENIDIS, PLATONISQVE FELICITAS BONVM IDEALE.

120 Plato verò (vt Aristoteles asserit) bonum quoddam Ideale statuit, quod quidem appeterent homines, & in eo perficerentur: sed ab eo refellitur, tùm quòd Ideae minimè dentur, tùm quòd si concedantur limites tamen excedant actiuae vitae. cap. 5. 1. Eth.

PLATONIS DEFENSIO.

121 sed Platonis partes facilè quis tueri poterit, dummodò ab affectu immunis rem sano perpendat oculo. is enim Deum optimum maximum essentia qualibet eminentiorẽ omnis tamen essentiae fontem, & caussam existimauit. hinc Platonici Deũ neq; ens, neq; intellectũ esse affirmãt, quòd entis, intellectus rerumquè omnium caussa sit & scaturigo. i Sophista

122 quemadmodum igitur quaecũquè agunt, illius agunt virtute, sic & quaecunquè appetuntur ob illius communicatã bonitatem appetuntur. ipsum itaquè maximè appetibile: quod & Aristoteli conuenire in Metaphysicis indicabimus.

PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA DE FELICITATE ACTIVA, ET PLOTINI OPINIO EXPLOSA.

17. & Rep.

123 hoc verò ideale bonum iuxtà Platonis opinionem ad cõtemplatiuam vitam attinet. aliud verò bonum, & ipsemet Plato cognouit, quod actiuae vitae limites non egreditur, neque enim quo ad hoc Plotino magno Platonicorũ Regi fauere possum, qui quidem iuxtà Platonem nullam dari felicitatem actiuam audacter asseruit, quòd homo nihil aliud sit quã anima rationalis corpore vtens mentis particeps, & proindè eius felicitatem in mente tanquam in parte superiori: non in caeteris tanquam in inferioribus poni debere.

Plot. Enn. 1. lib. 2. Plato in Alcibiade.

124 is enim valdè proculdubio recedit à veritate: namquè apud Platonem quaecunquè intellectu, rationequè praedita ab vno remouentur, cum hinc superiora, indè habeãt inferiora, duplex quoquè fortiuntur officium. nam si ad superiora se vertant contemplantur, si ad inferiora conseruant. ideo anima rationalis cùm inter mentem, & sensibilia medium obtinuerit locum, si mentem respicit contemplatiua felicitate fruitur: si verò ad imaginationem, sensibiliaquè tendit conseruando felicitatẽ producit actiuae vitae, vti Socrates apud Platonem contra Trasymachum testatur.

in Philebo, & in 1. de Repub.

125 hanc verò felicitatem actiuam in εὐτυχίᾳ in εὐπραγίᾳ & in εὐδαιμονίᾳ collocasse visus est Plato, neque enim benè, beatèquè viuere possumus nisi adsint multa bona, & ita adsint, vt & prosint: non possunt autem absquè vsu prodesse, quandòquidem sola possesio nihil iuuat. ad vsũ verò rectum maximè prudentia confert. proindè ad nostram felicitatem, & bonorum copia, & eorum vsus, & prudẽtia requiruntur, quae omnia valdè Peripatetica sunt quod vt clarè liqueat ad Aristoteleam felicitatis descriptionem accedamus.

in Euthydemo.

2. concordia.

VERA FELICITAS EX ARISTOTELIS SENTENTIA.

126 et in primis neminem adeò rudem arbitramur, qui eam vltimum omnium actionum finem non supponat, ob quod iam patere potest ab ea omnem potentiam, tùm proximã,

1. Eth. c. 7.

tùm

tùm remotam refelli.

127 actus erit itaquè vel saltem in actu locum sibi vindicabit. is autem duplex cum existat, alter quem Graeci Κατὰ ἕξιν appellant, alter autem Κατὰ ἐνέργειαν quis nam horum felicitati adiudicabitur? & sanè vltimus felicitati, vel maximè adnexus est: primus etenim in eum dirigitur.

128 haec verò licet ita se habeāt, possumus tamen & contrariū absquè contradictione tueri: cum & interdùm operationes ad habitum dirigantur. non erunt attamen eaedem cū superioribus; sed Κατὰ διάθεσιν.

129 operationes autem hominis, vt eum ad felicitatem manuducant necessariò ex illa potentia manabunt, quae ipsius quatenus talis propria est, & propterea rectè sic describi poterit haec felicitas, vt sit operatio animi per virtutē in vita perfecta.

PLOTINI, ET ARISTOTELIS APPARENS DISCORDIA DE AVGVMENTO FELICITATIS CONCILIATA.

130 quaeritur autem à Plotino nùm felicitas augeatur tempore, in eamquè vertitur partem, vt credat id minimè fieri, cum id solum quod bonum est felicitatem metiatur, non etiam tempus, cui rei Aristoteles in Idealis boni expugnatione procul dubio adstipulatur. licet alibi plures operationes ad felicitatem adipiscendam requirat, quòd dùm est in dispositione possit augeri: nō aūt dùm est in habitu. l.5.1.enn. cap.6.

131 sed cum miser lōgiore tēpore miserior fieri videatur, cur non & felix simili ratione felicior? an quia felicitas summa certum quendam possidet terminum, gradumquè in bono summum, ideoquè terminum semper habet eundē. malum autem quia ad non ens penitus tendit, propterea subiectū in dies magis, magisq; inficit? cū autē virtus ad felicitatem maximè requiratur, proindè circa illam, & prius circa illius principia immorandum erit.

PRINCIPIA VIRTVTIS.

132 principia verò virtutis sunt ea, quae ad constituendam quoquè generationem requirit Aristoteles, materiam nempè, formam, & priuationem, seu carentiam. Post. l.1. de prud. 1. Physic.

133 et in primis inopiam vnum è principijs esse ex eo facilè

conijcere possumus, quòd homo cum summa rerum inopià nascatur, & maxima etiam cum ignoratione: namquè solus cum sit ad eloquendum natus, septimo vix anno eloqui, quae sentit, exactè potest. datur itaquè homini comes indigentia, & excitatrix quasi quaedam ad ea comparanda, quibus sequè, vitamquè, & corpus tueatur, abijciatquè ignorantiam.

AFFECTVS.

134 materia verò virtutis sunt ipsimet affectus.

CHRYSIPPI OPINIO DE POTENTIA AFFECTVVM.

135 quos Chrysippus, & cum eo nonnulli Stoici in ea reposuerunt facultate, quae rationalis est per essentiam. ille namquè libro priore de affectibus ostendere conatur affectus ratiocinatricis virtutis quaedam esse iudicia, & propterea fieri, vt animalia rationalia, & pueri nondum rationis cōpotes affectu careant.

Galenus l 5. de plac. Hip. & Pla.

136 nequè tamen existimes Chrysippum in eo à caeteris Stoicis discrepare, quod & ipse cum alijs non arbitretur affectum irrationalem appetitionē esse rectae rationi necessariò repugnantem. sicut enim Graeci ἄφωνοι appellant aliquid vel vocis priuatione, vel vitio (si enim dicat aliquis pisces mutos esse, aut stirpes, eò quòd omninò vocem nō habeant ita nuncupat: si verò mutū Citharaedum, aut Praeconem appellauerit vitium aliquod vocis hominis indicat) sic & irrationale aliud est, quod ratione penitus caret, sicuti Seneca, & alij Stoici affectum irrationalem dixerunt. aliud verò quod ratione malè vtitur, quo pacto Chrysippus affectum irrationalem sensit.

CHRYSIPPI, ET SCOTI CONCORDIA DE POTENTIA AFFECTVVM.

137 à Chrysippo inter recentiores Scotus non valdè dissensit, qui & ipse affectus adiudicauit facultati rationali, voluntati nempè, & sanè non sine validissima ratione aberrauit à ratione. si enim affectus essent in facultate rationali, ergò & vitia, & virtutes. at virtutes nihil aliud sunt, quàm affectus temperati recta ratione, recta itaquè ratio est essentia virtutis. verum virtus est ἐν τῷ ἀλόγῳ ergò recta ratio in irrationali.

Scotus 3. sen. dist. 26. & 34.

Horum

HORVM EXPVGNATIO.

138 sed cum (vt Plato inquit) vno, & eodem temporis momento affectus rectae rationi aduersentur, nullo pacto in ratiocinatrici facultate possunt esse. 3. de Rep.

139 ad id autem argumentum, quod è Stoicae doctrinae penu adduximus, diceret sine dubio Galenus, vitium ab affectu segregari, quòd illud in voluntate, istè verò in appetitu debeat locari, quam distinctionem, cùm non aduertissent Stoici, maximas absurditates subterfugere non potuerunt. lib. 4. de placitis

140 sed melior erit responsio, si (vt in proemio quoquè dictũ est) affirmabimus virtutem, & vitium in voluntate quò ad respectum esse: sed quò ad actionem actam in appetitu, in quo etiam recta ratio ob participationem reperitur.

VARIAE AFFECTVS DEFINITIONES AB ANTIQVIS TRADITAE, ET EORVM EXPVGNATIONES.

141 dùm verò omnes Stoici vnanimes affectum ita definiunt, vt sit irrationalis partis appetitio rationi necessariò repugnans, à recta prorsus recedunt ratione: appetibilis enim animae pars (quemadmodum etiã admonuit Eustratius) cum auferri omninò, atquè eripi hominibus non possit excoli, ac modificari optimè potest: id quod in conuenientia, aequabilitatequè affectuum inter se fit. in eth. cap. 3.

142 Andronicus autem Rhodius ità definiuit affectum, vt dicat eum esse motum partis rationis expertis ex opinione boni, & mali, quae definitio non rectè confutatur ab Eustratio, siquidem opinionem accepit Andronicus pro omni eo, quod apparet, & includit sub appellatione boni quodcunquè iucundum est, vt risum, iocum, & cantum.

143 nequè tamen haec est bona definitio. poterit enim ex boni, & mali cognitione excitari motio in irrationali parte, quae tamen non erit affectus, quemadmodum cum ex imperio ipsius rationis irrationalis mouetur ad contemplationem. ista enim motio propriè affectus dici non potest.

144 Boethus verò affectum animae motum irrationalem esse dixit, qui magnitudinem quandam habeat, adiecitquè haec vltima verba; proptereà quod alij quoquè nonnulli

parui motus eiusdem huius partis cum conciliatione, vel alienatione ab aliquibus rebus efficiuntur, quos affectus appellandos ob paruitatem non censet: qua in re quàm rectè sentiat non videmus: omnis enim affectuosae animae partis motus, modò non lateat quantuscunquè sit, appellari affectus debet.

145 et haec opinio valdè conuenit cum doctrina Stoica, quae huiuscemodi paruos motus non aufert à virtute: cum tamen affectus demat.

146 Eustratij verò definitio, quae talis est, affectus est motio partis irrationalis, cum voluptate, vel dolore, nobis minimè probatur; nequè enim finem declarat, & caussam efficientem haud intellexisse videtur.

VERA AFFECTVS DEFINITIO.

147 vt veram igitur definitionem tradamus id in primis tanquam suppositione vtimur affectus in ea animae consistere parte, quae potest esse particeps rationis, cuius partis motio fontem internum habet: non vt aliqui arbitrabantur à iucundo, & à tristi, ad quae tanquàm ad finem fertur, ita vt quod ab Eustratio pro caussa efficiente accipiebatur, sit pro fine ponendum. quamuis Eustratium etiam defendere posimus.

148 caussa verò efficiens est consensus, vel repugnantia quaedā naturalis: nam cum offertur obiectum inter quod, & facultatem sit affinitas, vel dissensus, statim sequitur, nasciturquè affectus, vel prosecutionis, vel declinationis, ex quo apparet contrà nonnullos Stoicos motum hunc maximè naturalem esse.

149 definiatur itaquè affectus, motio facultatis appetentis ad iucunditatem, vel tristitiam ex consensu, vel repugnantia inter facultatem appetentem, & obiectum. quae definitio ex arcanis celeberrimi praeceptoris nostri FEDERICI PENDASII deprompta est.

AFFECTVVM DISTINCTIO IN STOICOS PRO PLATONE.

150 affectus Stoici deducunt in quatuor species principes, in voluptatem nempè, dolorem, timorem, & cupiditatē: sed

sed illis ni fallimur praeferendus est Plato, qui melius, & distinctius sex quandoque affectus connumerat voluptatẽ, dolorem, timorem, fiduciam, cupiditatem, & iram.

151 possunt enim Stoici percunctari, cur cum timorem tanquàm generalem affectum assumpserint, eius praeterea oppositum, fiduciam nempè praetermiserint?

152 adde quòd iram quoquè videntur praeterijsse. dicunt enĩ cupiditatem eam esse: cùm tamen cupiditas minimè sit. nam licet ad idem genus, hoc est ad appetitionem ambo referantur: cupiditas tamen iucundi solius appetitio est: ira verò vindictae, ac retaliationis, vt etiam Eustratius docuit. 2.Eth.c.3.

COROLLARIVM.

IN HENRICVM GANDAVENSEM, D. THOMAM, ET EGIDIVM PRO SCOTO DE OBIECTO APPETITVS IRASCIBILIS.

153 ex quibus apparet Scotum cum Eustratio, & cum Platonicis maximè consensisse, dùm ita irascibilem à concupiscibili non distinxit, vt irascibilis obiectum esset bonum arduum: concupiscibilis verò bonũ simpliciter, quod Henricus Gandauensis, Thomas, & Egidius crediderunt: cùm enim obiectum irascibilis sit quoddam nolle non quidem propriè refugientis, sicut concupiscibilis nolens refugit: sed magis respuentis, siuè repellentis, quia irascibilis nolens repellit (non enim tantùm vult amouere impediens: sed etiam vltrà punire) quo pacto ira non distinguetur à cupiditate? 3.sen. dist. 26. & 34. quolib. 8. q. 15.

ΕΡΓΑ.

154 forma verò virtutis iuxtà Stoicos est ἀπάθεια iuxtà Peripateticos μετριοπάθεια.

IN ΑΠΑΘΕΙΑΝ STOICORVM.

155 virtutis autem formam Stoici impassibilitatem dixerunt & proindè illam collocarunt in affectuum omnium amputatione, idquè penitus malè. homo enim cum ex anima, & corpore conflatus sit, neque purus intellectus est, neque purum sensitiuum: sed medij rationem inter vtrũquè retinet. quare & actus eius proprius erit operatio quaedam media, in qua tanquam in actu mixta ratio se habebit Sim. Port. an homo spon. mal. cap. 3.

habebit, vt forma, & affectus, vt materia.

3.de coelo com. 67.

156 quòd si instes ea ratione, qua vrget Auicennam Auerroes, quòd sicuti si ignis deperderet aliquot gradus caloris posset omnes amittere, siquidem omnes sunt eiusdem rationis, sic si quis compescere posit iram, eamquè ità temperare, vt quatuor gradus affectus deponere posit, sic & facillimè eundem posse temporis longinquitate omnem iracundiam amittere: respondebimus omnes sanè affectuum gradus eiusdem esse rationis ad inuicem comparatos, vt tamen sumuntur cum homine nequaquam.

157 inest.n. substantiae nostrae affectus: at nõ excandescẽtia.

158 quanquam autem Stoici affectus omnes animae tollant: non attamen motum etiam omnem, vt multi perperàm dixerunt, auferunt. namquè si Gellio credimus, motum animae duplicem constituit Stoicus Epictetus, quorum alterum phantasiam nuncupauit, quae visio quaedam est animi, qua statim mens hominis prima accidentis specie terretur, & haec nequè voluntatis est, nequè arbitrij nostri, sed vi quadam sua sese infert hominibus, quam Stoici nõ sustulerunt.

l.19.c.1.

159 alter autem motus in his rebus consistit quas Graeci συγκαταθέσεις vocant, quibus eadem visa noscuntur, ac dijudicantur, voluntariaequè sunt, ac fiunt hominis arbitratu, & has omninò Stoicus à felici leuat.

Plot.lib.2. p. enn.

160 et sanè haec opinio si vltrà virtutes purgatorias, & citrà non egreditur vera est. quod & Plotinus asserit, alioquin falsa.

161 nequè enim vindicat sibi locum in virtutibus animi purgati: iam enim homo, tùm Heros est, & primos etiam motus amputauit.

CONCORDIA PLATONIS, ET ARISTOTELIS IN ΑΠΑΘΕΙΑ EXPVGNANDA.

in 1. & 2. II. Arist 2.eth c.3. & ibi Buiftratius 3. concordia.

162 minus etiam in Politicis non modò ex Aristotelis: sed etiam ex Platonis sententia, qui rectam eruditionem eam existimauit, ob quam adolescens illis gaudet, doletquè quibus gaudere, dolerequè debet. vndè Platonicos eos demirari quis rectè posset, qui impassibilitatem quasi Platonicum quoddam decretum introducunt, voluptatem q́ non

non modò damnant: verùm etiam tollere conantur.

VIRTVTIS MEDIOCRITAS.

163 cùm autem in affectibus his moderandis virtus mediocritas quaedam sit, considerandum est quomodo medium, hoc inter extrema positum sit. & sanè medium omne, vel rei est, & in Arithmetica proportione locatur, vel rationis, & in Geometrica. Arist. c.3. 2.Eth.

164 Arithmetica proportio cum ab vtroquè extremo aequè distet, sitquè vna, & eadem omnibus, reijcitur à virtute: virtus etenim rationem vniuscuiusquè rei expendit, & propterea si alicui decem minae multum, aut duae parum sunt, minimè sex ei secundum Arithmeticam proportionē dabuntur: quoniam huic nimis erunt. illi verò parum ob rationem diuersam.

165 erit itaquè medium virtutis in Geometrica ratione.

166 sed quo pacto mediocritas erit virtus vitiorum, si haec vt Pythagorici quoquè fassi sunt fine prorsus carent? nequè vel audaciae terminus aliquis praescriptus est, quòusquè progredi oporteat, vt audacia sit, vel timiditatis, & ignauiae, vel alicui ex alijs excessibus, & defectibus: an quia medium circa quod virtus consistit minimè est rei mediū? & propterea non eget fine, ac termino extrema concludēte: sed solummodò respectu nostri. Eust.l.2. Eth. c.3. Alex.l.4. q Nat. c. 27.

167 deindè cum virtus duorum vitiorum, non duorum vitij terminorum mediocritas dicatur, eiusmodi dubitatio sibi locum minimè vindicare potest. & proindè non terminorum medium virtus quaerit; sed deflexionum, declinationumquè ad terminos.

168 nequè mixtio in virtutibus medium facit: sed additio, & detractio, vt etiam in artibus.

PVLCHERRIMA CONCORDIA STOICORVM CVM ALIIS PHILOSOPHIS DE PECCATORVM AEQVALITATE EX D. BONAVENTVRA.

169 si quis verò Stoicorum opinionem defenderet; à superius dictis forsan recedere cogeretur. ipsi enim cùm omnia peccata dicant aequalia, non possunt cum Pythagoricis & alijs Philosophis consentire, qui nullum vitijs praescribūt terminum, nisi cum D. Bonauentura dicamus vitia, vt D. Bon. in 4. sen. dist. 18 q. 5.

priuationem

priuationem dicunt aequalitatem: quo ad caussam verò & inaequalitatem, & infinitatem admittere.

170 sed forsan quia ipsa virtus mediocritas est oportebit à defectu ad excessum procedentem primùm virtutem nancisci. at si essent mediae passiones, mediaque actiones virtutes fortassis id esset. si verò virtus est eò quòd haec recta ratione sunt definita, non omninò, qui in media aliqua passione fuit constitutus, iam & virtutē statim habet.

Alex.l.4. q.c.74.

171 et proindè non omnis etiam actio media, neque omnis media passio suscipit mediocritatem: quaedam enim ab initio prauae, & semper praui nomen retinent, vti inter actiones, furtum, homicidium, & adulterium, & inter passiones maleuolentia, impudentia, & inuidentia.

172 in quibus absquè dubio cum Stoicis consentiendum est, vt virtus sit impassibilitas.

173 existimauit tamen Eustratius, & in his interdùm virtutē locari posse, cum nempè ad maius bonum dirigantur. accidit enim interdùm, vt adulteria quaedam laude digna videantur, quemadmodum si quis cum Tyranni vxore rē habeat, eaquè ratione ad Tyrannum interficiendum, patriamquè liberandam sibi patefaciat viam. quod vti credimus, nec Aristoteli, nec Platoni displicet: attamen simpliciter falsum est.

Eust. 2. Eth c 6.

174 quanquam autem virtus mediocritas quaedam sit, & totū tamen etiam esse potest. quinimò per mediocritatem tāquam per medium, totum tanquam conclusio inferri poterit: nam quia in affectibus, & actionibus virtus mediocritas est, ex eo fit vt extremitas quoquè in eo, quod benè sese habet, existat.

175 ex his omnibus definiatur virtus habitus electiuus in mediocritate quantùm ad nos consistens, quae quidem mediocritas rationis lege praefinita est. propterea vt haec definitio melius expendatur de ipsa electione pertractandum est, & prius de spontaneo, & inuito.

SPONTANEVM, ET INVITVM.

176 est autem spontaneum quod principium in nobismet ipsis habet, inuitum autem id, quod aut vi coacti, aut per ignorantiam agimus.

Violentum

VIOLENTVM.

177 est autem violentum cuius principium extrinsecus eiusmodi est, vt ad id neque agens, neque patiens quicquam conferat. in qua definitione nonnulli extremam partem superuacaneam arbitrantur cum illis videatur satis absoluta definitio, violentum est cuius principium extrinsecus est. verùm non sine ratione etiam reliqua definitioni fuerunt adiuncta: potest enim interdùm principium extrinsecus esse, & ad id nonnihil agens, seu patiens conferre. quod in mixtis actionibus videre licet. Eust lib. 3. cap. 1.

178 sunt etiam qui malè hanc particulam, agens, additam fuisse opinentur: nam si violentum aliquid eueniat, neque ad id quispiam conferat, is cui id eueniret, pati, non agere omninò dicetur. at verò agere etiam violenter aliquis potest, si videlicet ab alio impulsus alium ipse protrudat, ac pellat inuitus.

INVITVM PER IGNORANTIAM.

179 ignorantia verò vel ipsius finis est, vel eorum quae ad finē.

180 ignorantia finis à malo habitu prouenit, & vitiorum perpetua comes est, soletque passim ab Aristotele nuncupari ignorantia finis, vniuersalis, sibi ipsi caussa, ob quam quis spontè operatur.

181 ignorantia verò eorum, quae ad finem tendunt, non à malo habitu prouenit, quādoquidem fine bono praesuposito ignorat ea tantùm, quae ad finem illum cōsequendum faciunt. & haec solet ab Aristotele vocari ignorantia eorū quae ad finem, actionum, particularis, & nō sibi ipsi caussa ob quam inuitus quis potest agere.

182 vt ergò Aristoteles has duas ignorantias specie re ipsa distinctas, distinctis quoque efferret vocabulis, eum qui ex finis ignorantia agit ignorantem agere ait: eum verò qui ex ignorantia eorum, quae ad finem tendunt, per ignorantiam agere.

MIXTAE ACTIONES.

183 inter spontaneum verò, & non spontaneum est mixtum, quoddam diuersum ab illis, quod tamē magis ad spontaneum, quàm ad nón spontaneum declinare videtur, vt iactus, qui in tēpestatibus fiunt, dependentq; ab eadē animae Arist. 3. et. cap. 1.

potentia

potentia, à qua etiam spontaneum, & non spontaneū fluunt, nec tamen duo contraria sunt in eodem subiecto.

184 hae verò actiones mixtae ex ea parte, quae in electione est, laudē, & vituperium maerentur: laudantur enim quando propter maius bonū minus malum, qualecunq; illud sit, fecerint, aut pertulerint. sic Zopyrus nasum sibi, & aures precidit, vt Babilonios hoc astu Dario subijceret, & Vlysses mēdici habitu cū Iro in suis aedibus certat, nè à Procis agnoscatur. vituperātur autē si propter minus bonū maius malū fecerint, vel pertulerint, vt quādo Dolon à Graecis comprehensus metu mortis Troianos suos hostibus prodijt.

Herodot. Homerus in Odyss. Dares phrygius & Dictis cre:

185 si verò necessitatē ipsā respiciamus veniā maerētur si quid turpè grauissimis calamitatibus, & homini intolerabilibus fecerint, vt q tormētis coacti crimē falsum cōfitētur.

186 caeterū si quid extremè inhonestū patrarint venia nulla digni sunt, cū potius mors oppetēda fuerit, quā tale quid cōmittendū, quale est Alcmaeonis parricidiū, qui sicuti rectè canit Danthes, vt pietatem non amitteret impius euasit.

187 occurrit autem hic dubitandi occasio, cur videlicet, & cōcupiscentia actionis mixtae nō sit efficiens, quandòquidē haec sicuti metus passio est quaedam. at id longè alia procedit ratione, concupiscentia etenim cum ad bonum dirigatur, magis voluntarium facit, siquidem propter hanc voluntas propensior fit ad id volendum, quod concupiscit secus autem de metu, qui cum respiciat malum, propterea voluntati contrarius existit.

D. Thom. 2.2. q.6. art. 7.

IN SVPRADICTA QVAESTIONE DISCORDIA PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCILIATA.

188 sed supradictis repugnabit forsan Plato, qui omnes immoderatos affectus inuoluntarios esse colligit, quia virtutes voluntariae sunt, quasi contrariorum caussas contrarias esse oporteat, vnde cecinit ille.

in fine Protagorae

„ Sponte improbus nemo, nec inuitus beatus vllus est.

in qua sanè repugnantia illi mihi non satisfaciunt, qui πόνηρος ita putant accipiendum, vt de laboris, ac miseriae potius, quàm de vitiorum improbitate intelligatur, licet enim (vt animaduertit Eustratius) hanc significationem accentus tantùm immutata sedes faciat apud Atticos, qui

3. eth. c. 5.

(cum

(cum πονηρὸς communiter malum, ac prauum significet) translata in primam syllabam vocis intentione πόνηρον laboriosum, ac miserum appellare consueuerunt, attamen ita Platonis verba nullo pacto possunt explicari.

189 nec etiam Eustratij concordiam laudare possum, qui affectus absolutè, & ex natura sua inuitos appellauit: sed eatenus spontaneos, quatenus homo sponte ità se praeparare assuetudine, ac studio valet, vt eos cohibeat, ac moderetur cùm iuxtà Aristotelem ea quae ex ira, vel aliquo alio affectu quispiã agit modò sciẽs faciat, spõtanea dicãtur esse. in 1. cap. 3: Eth.

190 id verò quod in hac re Plotinus sensit defensione penitus non caret. arbitratur enim summus ille vir malorum quidem habitus non esse voluntarios: humanas tamen actiones singulas esse voluntarias: namquè (sicuti & Ficinus testatur) quemadmodũ nullus dixerit morbum voluntariũ, quamuis nonnulla, quae praeter opinionẽ inferũt morbũ possint quodammodo voluntaria dici. sic & nemo vitiũ animi voluntarium dixerit, quia ita illud morbus est animi, sicut humorum intemperantia morbus est corporis. l. 3. Enn. 3. in 8. de. ll.

191 omnibus tamen Calcidij, & Alcinoi sententiam in hac lite componenda praeponimus. opinantur enim illi, rectèq; admodum voluntatem appellasse Platonem nõ appetitionem quamuis: sed homini propriam id est rectè rationi consentaneam. sic enim propriè voluntas ab animali, & naturali appetitione distinguitur. atquè hoc pacto quicumquè perturbatione victus praeter rationem aliquid facit, id per inscitiam, id est (vt interpretatur Alcinous) per imprudentiam efficere à Platone dicitur. si verò Aristoteles sensit secus, voluntarium accepit pro omni eo, quod est sponte. in Tim. 4 concordia. de dogm. Plat. c. 21.

IN EADEM QVAESTIONE D. THOMAE, AC SCOTI CONCORDIA.

192 hoc idem non solùm D. Thomas credidit, qui quidem tenet, non posse esse peccatum in voluntate, nisi sit defectus in ratione: verùm etiam & ipsemet Scotus, qui tamen voluntatem facultatem magis abstractam intellectu tuetur vbiquè. arbitratur enim iste voluntatem excecare intellectum, tàm priuatiuè, quàm positiuè. 3. sen. dist. 36. q. vnica

193 priuatiuè quidem quia voluntas poteſt auertere intellectũ à conſideratione recta. vndè voluntas eliciens oppoſitum alicuius recti dictaminis, non permittit intellectum in eo diu permanere: ſed auertit ipſum, & conuertit ad conſiderandum rationes pro oppoſito.

194 poſitiuè verò quia voluntas eliciens ſibi malum finem, praecipit intellectui inuenire media ad eum malum finẽ.

ELECTIO.

195 eſt autẽ electio id ſpontaneũ, quod cõſultatio praeceſsit.

196 bruta itaquè ſpontaneum habent: non autẽ electionem.

197 ea enim licet in paſcuis proſequantur quae proſunt, & ea quae nocent fugiant: id tamen cum appetitione non autẽ cum conſultatione ſolet ab illis fieri.

CONSVLTATIO.

Car. Beſſ. in l. de art. & nat c. 3.

198 verſatur autem conſultatio circa eas res, quae in noſtra poteſtate ſunt, & in his adeo lata eſt, vt etiam omnes artes comprehendat iuxtà Platonis, & Ariſtotelis ſententiam. quicquid ſecus dixerit Trapezuntius.

5. concordia.

D. Thom. 1. 2. q. 15. art. 2.

199 dubium autem exiſtit an conſultatio procedat ordine reſolutorio, vel compoſitiuo. nos ſanè illi fauemus parti, quae à conſultatione methodum compoſitiuam abnegat, conſilij namquè principium eſt finis, qui quidem prior eſt in intentione: poſterior autem in eſſe.

LIBERVM ARBITRIVM.

200 haec omnia pendent à noſtro libero arbitrio, quod quidẽ quia nonnulli demunt nihil in nobis eſſe aſſerentes, quorũ alij neceſsitate omnes noſtras actiones, ac affectiones fieri exiſtimant, alij fortuitò, & temerè nos more Cylindrorũ deferri, propterea cõtra hos aliquãtiſper digrediendũ eſt.

Simp in 1. tex. enchi. Epict.

201 qui itaq; liberũ arbitriũ caſu, & fortuito eſſe fatẽtur, vt potè quia nullo propoſito ſcopo agãt homines, prorſus effutiunt, omnis quippè natura, atq; ars ſcopo quodã, ac fine ſibi propoſito ad ipſum omnes actiones ab initio vſq; ad poſtremũ dirigũt, atq; omninò omnis animatorũ actio alicuius boni cauſſa perficitur, quod ſit, vel eſſe bonũ videaẽ.

202 quòd ſi quis ita fortuitum, & caſum accipiat, vt impoſsibile, vel noxium exiſtat ipſum appetẽdum, ſicuti diximus fruſtrà, & fortuitò, medicamentum alicui exhiberi, quod

nequeat

nequeat prodesse, vel quod laedat interdum, is & falsis ratiocinijs vtitur, cum terminus ad quem in vnaquaq; motione necessarius sit, quem saepius attingunt agentia, & liberum arbitrium non tollit, cum non solùm posibilium, & vtilium appetitum, & declinationem in nostro arbitrio sitã esse dicamus: sed & impossibiliũ, & noxiorum. quare non modò rectè facta in nobis sunt, verùmetiam peccata.

203 qui verò coactum extrinsecus appetitum dicunt non satis sibi constant: sed in diuersas fluctuant sententias, alij nãq; caussam indigentiae tribuunt, quis enĩ esuriens, aut sitiens, rigensuè nõ appetat cibum, & potum, & calorem velit nolit? at procul à vero recedunt, siquidem egestas haud indit appetitum: sed res appetens ad opem egestatis praetendit appetitum. quemadmodum nobis nõ praebet manus pruriginosa affectio: sed ipsi aduenienti opem ferunt manus. Simplici.

204 irrationalis autem vita appetitus quidem sequitur, quòd omnes in ea sint vniformes, & propterea coacta quoquè videtur, & non sui iuris: sed in homine secus euenit, cum ob duplicem naturam appetitus vnius generis minimè sint, quod & Plato testatur. 4. de Rep.

205 alij necessitatem ex appetentis affectione induxerunt, tãquam necessariò ad omne, quod aptum naturae sit animus moueatur, cum in eo non sit non ità appetere, neq; animaduerterunt, quòd si habitus, & affectionis, tàm praestantioris, quàm deterioris ipse sibi animus caussa existit, ob bonam, vel malam consuetudinem, profectò quae ab his proficiscantur actiones, ipsi tribuendas esse.

206 alij deniq; necessitatẽ Coelo tribuũt, haud vidẽtes Coelũ in partes continuas necessariò, non etiã in separatas agere: sed horum dogmata inferius penitus infringuntur. Plotinus l. 3. Enn. 2. & ibi Fici.

207 alij verò à re appetenda animum moueri ad appetitum dixerunt: sed alij dicunt à re appetenda reali, alij à re appetenda in phantasmate, alij à re appetẽda cognita. prima opinio est Cyrenaicorum. secunda, & tertia nonnullorum Peripateticorum.

CYRENAICORVM OPINIO DE NECESSITATE LIBERI ARBITRII.

208 existimarunt itaquè Cyrenaici animum nostrũ ab obiecto

pulchro,& bono necessariò moueri,tū quòd volūtas nostra necessariò bonum appetat,tum quòd non sit in nobis.
209 nitunturq; demonstrare Platonem eiusdem fuisse sententiae, quòd Porum affluentiam nempè amoris dicat patrē: Poeniam autem id est paupertatem amoris matrem. est .n. Poenia appetitus,amātis potentia indiga obiecti. Porus verò obiectum ipsum.
210 qui cum amoris pater appelletur à Platone datur nobis intelligi obiectū esse nostrarū affectionū caussam principē.

in Symp.

HORVM EXPVGNATIO.

211 labuntur autē Cyrenaici quandòquidē obiecta ex se solū minimè mouent animū necessariò ad appetendū; sed suā susceptionem tantùm promptam, ac paratam praebent, qua euocāt id,quod naturaliter ad ipsa tendere solet. res itaquè appetenda suam proponens commoditatem euocat animi erga id propensionem, quae illi familiaris est.
212 cui homo ꝑpter duplicē animae facultatē resistere potest.
213 appellauitquè Plato Porum amoris patrem, quòd obiectū sit motionum animi caussa finalis. finis enim inter caussas princeps.

CONCORDIA PLATONIS, ET ARISTOTELIS DE OBIECTI CAVSSALITATE.

214 nequè enim illis adhaereco, qui apud Platonem obiectum caussam materialem constituunt, quòd Venus .i. pulchritudo amoris sit mater caussa nempè materialis ob eandem rationem in matre, & in materia. dictum enim hoc Platonicum non esse vocandum id satis demonstrat, quòd nunquam dixerit Plato Venerem amoris matrem: sed amorem sequi Venerem.

in Symp.

215 praeterea dùm ipse Plato dixit rebus intelligibilibus adiectam esse veritatem, intellectui verò scientiam, & veritatē ab intellectu apprehendi. quo pacto erit veritas iuxtà Platonem scientiae materia, si veritas ex eodem scientia multò nobilior?

6.de Rep.

in Theet.

216 quae omnia ipsimet Aristoteli esse consentanea, ex illis colligi potest, quae ipse in diuina philosophia de appetibili dixit, quod cū mouēsnō motū appellauerit,nō materiā, sed finē obiectū debere dici palàm indicasse videtur.

6.concordia 12.Met. & Auer in com. 36.

CONCORDIA EORVM QVI DIXERVNT OBIECTVM ESSE CAVSSAM MATERIALEM, CVM HIS QVI DIXERVNT ESSE CAVSSAM FINALEM.

217 illae tamen opiniones, quae prima fronte videntur adeo sibi contrariae, possunt concordi pace ligari: obiectum enim nisi ad alterũ referatur finis est: sed si referatur materia: sic enim & apud Auerroem habemus, formam ad aliam dirigibilem materiae vicem gerere. 3. coeli com. 67.

GOTFREDI, ET HENRICI OPINIO DE LIBERO ARBITRIO.

218 Gotfredus autem, & Gandauensis Henricus existimarũt liberum arbitrium à voluntate primò non pendere; quòd mouens, & motum debeant esse distincta subiecto: propterea primus dixit voluntatem à phantasmate moueri: secundus verò ab obiecto cognito. Got. quol. 6. q. 7. quol. 8. q. 12. quol. 9. q. 19.

219 asserunt praeterea libertatem voluntatis ex eo oriri, quòd cum obiectum saepius intellectui occurrat sub duplici ratione, scilicet sub ratione inhonesti, & sub ratione iucũdi, vel quibuscunque alijs modis, tùm in potestate voluntatis esse sistere intellectum in alterutro obiecti modo, & auertere ab vtroque. quol. 13. q. 3. Hen. quol. 12. q. 5.

220 dicũt etiã adesse libertatẽ in eorũ electione, quae ad finẽ.

HORVM EXPVGNATIO EX SCOTO.

221 solemus nos cum Scoto ab istis efflagitare per quid possit volũtas intellectui cõsideratiõnẽ imperare, rursumq; eum ab illa auertere: si enĩ per se ipsa, iã falsitatis coarguũtur. Scotus 2. sen. dis. 25

222 si verò per obiectum mouens, cum ipsa obiecti motio nõ sit in potestate voluntatis, quòd secundum eam necessariò moueatur, propterea nec voluntas poterit imperare volitionem sequentẽ, quod ipsi tanquã mendaciũ detestãtur.

223 alioquin nulla esset differentia inter brutum, & hominem nam & bos videt herbam, quae mouet appetitum suum, ex quo mouetur ad herbam: verùm si occurrat in motu valẽtius appetitũ mouẽs, tũ cessat à primo motu, neq; tamẽ liberè, quod necessariò moueatur ab illo maiori iucundo.

224 quanquam id casu occurrat.

225 illae verò eiusdem obiecti rationes diuersae, quas ipsi prò sui tutela ob oculos nobis ponebant, si aequè mouent,

aequè in voluntate velle, & nolle eiusdem obiecti respectu efficient, quod minimè potest fieri.

226 si verò non aequè, altera voluntatem efficacius impellet, idquè necessariò, & propterea non erit electio penes voluntatem.

227 cùm autem appetitio sit motus, id etiam perperàm dicunt obiectum appetitionem mouere: nam cum appetitio sit motus, motus non mouetur.

Simó por. an homo. bon. vel mal. spon. fiat cap. 6.

VERA DE LIBERO ARBITRIO SENTENTIA.

228 liberum arbitrium itaquè pendet ab ipsamet voluntate, quae quidem se ipsam mouet. nec enim repugnat aliquid esse in potentia ad aliud, & actu habere illud eminenter, vel virtualiter. videmus enim quòd illi cui natura dedit semet augendi potentiam, addidit & illi augumenti potentiam effectiuam, quò facilius posset se conseruare, & perficere. proindè nihil erit absurdi, si & nobilissima forma, veluti est animus habeat potentiam actiuam suae perfectionis accidentalis, & receptiuam eiusdem.

Scotus 2. sen. dis. 25

229 quae quidem duae potentiae cum organis non indigeant, subiecto etiam non distinguuntur.

230 nec verum est praecisè quodcunquè modo eminentiori existit tale, fieri non posse, vt tale formaliter sit: si enim praecisa caussa non recipiendi aliquid formaliter, esset illius eminens continentia, tùm oppositum inferret oppositum, & proindè quodcunque non haberet eminentiori modo formam, eam posset recipere formaliter, vel modo minus eminenti, & sic Saturnus non calidus eminenter, posset fieri talis formaliter.

231 est itaquè liberum, & voluntarium animal homo, ob quod datum est illi habere, quod optat, id esse, quod velit. quod sanè nulli aliae rei genitae conuenit.

COROLLARIA.

CONCORDIA PLATONIS, ET ARISTOTELIS DE MOTV ANIMI.

in Phaed. & in x. de legibus 7. concordia

232 hinc & optimè dixit Plato animum se ipsum mouere.

233 à qua vti iam visum est nec Aristoteles abest.

Concordia

ΕΡΓΑ.

CONCORDIA HENRICI DE GANDAVO CVM SCOTO, DE LIBERO ARBITRIO.

234 verùm si dicamus obiectum, vt amatum esse id, quod mouet, & principium motus, Henrici opinionem tuebimur, nec repugnabimus Scoto.

235 appetitus itaquè sequens rationem, voluntas nempè ipsa est in homine immediatum motus principium.

COROLLARIA.

236 idcirco duodecimo Metaphisices, explicans philosophus, quo pacto intelligentiae moueant corpora coelestia, eas vt amatum mouere asserit, volens declarare ipsas motus esse expertes, ac primò, & citrà motum mouere.

237 nec est dicendum obiectum eiusmodi esse caussam finalem velut quamplurimi interpretati sunt: quoniam obiectum tanquam amatum mouet vt efficiens, veluti in libris de anima dictum est.

ΕΡΓΑ.

238 quòd si huic dicto quispiam Henrici, & aliorum Latinorum argumentum obiecerit, idem fore mouens, & motũ, quod apud ipsos est absurdum. dicam ego iuxtà eorum principia non esse absurdum in anima postquam mota est se ipsam mouere suo modo. quod & in motibus veris corporis etiam videtur, quippe aere, & aqua: vt ex philosophi schola possumus addiscere.

CYRENAICORVM CONCORDIA CVM PERIPATETICIS, ET ACADEMICIS DE LIBERO ARBITRIO.

239 quid autem erit, si audebimus Cyrenaicos cum Peripateticis, & Academicis componere? possumus enim dicere ex distinctione superius dicta φαντασίας ab obiectis pédere, & ità loquantur Cyrenaici:

240 non autẽ συγκαταθέσεις sicuti tùm Peripatetici, tùm Academici admonuerunt.

MORALIS VIRTVTIS DIVISIO.

241 ex his principijs tandem oritur virtus, quae vel princeps, & vti vocant Cardinalis est, vel accessoria. Plato 4. de Rep.

VIRTVS CARDINALIS EX PROCLO.

242 et sanè Cardinalis propriam animae partem perficit, quae

dum ad operationem dirigitur sen per appetibilis est.

4. de Rep. 243 quatenus verò appetibilis ex Platonis sententia rectè in rationalem, irascibilem, & concupiscibilem diuiditur.

3. de Ani. te. 51. 52. 53. & ibi Themist. 244 neque ab hoc Aristoteles ipse dissentit: is enim quando animam in alias partes secat, illius considerationem simpliciter expendit, vbi verò eam cum appetitu coniungit, vnum appetitum in tres illas partes diuisum fatetur.

Proclus in libello de vir. c. 9. 245 sed illae potentiae initium, statum ordinemque non eũdem habent, verum vna menti est coniuncta, altera autem corpori conglutinata, quae vero in medio sita est, vtriusque & corporis, & mentis particeps est.

246 ratio itaque solum imperans est, & menti pro sua natura cognata, vnde & ex se mentis agnoscit dignitatem: quod verò solum subditum est sua conditione corpori affine est, cupidineque rerum corporearum tangitur.

247 pars aũt quę & paret, & imperat est ira, & ea quatenus ratione caret inest etiã brutis vt cupiditas frenis rationis indigẽs.

248 caeterum ira rationi fauet semper, cum huic sit cognatior quàm cupiditati: quin & huic praeest, quae longè à ratione discedit corpori maximè affixa, haec enim corpori semper haeret nunquam eius vitam deserens: ira verò saepe vitã despicit, aliud affectãs bonũ maius, quã sit corpus.

249 tria igitur cum sint, vnum quod solum imperat, vt mens, alterum quod solum paret, vt corpus, tertium, quod iuxtà ordinem, & statum extremorum imperat, & paret, vt ira duo sunt imperantia, alterum primò, alterum secundò, duo item parentia.

Proc. c. 10. 250 quod solũ imperat & primò, oportet praeditũ esse virtute, quae sit perfectio huius muneris, quo debet imperare, secũdo aũt imperãs loco subditũ verò primo, duoru munerũ duas debet habere perfectiones, & virtutes, vt enim diuersarũ substantiarũ perfectiones distãt, ita & duorũ munerũ.

251 cũm ergò quod solum imperio pollet, vnam poscat virtutem, ratioque vt dictum est imperare debeat, propterea imperandi virtutem sibi asciscit prudentiam, quã sibi ipsi, & alijs bonorum, & malorum fines praescribet.

252 cupiditas autem solum subiecta, virtutem parendi habebit temperantiam, qua rationi obtemperans suos appetitus modera-

moderabitur, & quid sibi appetendum, à ratione discet assuetudine.

53 irascibilis autem pars, cuius naturae, & imperare, & parere conuenire ostendimus ad imperandum fortitudine, qua cohercebit libidinem, seque ab incommodis eius illaesam seruabit, ad obediendum verò temperantia vtetur, per quam cohibita intrà fines se rationis continebit.

54 cum autem ratio duobus reliquis imperans partibus ad suum temperet eas nutum, efficitur omninò consonantia, Proc.c.1 quaedam a ratione principium trahens, & in concupiscẽtiam desinens, atq; concentus enascitur, partim διὰ πασῶν ex tribus rationali, irascibili, & cõcupiscibili quorum medium irascibile, partim διὰ τεσσάρων partim διαπέντε.

55 illud autem inquisitione dignũ est, quomodo irascibile imperãs, & subditũ, quatenus subditũ est, cõmunem habeat Proc.c 15. cũ cupiditate virtutẽ tẽperantiae, cũ ratione aũt, quatenùs imperat haud cõmunem: sed propriã solùm fortitudinẽ. hic nobis nunc nodus explicandus, & in primis cõmunem habet irascibile, & concupiscibile virtutem, quòd ira propius cupiditati, quàm rationi, quantum ad naturam attinet accedit. illae enim ex eisdem sunt elementis, ratio ex longè diuersis, illae mortales ortum, & interitum habent, haec immortalis, illae iudicio carent, haec autẽ eo praedita est. vndè illae huic alteri parere debent, quatenus enim ratione vtraq; vacat, & alterius informatione indiget, cõmunẽ tẽperantiã habẽt, qua ducantur rationis monitis.

56 quatenus autem rationale, & irascibile alijs imperant, diuersam sortita sunt imperandi virtutem, alterum enim per cognitionem, cum sit ratione praeditum, alterum per sensum appetitione percitum imperat. non itaquè rationalis virtus cum irascibili communis est; quia modus imperij istius, & rationis penitus diuersus est:

57 ratio enim subdita suo imperio primùm sibi imperat, & se ipsam ante alia componit, nec suum appetitum aberrare sinit, & ferri in deterius, mox aliarum partium à ratione alienos appetitus comprimit, & ad suum iudicium, & nutum reuocat: irascibile autem non sibi imperat: sed quasi de sede superiore inferiori, ac deteriori cupiditati solùm

mandata deferr, se ipsum autem regere non potest, aut ducere, aut ad viam reuocare, cum careat ratione.

Proc.c.15: 258 quando igitur appetitui appetitus obsistit, fortitudine opus est illaesum appetitum seruante.

259 quando autem ratio appetitui dominatur, opus est prudētia rationem rectè dirigente, vndè prudētia virtus est, qua imperat ratio, cuius est cognoscere, & iudicare, & imperare, estquè in iudicium habentibus.

260 fortitudo autē virtus est, qua imperat irascibile, pertinetq; ad partē animae iudicij expertē, appetitus.n. exercet imperiū cōtra deteriorē appetitū, & in se insurgentē retūdit.

Proc.c.31. 261 concupiscibile autē vnū, & multiplex substātia est, ratione enim vacans vita, licet vna sit, multiplex tamē ob corporis contagionē fit, quod multiplex est, & diuisibile, quéadmodum quod rationi, mentiq; cognatius magis simplex est.

262 quoniā autē duplex est corpus, alterū in quo degit anima,

Proc.c.33. alterum quo alitur, quoq; indiget, vt cōseruetur, proindè duplici appetitu tangitur cōcupiscibile, alter est sui habitaculi incolumitatem tuendi, vndè voluptatem appetit.

263 alter verò appetitus est, quorū indigēs est ad vitā, quo pecuniā, & honorē ad corporis victum, & delitias sibi parat.

264 quoniam autem concupiscibilis alter appetitus salutem in voluptatem ponit, alter verò pecuniam, vel honorem, non vt necessitatem corporis subleuet: sed tanquam praecipua bona sectatur, propterea vnusquisquè appetitus fines diuersos sibi statuit in rebus tamen corporeis, vndè secum pugnant, & alter cum suo detrimento alterum auget.

265 etenim inexhaustus voluptatis appetitus pecuniae iacturā facit, & corporearum voluptatū accretio diminutione fit pecuniae. pecuniarum verò auctio voluptatis corporeae fit imminutione, & honoris deniquè appetitus, & rem, & voluptatem pessundat.

266 sic igitur in finium praescriptione, ac praecipuis bonis appetitus cupiditatis varius est, nec vnius rei quae corporis naturam cōseruet: sed duarum, vel vt melius dicam trium rerum, quarum alterius affluentia, alterius est indigentia.

COROLLARIVM.

4.de Rep. 267 hinc & optimè Plato dixit cupiditatem beluam esse multorum

torum

torum capitum, nunc vnum caput, nunc alterum vniuersa autem corporis gratia prosequentem.

EPITA.

268 erunt itaquè quatuor virtutes Cardinales, quarum prudentia rationem, fortitudo irascibilem, iustitia particularis concupiscentiam honoris, & diuitiarũ, temperantia verò voluptatum concupiscentiam perficiet. Proc.c.34

269 atquè omnes ad iustitiam vniuersalem, quae in appetitu sedem habet, reduci queunt: quemadmodum enim appetitus per omnes animae potentias vagatur: sic & iustitia vniuersalis per omnes virtutes.

PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA DE IVSTITIA PARTICVLARI, ET VNIVERSALI EX PROCLO, ET SCOTO.

270 quòd si Plato vtramquè iustitiam à nobis ipsis sumit: Aristoteles verò vt ad alios comparamur: non tamen repugnant sibi inuicem: nam vt Proclus animaduertit locutus est Plato de vtraquè iustitia Ethica. 8.concordia.

271 quam Aristoteles Metaphoricam appellat.

272 ille verò de illa iustitia quam Proclus Politicam dicit. cap. vlt. 5. Ethic.

273 vtraquè verò (vt admonuit Scotus) est eadem, cum per mihi, & tibi, ratio formalis habitus varia non reddatur. 3.sen.dist. 33.q.vnica

PLATONICORVM, ET PERIPATETICORVM CONCORDIA APPARENS IVXTA OPINIONEM EGIDII.

274 arbitratur autem Egidius virtutem Politicã apud Plotinũ & Macrobium esse idem, quod est apud Peripateticos perseuerantia: sed labitur, siquidem apud Aristotelem perseuerantia est dispositio ad virtutem politicam. l.1.de som. Scip.c.8. in l.1.par. 2.c.33.de Reg.Prin.

275 neque verum est continentiam esse purgatoriam virtutẽ: auferunt enim purgatoriae virtutes apud Platonicos id quod moderantur politicae. verùm apud Peripateticos continentia est infrà virtutem politicam.

276 neque virtus animi purgati temperantia potest vocari: obliuiscitur enim virtus animi purgati penitus eorum, quorum mediocritatem exoptat temperantia.

277 quid etiam si & Peripatetica virtus heroica, non sit idem quod virtus exemplaris Platonica? Dei enim est virtus exemplaris. hominis verò Heroica.

Temperantia

TEMPERANTIA.

178 Temperantiam autem prius expendemus, tanquam ignobiliorem animae partem perficientem: versatur autem illa circa delectationes sensibiles.

279 inter omnes autem sensuum delectationes, vehementiores sunt illae, quae fiunt secundum gustum, & tactum.

280 tùm quòd magis vnimur delectationibus gustus, & tactus quàm delectationibus aliorum sensuum. tum quòd sensibilia gustus, & tactus magis directè, & immediatè ordinantur ad conseruationem nostram.

281 sed quaesitum video inter istas vehementissimas voluptates quasnam magis velit Temperantia reprimere, & sanè si contra difficilius magis bellandum est, debet Temperantia voluptates circa tactus magis expugnare. sunt enim illae nutrimentalibus ardentiores, & vehementiores.

Aegid. de Reg. Prin. l. 1. par. 2. cap. 15.

282 tùm quòd ad conseruationem speciei tendunt. nutrimentales verò ad conseruationem indiuidui. at cum bonum commune proprio diuinius sit rationaliter videtur egisse natura si in tactu vehementiores delectationes posuit quã in gustu.

283 tùm quòd vnusquisque magis sollicitus est de bono proprio, quàm de bono alterius: non igitur oportuit tàm vehementes delectationes ponere in nutrimento, quod ordinatur ad bonum proprium, sicut in matrimonio, quod ordinatur ad bonum alterius.

CONCORDIA PLATONIS, ET ARISTOTELIS DE LATITVDINE TEMPERANTIAE EX EVSTRATIO.

3. & 4. de Repub.

284 sed si haec vera sunt cur Plato Temperantiam διάπασον vocauit? videtur enim ille credidisse Temperantiam virtutem esse generalem omnes continentem virtutes:

285 quod tamen nullo pacto admitteret Aristoteles.

286 an quia voluptas, vt ad virtutem refertur potest dupliciter considerari? vt nempè virtutis obiectum est, & vt virtutis affectio quaedam consequens, sic & Temperantia, quae circa voluptates versatur potest bifariam sumi: si enĩ accipiatur circa voluptates, quae sint passiones virtutẽ consequẽtes, nulla est virtus, quae Temperantia non sit, atquè ità loquatur Plato, vt Eustratius etiam admonuit.

6. Eth. c. [illegible]

Aristo-

287 Aristoteles autem de illa loquitur temperantia, quae voluptatem, tanquàm proprium subiectum sibi requirit. 9. concordia.

CONTINENTIA.

288 quod idem & de continentia dicimus, quae est permansio quadam in his, quae à recta ratione proueniunt: repugnantem tamen appetitu.

INCONTINENTIA.

289 quod etiam potest de incontinentia repeti.

290 sed quaenam est haec incontinentia? si enim incorruptã habet rationem, cur sciens agit malum? hoc enim perindè est, ac si cum ratione insanire dicatur. an quia eius scientia est tantùm habitu? sciunt enĩ incontinentes moechari malum esse, & in moechando eius scientiae non sunt obliti, cùm cessante passione idem sciant, quod prius sciebant, nullam iterum scientiam adipiscentes.

291 quid, si & in actu etiam sciant, tam in vniuersali, quàm in particulari? at non directè.

CONCORDIA PLATONIS, ET ARISTOTELIS DE SCIENTIA INCONTINENTIS.

292 nullus tamen incontinens dum incontinenter agit, scit quoniam prauè agit scientia actuali, particulari, & perfecta, & hoc pacto in incontinente negauit scientiã Plato. X. concordia.

MEDIOCRITATES TEMPERANTIAE ADIVNCTAE.

293 sunt autem mediocritates temperantiae adiunctae conuiuentia, & pudor.

CONVIVENTIA.

294 conuiuentia etenim in mediocritate quadam cõsistit: nã cum alij genus hoc conuictus omninò fugiant, qualẽ fuisse Atheniensem Periclem legimus, qui nunquã apud amicum coenauit praeterquã apud Euripidemum nuptiarũ die, vitio prorsus nõ carent, cùm non solum natura, verum etiã amicitia hanc vitae coenarumq; consuetudinem postulet, quem maiores nostri conuiuium à conuiuendo deduxere. Pontanus in lib. de cõuiuêtia.

295 alij verò cum omnem vitam, in epularũ apparatibus exerceant summoperè reprehendendi sunt, quid enim aliud belluarum similes tantopere nos efficit, quàm palatus, & gulae popinaeque ipsius studium? propterea erit etiam in hoc genere mediocritatem inuenire.

ad quam

296 ad quã dirigebãtur lex Famia, Didia, Licinia, Aemiliaq;.
297 conuiuia verò, vel consuetudine fiunt, vel voluntate.
298 et quae consuetudine fiunt in nuptijs, & in similibus conficiuntur, quae verò volũtaria sunt, vel à principibus, quae dominia nuncupauit antiquitas, vel à priuatis celebrãtur.
299 rursusq; à priuatis ortũ habẽt, vel animi gratia fiũt, quę cõpotationes, vel cõcenationes à latinis, συμβίωσις verò à grę cis appellãtur, vel liberalitatis caussa κλισίαι à gręcis dicta.
300 dubium autem est, quaenam species conuiualis caeteris nobilior sit, nos quidem audacter eam, quae splendoris, ac liberalitatis gratia suscipitur asserimus.

in Menip. Satyra.

301 debet autem conuiuium, Varrone teste, quatuor ex rebus constare, apparatu nempè sine indulgentia, lecto tempore, lecto loco, lectisquè viris.
302 lectos homines eos dicimus, qui nec loquaces sunt, nec omninò muti: eloquentia namquè in foro apud subsellia, silentia verò non in conuiuio: sed in cubiculo debent esse.

Macr. l. 7. Sat. c. p.

303 et in huiusmodi sermonibus haec est nostra sentẽtia, vt prima sit loquẽtis obseruatio aestimare cõuiuas: nã si quis aut inter Phaeacas, aut apud Poenos sermones de sapiẽtia eruditos cõuiualibus fabulis miscuisset, & gratiã illis coetibus aptã perdidisset, & in se risum mouisset, nõ igitur reprehẽdendus Isocrates (vt Macrobius putat) qui ne de Rhetorica in cõuiuio quodã loqueretur, hanc deprecatus est veniã quae praesens inquit locus, & tẽpus exigit ego non calleo, quae ego calleo, nec loco praesenti sunt apta, nec tẽpori.

Gellius, & Macrob.

304 verũ vbi sibi locũ Philosophus ratione sodaliũ patere videbit nõ nodosas, & anxias: sed vtiles, & faciles quaestiones mouebit, absit enĩ vt Philosophia, quae in scholis sollicitè tractat de officijs conuiualibus ipsa conuiuia reformidet.
305 numerus verò cõuiuarum indefinitus est apud nos in omnibus praeterquam in his, quae sodalitatis gratia parantur, in quibus nequè minores Gratijs. nequè maiores Musis omni ferè antiquitate teste laudamus.

EXTREMA.

306 extrema verò sunt inconuiuentia, & commessabilitas.

INCONVIVENTIA.

307 inconuiuentia quae quidem defectus est, ab auaritia ortũ plerunquè

plerumquè ducit, quae vbiquè fordida eft, nonnunquam & à quadam animi triftitia, & ftudio folitudinis.

COMMESSABILITAS.

308 commeffabilitas verò exceffus eft, & haec quidẽ ab ingluuie, & voracitate eò differt, quod illae cum beftijs communes funt, ifta verò folius eft hominis, huius autem proprius ferè femper effectus eft ebrietas.

309 quam primi Graeci moenomenin (Philone tefte) vocarũt & occupatas hac Baccas Moenedas, quandòquidem infaniae, defipientiaeque cauffa eft vinum immoderatè ingurgitantibus, hinc & aureum Anacharfis Scitae dictum narratur, vitẽ vuas tres ferre primam voluptatis, fecundã ebrietatis, tertiã maeroris, quae diuifio tamẽ fufficiẽs nõ eft. Philon de plãta Noe; Diog. laer. i eius vita

310 melius itaque in tres etiã partes bibaces diftinguit Atheneus quorum primi ad fatietatem, fecundi ad voluptatem, tertij ad ebrietatem bibunt. Atheneus dipn. lib. 7.

311 deftruunt autem nonnulli diftinctionem hanc referente Philone, eò quòd vt vinum merum, ità & temetum prifci vocarint, adeò vt quae hinc deriuãtur, voce non re difcrepent vini fatietas, & temulentia, quamobrem fi eadem sũt vini fatietas, & temulentia, qui bibit ad fatietatem, bibit etiam ad ebrietatem: verùm nullius haec funt ponderis, nã temulentiae non vini faturitas: fed vinofitas aequipollet, in qua non folùm fatietatem: verùm etiam ebrietatem cõprehendi atteftatur optimè Gellius. Philon de plãta Noe

312 falfum eft autem quod nonnulli dicunt, Platonem ebrietatem concefsiffe, cum is vini vfum fenibus vix reliquerit, adolefcentiae prorfus fuftulerit, iuuentuti verò parcifsimè concefferit, idque per communia tempeftiua, & publicae laetitiae, ciuilifquè folatij gratia more Lacedaemoniorũ, atquè tùm ad pudoris, verecundiaeque temperamentùm, habitumquè exercendum, non ad vinolentiam temulentiamquè, vini vfum accommodauit. 1. & 2. dℓ ll. Geor. Tra. de cõ. Pla. & Arift. Card: Beff. in C. Pl. l. 4. cap. 9.

PVDOR.

313 altera mediocritas, quae temperantiae afsidua comes eft pudor appellatur, ceu verecundia quaedam quae minimè virtus eft: fed affectus quidam, laudabilis tamen, & proptered fit cum corporis mutatione, hunc verò fimul cum

Platone

Platone timorem quendam appellamus.

314 licet eum timori maxime contrarium affirmemus, siquidem in pudore a centro ad circunferentiam motus fit, secus autem in timore.

315 est autem bonus pudor ex hypothesi, & propterea senibus minime conuenit, absurdum est enim eos aliquid pudendum patrasse. *Arist. vlt. c. 4. Eth.*

316 nec tamē errauit Plato, qui pudorem etiā senibus tribuit, siquidē non ob peccata: sed ob peccati suspicionem senes verecundari debent, quod & Iulius Caesar in coniugis repudio demonstrauit, & Alexander Aphrodisiensis testatur. *Alex. li. 4. q. cap. 31.*

EXTREMA.

317 extremorum defectus est impudentia, excessus verò dysopia: nam & qui frequenter pudescunt eadem fere peccant, quae solent impudentes, nisi quòd illi cum peccant dolore, molestiaq; afficiuntur, isti verò delectantur. vndè orator quidam, illa de impudente dixit, quòd in oculis haberet non κόρας: sed κόρνας idest non pupillas: sed scorta, ludens videlicet ex ambiguo vocis κόρη quae & virginē sonat, & oculi pupillam. *Plutarch' de mala verecūdia*

318 et è diuerso qui facile pudescit animū plus satis muliebrē, ac mollem in vultu prae se fert, queadmodum. n. χατήφειαν quam verecundiam latine dicimus, diffiniunt dolorem in nobis efficientē, vt vultum demittamus, sic pudorem adeo nos afficientem, vt ne audeamus obtueri quos oportebat δυσωπίαν appellant voce composita ex ὤψ aspectu, & δυς particula, quae difficultatis habet significationem.

ALTERA VIRTVS CARDINALIS IVSTITIA PARTICVLARIS.

319 sed ad reliquas virtutes iam pergamus, & post temperantiā occurrit nobis Iustitia particularis, quae & concupiscibilem etiam partem perficit, licet altius dirigatur, ac temperantia: haec enim circa coitum, & alimenta praecipue versatur, illa verò ad diuitias, honoremquè tendit.

320 vniuersim autē iustitia a Reip. ordinibus desumitur, quod etiam & diuinus ipse Plato fassus est, ciuitatis verò cū triplex existat ordo, nempè totius ad partes, partium inter se & partiū ad totū propterea triplex quoq; existet iustitia. *3. de Rep. Dom. Soto l. 3. q. 5. ar. 1. de ius. & iure.*

321 et ea sanè, quae partium ad totum simulachrum, & imaginem refert iustitia legalis, & vniuersalis appellatur, quae ciues in commune bonum ordinat, dirigitquè, & de hac inferius disputatio suscipienda est.

322 reliqui verò duo ordines iustitiam particularem nobis demonstrant ad illorum enim diuisionem, & haec quoq; diuiditur, siquidem Resp. quae totius ad partes ordinē habet, cum communia bona ciuibus benè dispenset distributiuae iustitiae Symbolum nobis refert.

323 et altera, quae aequitatem seruat inter partes, commutatiuam iustitiam nobis prae oculis ponit.

324 patet itaquè eas specie differre, quapropter errauit Buridanus, qui secus nullo prorsus argumento, quàm quòd rationes partis contrariae haud sibi satis validae visae sunt, existimauit, nequè enim in Philosophia morali expetenda est mathematica demonstratio. Buridanus 5.eth.q.7.

325 dubitatur autem vtrùm idem sit medium distributiuae, & commutatiuae iustitiae, cui quaestioni duabus conclusionibus satisfieri posse arbitramur. prior est. vtriusquè iustitiae, tàm distributiuae, quàm commutatiuae medium secundùm aequalitatem, quae in rebus exterioribus est, constituitur: reliquae enim virtutes mores componunt hominis in ordine ad se ipsum. iustitia verò in ordine ad alium. sic & medium aliarum virtutum inuenitur inter duas affectiones, quas ipsae virtutes moderantur, iustitia verò absquè alia passione illi solùm incumbit, vt medium ponat in rebus, quae alijs debentur. Arist.5.et. c.3. & 4. idem Soto q.5.art.2.

326 licet enim quandoquè cupiditas, & auaritia impedimento sint officijs iustitiae: non tamen ad ipsam pertinet illā auaritiam retundere: sed ad liberalitatem, quae circa tales versatur affectiones.

327 posterior cōclusio haec est. aequalitas quae mediū est iustitiae distributiuae, non est eiusdē prorsus rationis, quae est in cōmutatiua, immò in distributiua est Geometrica, in commutatiua est Arithmetica, aequalitas enim Arithmetica fit secundùm excessum numerorum, sumiturquè in tribus terminis, quorum tamen medius bis resumitur.

328 huiusquè rei sit hoc exemplum, antequam duo mercatores

ſocietatem inirent,vterq; habebat quinq; : Petrus verò per contractū,aut mutuò,aut quomodocunq, dedit Paulo vnū qui tunc habet duo plura,quàm Petrus. eſt itaq; proportio Arithmetica inter quatuor, quae habet Petrus, & quinque quae ambo habent, & inter quinque ad ſex,quae modò habet Paulus, & cum horum exceſſum medium ſit quinque, facienda eſt per commutatiuam iuſtitiam talis reſtitutio, vt Paulus Petro reddat vnum,qua ratione ambo ſint in medio, nulla perſonarum conditione exiſtimata.

329 aequalitas autem Geometrica attenditur per aequalitatē proportionum, vt proportio, quae eſt inter octo, & quatuor aequalis eſt illi, quae eſt inter tres,& ſex: quia vtraq; eſt dupla, tametſi exceſſus ſint inaequales: haec verò dùm diſtributioni accommodatur hiulca ſemper eſt, quatenus verò talis in quatuor terminis ad minimum conſiſtit,& in hac non aequalitas: ſed proportio ſolùm conſideratur veluti ſi princeps decreuerit decē talenta ciuibus diſtribuere debet in tot partes illa partiri, quot ſunt ciues, tali tamen ratione,vt qualis ſit proportio, non aequalitas meritorum Petri, ad merita Pauli,talis ſit proportio praemij illius, ad praemium huius.

330 quaerat autem aliquis cur praemium in hac iuſtitia nō ſit aequale merito.at non lateat hunc, nos id conſultò feciſſe ſiquidem impertinens eſt, & per accidēs in iuſtitia diſtributiua,vt praemium ſit merito aequale: neq; enim hac ratione aliter à commutatiua differret, enimuerò non ſemper aequalis bonorum ſumma diſtribuitur ciuibus, etiam ſi ſemper haberēt paria merita: qūoniam Reſp. quandoq; in bonis plus, quandoquè minus habet.

331 at verò in diſtributione diuinorum bonorū, quae à Chriſto iñ die iudicij futura eſt, quia infinita illa ſunt, & quae minimè exhauriuntur, diſtributio fiet non ſolùm ſecundū proportionem Geometricam, vt quo quiſquè longius antecellet alteri meritis, excedat & praemio: verùm etiam ſecundum Arithmeticam, vt quiſquè tantum recipiat in praemio, quantum habuit in meritis.

332 ex his ni fallimur iam ſatis poſterior concluſio patet, medium enim iuſtitiae, cuius munus eſt debitū vnicuiq; ſuū

reddere

reddere attendendum est, & perpendendum per formalem rationem debiti, à qua virtus, speciem sortitur, varietas verò in ratione debiti est inter commutatiuam, & distributiuam, si quidem debitum in distributiua non debetur quia proprie possessum fuerit à ciue: sed quia pars ille est Reip. & quod est totius, quodammodo est partis, & propterea quò quisq; principalior est pars, eadem proportione plus debet bonorum recipere, cuius exemplum nobis natura perhibuit in stomacho, qui commune cum sit corporis membrum: haud tamen idem alimentum subministrat pedibus, quod oculis, neq; idem iecori, quod spleni: sed vnicuiq; pro sua natura, & dignitate: debitum autẽ in commutatiua inde exurgit, quod res fuit possessio alteri⁹, & propterea nullo habito personarum respectu debet vnicuiq; tantum referri, quantum ipse contulerat.

333 relinquitur etiam in hoc dubitandi locus huiusmodi: apparet enim interdum in cõmutatiua iustitia perinde atq; in distributiua pensari personarum conditionem, & dignitatem: nam sicuti qui alapa percutit principem, maiori supplicio plectitur, quam si percuteret popularem, ita dũ per restitutionem compensatio fit, plus debet, qui honestũ ciuem, & nobilem laedit, quam qui simili plaga plebeium lęderet, ex quibus in hac parte non differre has duas iustitias existimari quis forsan posset: verum sic isti breuiter satisfieri posse credimus, qualitatem quidem personae in vtraq; iustitia perspici: attamen in distributiua per se, vt scilicet per augumentum personae augeatur proportio, cumulatioris namq; meriti est in viro ingenuo comitas, & humilitas, quam in homine inferioris sortis: sed in iustitia commutatiua duntaxat attenditur persona, quatenus inde augetur quantitas iniuriae, quae ad aequalitatem resarcienda est. v eth. c.v.

334 occurrit & hic alia etiam dubitandi occasio, in qua nẽpe iustitia debeat locari collatorum beneficiorum compẽsatio, & in hac re sanè multi digladiantur ad inuicem, nec satis sibi constant, nos verò ita distinguẽdum ex opinione propria putamus, vt primo animaduertendum sit pars ne Reip. parti, an tota R P. parti compensationem referat, in D. Thom. 2. 2. q. cviij. idem Soto ibidem

D primo

primo enim casu beneficiorum relationẽ, cũ diuo Thoma sub commutatiua reponimus, potest enim tum par pari secundum aequalitatem facillime refferri: verum si secundo loquamur modo non est ambigendum, remunerationem sub iustitia distributiua condi debere, quemadmodum .n. manus vulnus passa dum stomacho suppetias ferret haud potest à stomacho secundum aequalitatẽ resarciri ob collatum beneficium, tum enim necessarium esset manui quoq; stomachi officium communicari, quod quidẽ nullo pacto fieri potest, sic si quis patriam à Tyranno, vel à quauis alia oppresione liberet, quid tanta virtute dignũ patria rependere poterit? nulli honores tam magni erũt, qui non à fortitudine & pietate ista superentur, ergô non talionem, quam non potest: sed grati animi significationẽ aliquam exhibebit, vt puta statuas, imagines, aras, & similia virtutis honorifica praemia.

idem Soto li.5. art.3. quest. 5.

335 solet etiam & à scribentibus quaeri vtrum eadem sit materia distributiuae, & commutatiuae iustitiae, nobis verò iudicibus lis haec sic dirimitur, vt materia, quam remotã appellant eadẽ sit vtriusq; iustitiae, proxima verò diuersa.

336 huius assertionis primam partem sic ostendi posse arbitramur, materia vtriusq; iustitiae remota continetur tam in personis inter quas, quam in rebus, in quibus fit distributio, & commutatio: haec verò eadem sunt, si quidem fit commutatio, & distributio exteriorum rerum, nempe pecuniae, frumenti, vini, olei, inter eosdem ciues, quin & honoris quoquè.

337 materia verò proxima (& hoc ad secũdam pertineat assertionis partem) est debitum ipsum, quod quia diuersum iã superius in vtraq; iustitia demonstratum est, propterea quicunq; materiam proximam diuersam affirmabit, haud (vt nos arbitramur) errat.

338 haec autem debitorum diuersitas etsi diuersitatem inter has duas iustitias constituat, non tamen tantam quòminus ambae contineantur sub specie iustitiae particularis, quae in rebus versatur extrinsecis, earumq; debitis, & vsibus circa particulares personas.

339 secus ab his euenit in temperantia, & fortitudine; quippe quarum

quarum altera versatur circa tactus delectationes eorum sensibiliũ,quę sua nos arduitate, & horrore cõterritãt, & à se ipsis auersant,altera verò circa picula mortis: est.n. hęc tanta diuersitas,vt diuersas constituat cardinales virtutes.

340 superest vt deniq; perquiramus an eadem sit vtriusq; iustitiae forma, & quò ad hoc attinet iuxta superiorẽ distinctionem sic dicimus, formam remotam eandem esse,actiones nempe perfectas in ordine ad àlium in rebus extrinsecis, quae vsui parantur: proximam verò diuersam,si quidẽ in distributiua est relatio sm̃ proportionem, in cõmutatiua verò repassio sm̃ aequalitatem.

IVSTITIA COMMVTATIVA.

341 sed particulatim vtriusq; naturam percurramus,& in commutatiua primo versabimur,quae in commercijs hominũ emendandis apparet, & ob id διορθωτικός à Graecis appellatur,& ea proportione constituitur,quae arithmetica superius appellata est, in qua nihil refert siue vir bonus prauum fefellerit, siue bonum prauus,siue improbus adulterium commiserit: sed damnũ tantum, aut noxa in hac spetiẽ consideratur, in qua iudicis sunt partes inaequalitatem ad aequalitatem reducere. Arist. 5.et. cap. 4.

342 ex quibus patet iure Lygurgum reprehendi posse, qui referente Plutarcho arithmeticam proportionem penitus Lacedemone eiecit. in prob. Symp.

343 quis autem illum audeat coarguere? à forma enim solum Reipub. suae illam expulit, vt Democratiae, & turbae accommodatam, pro eaq; geometricam introduxit, vt optimatum vitae, & Regno congruentem, atq; decentem,

344 consistit itaq; interdũ iustitia in medio ipsius rei, & tamen omnis virtus est mediocritas ipsius rationis,neq; repugnãt haec adinuicem.

COMMERCIA.

345 commercium autem, in quibus emendandis haec iustitia versatur, quaedam sponte, quaedam inuitis hominibus efficiuntur.

346 et sanè sponte fiunt omnes conuentiones, & contractus,in quibus iustitia cõmutatiua mediũ quoddã est inter lucrũ & dãnum:tũ .n. cõtract⁹ tot⁹ in duas partes æquales diuidit.

347 ea verò quae inuitis hominibus fiunt, quaedam clandestina sunt, ut furtum, adulterium, veneficium, lenocinium, seruorum seductio, caedes, testamentum falsum.

348 quaedam autem violenta, vt verberatio, vinculum, mors, rapinae, membrorum abscisio, conuitiũ, &contumelia.

349 atq; haec etiam iustitiae commutatiuae species versatur circa damnum, & lucrum: nã qui viatorem plagis caedit, & nihil tamen ei subripuerit, iniuriam fecit, quae tamen lucrum minus propriè dici potest, quandòquidem non videtur ex ea iniuria plus haberi: verum haec iniuria appellatur lucrum per similitudinem, quod vt priores plus pecuniae, ita hic plus existimationis, vel potentiae acquisiuisse videtur, & è conuerso dicendum de patiente.

TALIO.

Positio Pythagorica. Arist.ca.v. ethicorũ. lib. 5.

350 nunc Talionis naturam explicemus, cuius iustitia simpliciter iustum esse pythagoraeis visa est, hinc et eam Rhadamanthi iustum vocarunt Hesiodi versum adducentes.

„ Ius rectum fuerit si factis perferat aequa.

351 sed lapsi valde sunt: neq; enim ius hoc vbiq; consistere potest, tum ratione personarũ, tum ratione principij agẽtis.

352 et quo ad rationem personarum, id manifestè patet: nam si quis magistratum gerens aliquem pulsauerit, talio hic iusta omnino non erit, neq; enim magistratui, quantũuis iniustè agenti manus sunt inferendae à priuato, sic & si qs magistratum gerentem pulsauerit, hic non simplex tantum talio iusta erit: sed praeter pulsationem, mulcta quoq; irroganda erit laesae maiestatis.

353 quatenus etiam ad principium agentis attinet, patet Talionem iniustam esse posse, plurimum enim interest, vtrum sponte, vel inuitus quid egeris, namq; si quis pulsat imprudens alium, qui prudens iniuriam referat, Talio quidem erit: sed iniusta.

Positio legalis. t. xix.

354 hinc & iure cum Talionis poena xij. tabularum lege constituta esset, praetorij iuris clementia reuocata est attestante Gellio.

355 vt autem eius naturam, & quando sibi locum vendicet videamus, sciendum est in primis Talionem in distributiua non reperiri, nisi aequiuocè, vt iam supra dictum est in

correctiua

correctiua verò locum habere in voluntarijs, iuxta aequalitatem, in inuoluntarijs autem inter personas eiusdem generis, patratis, propriè magis manere, tanquàm in illis, in qbus, & aequalitas actionũ, & rei similitudo attẽditur.

356 et propterea in hac solum iustitiae parte Talio à diuinis litteris conceditur, errant itaq; illi, qui illam in genere permissam vbiq; arbitrantur.

357 pulchrum autẽ erit, si iuxta doctrinam stoicam quidnam de Talione sentiendum sit, perquiramus, existimarunt enĩ multi eam apud ipsos, non secus ac apud pythagoraeos simpliciter iustum fuisse, quod & nos etiam asserimus, id ex eo conijcientes, quòd omnia peccata aequalia putarent. positio stoica.

358 licet etiam apud ipsos magis sit occidere patrem, quàm inimicum, quod quidem ex eo venire putant, quòd ille plura peccata simul perficiat, cùm & hominem, & amicum & consanguineum, & patrem occidat, iste verò vnius tantùm reus sit homicidij. positio stoica. Cic. in parad.

359 quìn ex illorum etiam sententia vnum peccatum alteri maius arbitramur dari, si finem non principium considerabimus. positio stoica.

IVSTITIA DISTRIBVTIVA.

360 *Iustitia* verò distributiua, quàm διανεμητικὴν Graeci vocant in distributione consistit aut honoris, aut pecuniarũ, aut caeterarum rerum, quae inter eos diuidi possunt, qui in eadem ciuili societate versãtur: haec tamen diuisio sẽper fit secundùm proportionem, & aequalitatem rationis non rei.

361 et cùm proportio haec vti supra diximus sit interrupta, propterea ius hoc inter quatuor saltem intercedit, in qua contingit a se habere ad b vt c ad d.

362 licet autem haec iustitia in proportione geometrica posita sit non tamen à proportione musica est reijcienda, cum & haec quoq; iustitiae ferat simbolum, siquidem maioribus terminis, maiorem tribuit rationem, minoribus verò minorem, quod etiam iustitiae opus est, & huic nostrae sententiae Proclus quoq; adstipulatur. x. cõcord. Proclus in digressione animae in Tim.

363 quicquid autem limites istarum egreditur proportionum iniustitia erit, quòd quidem euenit, si posteriores bonorũ

 ferant

ferant partes, quibus priores iure debebãtur, contra malorum priores, quibus posteriores conueniébant.

ΠΑΡΕΡΓΑ. LEGALIA DE DIGNITATIBVS.

364 iuxta virtutem hanc sic pleriq; recentiores iureconsulti distinxerunt dignitates, vt aliae superillustres essent, sicuti patritiatus, & senatorius ordo, aliae verò illustres, vti consulatus, & praefectura praetorio, aliae spectabiles quemadmodum vrbis praefectura, proconsulatus & praetura, aliae clarissimae, sicut prouinciarum praesidentia.

Doc.i l. 1. ff de offic. eius.

positio legalis.

365 haec aũt sentẽtia, & in ipsa serie, & in ipsis exẽplis penitus falsa est: neq; enim vsquã probatur in dignitatũ ordine superillustres esse, nec quicquam in Iustiniani authenticis necessario in hanc rẽ probatur, nec ea dictio satis latina est.

in auth. vt ab illustri.

positio legalis:

366 cumq; praefecti spectabiles sint, ostendit Ausonius ab illustrium dignitate solum superari.

positio legalis.

in Mosella

„ Quiq; suas rexere vrbes, parumq; tribunal
„ Sanguine, & innocuas illustrauere secures
„ Praefecturatum titulo tenuere secundo.

quod etiam, & Cassiodorus planè testatur.

l.6. epist.

367 et quod ilii tradunt vltimum dignitatis gradum esse clarissimos, oppidòquàm falluntur, post illos enim subsequuntur perfectissimi. quàmobrem Iustinianus, cùm de clarissimis dixisset, subdit tractatũ de pfectissimatº dignitate.

positio legalis.

l.1.C.de pfec.di.l.xij.

368 et quòd caeteros magistratus, sub aliquo harumdignitatũ certo gradu collocant, in eo quoq; falluntur, vbi enĩ imperatores aliquem in magistratum deputassent, addebant qua vellent eũ dignitate frui, quò plerunq; fiebat, vt praefectus vrbis aliquando illustris foret, quandoq; spectabilis & praefecti nõ semper clarissimi: sed & aliqui perfectissimi & sic in singulis, quod nobis Cassiodorus demonstrat, qui binis epistolis formam verborum tradit, quibus hae dignitates à principibus solent conferri.

positio legalis.

369 ex his noscere possumus non accessiones has fuisse officij: sed officio accepto tùm principem secundùm viri merita & anteactos honores, vel clarissimatum, vel aliam dignitatem largitum fuisse.

Iulius maternus in princ. 3. l. l. 1. C. de ad. di. iud.

370 et propterea aliquando Consul est clarissimus.

371 nec est semper praefectus spectabilis.

nec

372 nec proconsul. l. 1. § ex fal. instan.
373 quid etiam si Senatores erunt clarissimi? l. 2. C. de his q. ven.
374 et vt paucis tandem concludamus, quicquid circa seriem magistratuum dicunt, malè dicunt. & emp.

ΕΡΓΑ, OFFICIA.

375 ad hanc quoquè virtutem pertinet officiorum expensio, & ideo illorum quoquè discursus est suscipiendus, considerantur autem illi iuxtà collationes. Simp. in enchi. Epic. Re.
376 quae vel naturales sunt, vel voluntariae.
377 rursus naturales, vel similium collectiuae sunt, vt fratrum, vel similium discretiuae, vt alienorum, vel dissimilium collectiuae, vt patris, & filij, vel dissimilium discretiuae, vt maiorum, & minorum.
378 voluntariae quoquè eandem subeunt diuisionem, vel enim similium collectiuae sunt, vt amicorum, vel similium discretiuae, vt inimicorum, vel dissimilium collectiuae, vt discipuli, & doctoris, vel dissimilium discretiuae, vt actoris, & rei.
379 cum tot itaquè respectus sint in quocunquè horum erimus ab eius natura officij formula componenda, & retinenda erit: voluntarium enim habitum, vel alter qui bono proposito, aut malo vtantur potest dissoluere, malo amicitiã, inimicitiam bono, quando propositum ipsum talem effecerat habitum.
380 naturalem verò non propositum: sed natura facit, quamobrem si pater, vel filius, vel frater malo vtatur proposito, neq; patris tamen, neq; fratris, neq; filij habitum dissoluit id propositum, cùm natura eos cõprehendat nõ voluntas. Arist. cap. 3. Ethic.
381 dubium autem esse potest an officij formula, quae à domini, seruiquè respectu deducitur dissolui queat, nos quidẽ cum relationem hanc à natura pendere arbitremur volũtate tolli non posse existimamus, dicant quicquid volunt Iureconsulti. 2. Ecch.
382 licet contrarium etiam possimus tueri, vt in oeconomicis fusius tractabimus.

VIRTVTES IVSTITIAE PARTICVLARI ACCESSORIAE.

383 Iustitiae verò particulari accessoria, est Magnanimitas, &

Amicitia, cum virtutibus adiacentibus, quae inferius de-
clarabuntur.

MAGNANIMITAS.

384 Magnanimitas verò est mediocritas quaedam, quae circa magnos honores versatur. quapropter magnanimus erit, qui se magnis dignũ iudicat honoribus, & meritò. ob quod Egidius, D. Thomas, & Henricus eã parti irascibili adiudicarũt, quòd ea tẽdere ad bonum quatenus est arduũ videretur: sed haec opinio superius Lustratij, Scotiq; rationibus fuit explosa.

385 in extremis excedunt illi, qui praeter meritũ, ac dignitatẽ magnis se iudicãt dignos, cũ re vera indigni sint, & a graecis χαῦνοι appellãtur deficiunt autẽ, qui minores honores meritis suis expetũnt, & in genere pusillanimi dicuntur.

MODESTIA.

386 est autẽ modestia sicuti quaedã parua magnanimitas, nam sicuti corpora magnã verè pulchra dicũtur, si ꝓbã omniũ partiũ comẽsurationẽ habuerint. parua verò nõ pulchra: sed tñ venusta dicũtur, sic etiã virtus in honoribus expetẽdis ĩ magnis quidẽ maganimitas erit, at ĩ paruis modestia.

AMICITIA.

387 caeterũ amicitia vel vtilis est, vel honesta, & sanè vtilis verũ nõ tangit amicitiae finẽ, & propterea secundũ quid rectè nũcupari potest, honesta verò ad rectũ dirigitur scopũ, & idcirco per se quidem, & simpliciter est amicitia.

AMICITIA VTILIS.

388 vtilis amicitia in ijs omnibus reperitur, qui proprij commodi caussa diligunt alios, vti senes sunt: hi enim à natura videntur habere, vt vtilitatem potius, quàm voluptatẽ sequantur, & propterea hoc genus vitae secundum lucrum Arist. in Reth. vocauit.

Arist. cap. 3. 8. ethic.

2. Reth.

389 interdùm etiam iuuenes hanc admittunt, atquè quidam consistentis aetatis, qui licet repugnante natura: aduentitia tamen quadam cupiditate vtilitatem sequuntur, proindè quemadmodum senilis amor turpis est, ita iuuenilis auaritia: vtrunq; enim illius aetatis contrarium esse videtur, viuunt enim iuuenes secundũ affectum non secundum lucrũ, & è cõtrario senes, vt in Reth. inquit Aristoteles;

est &

390 est & quoquè tertium genus hominum peregrinorum nẽpè, & hospitum, qui eos à quibus hospitio excipiuntur, vel etiam olim excepti sunt, vtilitatis caussa diligunt, atquè haec amicitia hospitalis dicitur.

AMICITIA HONESTA.

391 Amicitiae verò honestae formula ab amore sui desumẽda est; in qua quidẽ re sciendũ est prius amorẽ sui ipsius duplicẽ esse aliũ nempè malum, aliũ verò bonum, & malus sanè turpis est, & inhonestus, hominumq́; improborum proprius, qui suis cupiditatibus magis, quàm rationi parent. Arist. c. 8. 9. e. h.

392 bonus verò, & honestus in viro probo, & virtutis studioso reperitur: is. n. mẽti suae optima quaeq́; tribuit, eidemq́; gratificatur, & ꝓpterea maximè sui est amãs, queadmodũ. n. ciuitas à potiori parte denominatur ab ea scilicet, quae imperat, & id quod est eius partis beneficio videtur esse: sic enĩ Regnum à Rege, Aristocratia ab optimatibus, Democratia à populo deducitur, ita etiam homo à potiori parte, quae imperat anima nempè rationali denominatur. xi. concordia.

393 et propterea in hoc etiam Aristoteles, & Plato minimè dissentiunt, siquidem vterq́; existimauit hominem animã esse rationalem, corpore vtentem, mentisq́; participem. Plato in Alc. Arist. c. 8. lib. 9.

394 sed dubiũ est an vir bonus caeteros interdum magis amare debeat, quàm se ipsum, nos quidem in ea sumus sententia, vt id nullo modo fieri deceat asseramus: nã licet amor quo vir bonus amicos parentes, patriamq́; complectitur magnus esse debeat, adeo vt etiã pro illis mortẽ oppetere, si necessitas, & honestas exigat, nõ sit dubitaturus: non tamen idcirco ex his inferre licebit virum bonum maiori amore alios, quàm se ipsum complexurum, namq́; & pecuniae, & bonorum ipsius; quin etiam vitae iacturam faciet, & pro amicorum commodis ea exponet, vt ipse sibi maius bonum, honestatem scilicet comparet.

395 hinc cum honestatis tàm sit amatrix quaeri solet à scribẽtibus an ipsa virtus sit, & nos quidem quò ad hoc, sic iudicandum esse cẽsemus, vt eam inter externa bona cõnumerandam esse arbitremur (siquidem beneuolentiam mutuã vt inferius patebit expostulat, quod minimè in nostra potestate situm est) & propterea virtus haud est censẽnda.

quaeritur

Soto. de iust. & iu. l. 5. q. xi. ar. 7. 396 quaeritur & iterū an inter externa bona fama nè, an amicitia potior sit? nobis autem iudicibus lis haec sic dirimitur, vt cū amicitia non gignatur ex virtute nisi per eius notitiā, in qua fama consistit, inde fiat amicitiam praestātiorem esse quàm famam, tanquàm eius finem: nā frustra esset virtutis notitia nisi homines ad amandum alliceret.

397 caeterum cum & ipsa amicitia voluntatem nostram requirat in qua bona externa haud vendicant sibi locum, cur virtus appellari non debebit?

Arist. ibidē 398 sed vt eò regrediamur, quò digressa erat oratio, ex hoc deniq; amore suipsius amicitiae externae formula desumēda est: quemadmodum enim in honesta φιλαυτία inter rationem, & appetitum beneuolentia, concordia, beneficentiaq; perspicitur, sic & in honesta amicitia. secus autem in inhonesta, tùm φιλαυτία tùm amicitia.

BENEVOLENTIA.

Arist. 9. eth. cap. 5. 399 est beneuolentia amicitiae initium, non autem amicitia ipsa, siquidem haec inter ignotos contrahi nequit, nequè obscura potest esse sicut illa.

400 et tñ amicitia per ipsāmet beneuolētiā diffinitur, siquidē amicitia nihil aliud est, quàm beneuolētia mutua nō latēs.

401 est itaquè beneuolentia absquè contradictione, & genus, & initium amicitiae.

402 sicut enim voluptas, quae ex aspectu rei pulchrae prouenit principium amoris est: nemo enim amore capitur, nisi prius forma, & specie alterius delectatus fuerit, sic etiam & beneuolentia, siquidem amici esse nequeunt nisi prius benè velint sibi mutuo.

403 propriè tamen si loquamur amicitia haec est ociosa, cum bona tantum cupiat: etenim vera est amicitia, quae non modò bona alteri concupit, verum etiam conferre vult.

404 diuiditurquè trifariàm, quemadmodum & amicitia.

405 oriturquè à cognatione.

Plato in Lyside. 406 est autem cognatio conuenientia, vel in genio, vel in siderе, vel in animae, corporisquè affectione.

CONCORDIA.

cap. 6. 9. ethic. 407 concordia verò, quae in amicitia cadit, haud versatur in opinionū consensu: is enim inter ignotos etiā esse potest,

neq; in omnibus rebus, ſed in his tantùm quae ad vitae quotidianae ſocietatem conferunt.

408 ſed in hac re Ariſtotelem, & Platonem multi contrarios arbitrantur: videtur enim Plato amicitiam per ipſam cōcordiam diffiniſſe: Ariſtoteles autem hanc effectum, ſiue accidens ad amicitiam pertinens exiſtimauit: verum ni fallimur idem vterq; ſenſit, per id enim Plato amicitiam definiuit, quòd illi maximè proprium & conſonum eſſet, cōcordiā verò talē eſſe idē quoq; Ariſtoteles alibi fatetur. xij.cōcord. in Alcibia. primo, & i Clitophō. c.1. 8.eth.

COROLLARIA.

409 hinc & ſal amicitiae Symbolum fuit, tum quòd multa labilia in vnum quoddam ſolidum cogit, tum durationis gratia, corpora enim ſolidiora facit, & diutiſsime conſeruat, vnde hoſpitibus ante alios cibos apponi ſolitum, quò amicitiae firmitas, ac perſeuerantia ſignificaretur. Pieri. Val. lib. xxx.

410 quare pleriq; ominoſum habent, ſi ſal in menſam profundi contigerit: contra verò factum, ſi vinum & merum effuſum ſit, quia velut ex acquis ſal multis, & fuſilibus in vnū quoddam & ſolidum coit, ita ex diuerſo conuenientes in vnū animi coaleſcant, fiatq; platonicum illud μία ψυχή. poſitio ominoſa.

ΕΡΓΑ BENEFICENTIA.

411 Beneficentia verò ſub liberalitate, & Magnificentia continetur, idcirco illarum animaduerſionem expoſtulat. Ponta in l. de benefic.

LIBERALITAS.

412 quemadmodum autem temperantiae dolores ac voluptates, ſic liberalitati vt materies quaſi quaedam pecunia ſubiecta eſt, in qua vtenda, erogandaq; qui ſponte gratuitoq; verſatur, illud iure aſſequitur, vt liberalis viri nomen ſibi pareat, cum ſummo etiam tum ciuium, tum peregrinorum teſtimonio, ac Reip. in qua verſatur vtilitate. Ponta.in l. de liberal.

413 ſed quoniam duobus tantùm modis à mediocritate receditur, extremaq; ipſa ſibi aduerſa ſunt, propterea altero quidem modo peccatur parum omnino dando, nimiumq; cōtrahendo, quo vitio qui ſit affectus auarus dicitur, altero verò nimium dando, parumq; capiendo, quod prodigi proprium eſt, quò efficitur, vt cum liberalis in mediocritate verſetur modum menſuramq; in vtroq; retineat.

414 et ſanè medium hoc totum in delectu conſiſtit, nam & gratuitum

gratuitum debet esse, & recipientem, & id quod datur, & quantum & tempus animaduertere debet.

AVARITIA.

415 in defectu liberalitatis versantur auari, qui habendi, ac possidendi cupiditate plus nimio rapiuntur, & quàm dici potest abhorrent à dandi benignitate, huiusq; plures sunt species.

PARSIMONIA.

416 sunt enim qui rebus suis parcentes, summo etiam studio rei familiaris conseruandae intenti, & quàm potest minimum de suis impendentes ab alijs contineant, bonitate quadam natura ita victi, vt re sua contenti nihil turpe, nihil contra leges, contraq, humanitatem habendi gratia faciant, hos nominare parcos consueuimus, eamq; animi institutionem maiores nostri dixere parsimoniam, quae in priuatis quibusdam tenuiq; in re constitutis, ac laborantibus multitudine liberorum, humanisq; necessitatibus circumuentis laudari meritò potest, in Regibus verò, ac opulentioribus nequaquàm, quid enim principe indignius, quàm vt qui tam late imperet animum tam angustum etiã in vilissimis rebus habeat?

417 nec verò quis putet accusari à nobis tum alios quosdam, tum Fabritium illum, quòd magna parsimonia vsus dicatur, quem tantùm abest vt accusemus, vt summis etiam laudibus prosequendum ducamus, non modò quòd aurũ singulari quadam animi magnitudine contempserit: sed quòd cum videret se maiori rerum inopia circumseptum, licet è principibus ciuitatis, licet belli dux, maluërit tamẽ in paupertate illa parcendo viuere, remq; metiendo familiarem ab honesto nõ recedere, quàm per facinus aliquod abundare, hocq; Fabritij factum, si rectè reputetur, si tempora considerentur ad iustitiam, ad animi magnitudinem ad integritatem singularem, non ad auaritiam referendũ iudicabitur.

ALTERA SPECIES AVARITIAE NOMINE CARENS.

418 sunt etiam qui cum nihil cuiquàm de suo conferãt, nihilq; ex alieno rapiant, nõ tamẽ honesti gratia, vt hi de quibus

modo

modo dixi contineant: verum illud magis timent ne si ab alijs abstineant, sua tueri non possint dum alios prouocāt: diffidunt enim ipsi sibi, atq; ab inferenda iniuria manum cohibent, ne ipsis rursus inferatur, estq; species haec priore deterior.

AVARITIA VERA.

419 sequitur deterrimum auaritiae genus, quod sua non solum plus aequo continet: verum etiā aliena sine metu furatur.

PRODIGALITAS.

420 prodigus verò auaro contrarius, sine delectu pecunijs vtitur, parumq; omnino aut capit, aut quaerit, & propterea min'à medio recedit, cū & multis prosit, & libēter cōferat.

421 praeterea prodigus ipse, tum aetate procedente, tū quòd necesse est egenum tandem fieri, compositiores mores induit, atq; à quo recesserat medio paullátim regreditur, & cum de illius profusione multum demant anni, reuocatur ad sanitatem saepenumero.

422 sed auaritia insanabilis morbus est.

423 et licet haec duo extrema adeo contraria sint, reperiūtur tamen qui illinc effusione, hinc auaritia pariter laborent: nonnulli enim sua de re admodum solliciti, ne minimum quidem obolum in quempiam de proprio conferunt, caeterū ad vim rapinasq; cōuersi auferunt isti ꝙ illi largiātur.

MAGNIFICENTIA.

424 Magnificentia verò magna quaedā liberalitas est, & propterea mediocritas quaedam est in sumptibus magnis cum delectu faciendis.

425 verum in hac virtute id maximè perscrutatione dignum est, quo pacto videlicet mediocritatem, ac sumptuum magnitudinem simul consistere possint, quòd quidem nos sic declarare nitemur, quemadmodum parum ac minimum, quae quantitatis quidem sunt, dicuntur ratione mensurae omnis enim quantitas mensurabilis est, sic & magnum quoq; cum mensura cōprehendatur dimensionē suā habebit, in omni vero dimēsione est plus, & minus iuenire, ergò & medium, quod inter utrumquè constituitur, & propterea id in magnis quoquè sumptibus contingere necessarium est.

EXTREMA.

426 recedunt autem ab hac ipsa mediocritate genera hominũ duo, & qui dicuntur modici, pusilliq; cum non satis pro dignitate, ac decore se se gerant, quiq; faciendis sumptib' expleri nesciunt, quorum nomen etsi hactenus non satis proprium habeatur, appellari tamen eos ventosos à quibusdam animaduertimus.

SPLENDOR.

427 Magnificentiae adeo connexus est Splendor, vt ab illa vix separari queat: versatur autem ille circa domesticum cultum, familiarẽ suppellectilem, ornatumq; corporis. propterea si à Magnificentia secerni debet, ab eo sumenda est differentia, vt Magnificentia in aedificijs, spectaculis, muneribusq; versetur: splendor verò in ornamentis, domesticis, familiaribusque.

SVPPELLECTILIS.

428 Suppellectilem vocamus omne domesticum instrumentũ vt vasa, lances, textilia, eiusq; generis caetera, sine quibus commodè viui non potest, haec quanquam homines vsus, & commoditatis gratia sibi comparent: Splendidorum tamen officium est non vsum, aut commoditatem solam respicere, sed vt ea tum multa domi habeant, quibus etiã cum opus fuerit amici, notiq; commodè vti possint, tum egregia cum aliqua etiam vel artificis, vel materiae, vel vtriusque praestantia.

ORNAMENTA.

429 Ornamenta verò vocamus ea, quae non tam ad vsum comparata sunt, quàm ad ornatum, ac nitorem, vt signa, tabulae pictae, aulaea, fulcra, similiaq;, haec autem prae caeteris exigunt, tum vt sint magnifica, variaq;, tum vt suis in locis collocentur, aliud enim aulam decet, aliud Gynaeciũ quarũ rerum Iulium Caesarem studiosissimũ fuisse cõstat.

CVLTVS CORPORIS.

430 habet etiam Splẽdor in cultu corporis locum, cuius hasce putamus regulas optimas, vt Regum vestitus maiestatem retineat, virorum pro aetate atq: authoritate dignitatem, iuuenũ nitorẽ, elegantiãq; minimè muliebrẽ, puellarum venustatẽ, & cõptũ, Matronarũ decus quoddã & honestatẽ:

quod

431 quod autem iure accusat Martialis non bene olere illũ, qui sẽper bene oleat, idem nos in vestitu, atq; ornatu accusãdũ ducimus, si nihil unquã de cultu, atq; ornatu remittatur.

EXTREMA.

432 extrema verò occupant in defectu sordidi, in excessu luxuriosi.

BENEFICENTIA.

433 liberalitati & Magnificentiae finitima est Beneficentia, ex eo, quòd aliis prosit dicta, idq; cum liberalitate, Magnificentiaq; cõmune habet, inter has tamen hoc interest, quòd illae pecunia tantũm adiuuant, haec verò opera. Ponta in li. de ben.

434 omnium tamen propositum est alijs prodesse, omniumq; gratuitus finis est, solaeq; omnes benefaciendi rationem respiciunt, itaq; licet differant materia, in qua versantur fine ipso tamen conueniunt.

435 in hac verò maximè perscrutatione dignum est cur benefici eos de quibus sunt bene meriti maiore prosequantur amore, quàm ij, qui beneficium acceperunt benefactores suos, an quia per opus suum cuilibet id videtur esse quod est? propterea opus suum quisq; naturae ductu amare solet hincq; fit, vt beneficium suum quilibet, & eum in quem collatũ est naturae instinctu diligat, tanquam opus suum. Arist. c. 7. 9. eth.

436 praeterea cum beneficium in alium conferatur, vel propter honestatem, vel voluptatem, vel vtilitatem, si honestatem primò spectes, cum benefactor in accipiente opus suũ tanquam in speculo contempletur, delectatur eo ipso, is autem qui accepit, cum nullum opus honestum suum in altero videat, dantem vel non amat, vel certe minus amat quàm ametur, quanto scilicet vtilitas, cuius caussa dans amatur inferior est honestate, propter quam opus suum in accipiente beneficus amat.

437 si verò voluptatem consideremus, cum ea per se ratione temporis diuidatur in praesentem, praeteritãm, & futurã, benefici quidem maiorem iucunditatem in conferendo, quàm alij in accipiendo percipiunt, tum in praesenti iucundo (illis enim manet opus, quia honestas manet, quàmuis opus suum transierit: accipientibus verò facile transire potest vtilitas, qua euanescẽte, & cessante nõ amat amplius)

tum

tum in praeterito, cuius recordatio suauis est: is enim q beneficium contulit delectatur assidua recordatione honesti facinoris, quòd veluti indicium extitit interni habitus laudabilis, q verò accepit delectatus est olim vtilitate, nunc tamen postquàm transijt non delectatur amplius.

438 sed ad futurum si nos vertamus quod potiundi spe nos delectat, aliter se res habebit, quàm in iucundis praeteritis: nam qui beneficium collaturus est, honestatis spe non vsq; adeo delectatur, cum eo tantum, quod est delectari soleat, id autem quod futurum est, neq; est adhuc, neq; quale sit futurum agnosci potest: at qui accepturus est vtilitatis spe longe magis delectatur, quàm ille honestatis, cum vtilitatem beneficij ex ipsa indigētia sua cognoscat, & propterea longè amplius spe futuri lucri, quàm memoria praesentis delectatur, quoniam hoc transijt, nequè est amplius: illud verò contingere potest, & prodesse.

439 ex his illius paradoxi, in quo facile sustinebimus ratione voluptatis tum dantem, tum accipientem magis amare ratio apparet.

440 idq; ex eo oritur, quòd ratione vtilitatis accipiens semper magis, ratione vero honestatis conferens.

EXTREMA.

441 extrema vero Beneficētiae sūt maleficētia & inofficiositas

INOFFICIOSITAS.

442 inofficiosorum autem triplex est genus: alij enim ob innatum torporē, naturalemq; hebetudinem benefacere nec sciunt, nec volunt, qui potius miserandi, quàm accusandi videntur.

443 alij verò sunt, qui cum ad colendam virtutem, caetusq: hominum celebrandos nati sint, ita tamen viuunt ob pigritiam laborum, & molestiarum fugam, vt ne minimum quidē laboris propter ipsum humanum genus suscepturi videantur, qui eo contemptiores sunt, quod ijdem plerunq; somno, ac ventri dediti sunt.

444 horum etiam tertium quoddam genus est, quos an inter inofficiosos numerare debeamus non satis apud multos liquet: sunt autem isti, qui cum in coetera quidem vita negotia plurima, resq, admodum laboriosas gesserint, postea

defecti

defecti rebus negotijs cedentes in secessum quendam se se conferunt, vt quod vitae reliquum est sibi tantùm ipsis viuant, nos quidem huiusmodi homines inter inofficiosos numeramus: sunt enim actiui homines perinde ac equi inter quos non qui circa primos feruent carceres laudātur sed qui postquàm ad metam ipsam peruentum est, vires etiam recenteis ostentant.

MALEFICENTIA.

445 sic & Maleficentiae triplex est species: alia enī natura, alia praetio, alia voluptate exercetur.

GRATITVDO.

446 Beneficentiae gratitudo tanquam ex altera parte respōdet quae etiam in medio quodam consistit.

EXTREMA.

447 extremorum verò excessus est remuneratio absq; delectu defectus ingratitudo.

INGRATITVDO.

448 Ingratitudinis autem tria proponuntur apud stoicos dubia, quorum est alterum, an qui beneficium aequale redi- Seneca in ep. lxxxi.
derit, cum tamen maius afferre facile potuisset, ingrati animi labem euitare posit, & Hesiodo iudice, qui nos agros fertiles imitari volebat, qui multo plus afferunt, q̃ accipiunt ingratus est, cui nos adstipulamur.

449 secundum est, an si per aliam viam non liceat, ita grati debeamus esse, vt ingrati videamur, & nos sanè id effici debere iudicamus: nanq; si reddere beneficium non aliter, quā per iniuriae speciem poterimus, aequissimo animo ad honestum consilium per mediam infamiam tendamus: nemo enim pluris aestimare virtutem nobis videtur, quàm qui viri boni famam perdidit, ne conscientiam perderet.

450 dubitant & tertio an cum beneficijs par iniuria sit, ingratus euadat, qui bonum & malum reddere cum possit, malum tantum refert, & nos quidem eum minime gratum asserimus: quemadmodum enim reus sententijs paribus absoluitur, sic & in hoc casu, quicquid dubium est humanitas inclinat in melius.

451 quid? quod beneficia foenerantur, nequaquam verò iniuriae.

AMICITIAE VIRTVTES ACCESSORIAE.

Arist.c.xij. 9. ethico. 452 Virtutes verò amicitiae adiunctae ab Aristotele virtutes ὁμιλητικαὶ in specie appellantur eo quòd in vita quotidiana versantur, quarũ quidem altera seria est, altera ludicra.

453 et ludicra sanè iocis, salibus, factisq; ridiculis plena est, & Vrbanitas appellatur.

454 seria verò, vel ad personas, vel ad res respectum habet.

455 et quae in rerum respectu consistit, Veritas appellatur, & est candor & integritas quaedam, quae in dictis, & factis simul requiritur.

456 ea deniq; quae ad personas relationem habet, iucunditas est quaedam in dictis simul & factis, qua neminem offendimus: sed delectamus potius, quantũ quidẽ honestas ipsa patiet,& hęc virtus facilitas,& humanitas appellari potest.

457 in his autem virtutibus talis offert se se nobis dubitatio, cur videlicet Aristoteles de his virtutibus tractans, post facilitatem veritatem conexerit, cum potius vrbanitas esset admittenda, vt potè quae in eodem subiecto cum facilitate consentit, cum in iucunditate persistant ambae, nos quidẽ haec omnia sic deleri posse existimamus vt dicamus ordinem harum virtutum, vel secundum genus vitae posse attendi, & ordinem Aristotelis esse bonum, cum familiaritas, & veritas in serio vitae genere versentur, vel secundum subiectum, & tum ordinẽ esse inuertendum, quod & alias ipse fecit.

L2. c.7. et.

458 hae autem omnes in mediocritate persistunt, si quidem facilitatis extrema occupant blandi, seu placendi studiosi,& morosi, pugnacesquè.

cap. 13. 4. eth. 459 sic & veritatis excessus est arrogantia, defectus verò dissimulatio.

460 vrbanitatis excessus est scurrillitas, defectus verò rusticitas

ALTERA VIRTVS CARDINALIS FORTITVDO.

Pont. in li. de Forti. 461 deinceps eam virtutem aggredi debemus, quae irascibilẽ animae partem perficit, quam fortitudinem vocamus: nanq; sic gradatim procedendum est, si quidem primi sensus à natura nobis inditi sunt voluptatis, & doloris, post

Pla.2.de ll. quos fiducia & timor sequũtur, in qbus fortitudo cõsistit.

obiectum

462 obiectum autem Fortitudinis terribilia sunt, haec verò bifariam partitur Arist. alia enim esse vult quae omnino captum hominis exuperant, quippè quibus nec vires nostrae pares sint, nec vllus humanae prudentiae, rationiq; vel tolerandis illis, vel peruincendis locus relinquatur, atq; talia terraemotus, diluuia, fulmina, incendiaq; existunt, quae omnia fortes, & ignaui iuste metuunt. li. 3. eth. cap. 2.

463 altera verò, quae concutere quidem animos soleant, non tamen vt aut tolerandis ipsis humana virtus satis non sit, aut acrius ingruentibus parum constanter resistere valeat, quandoquidem eadem ipsa, vt viribus inferiora persaepè vincit, qualia sunt pericula bellica, & ea maximè, quae homini ab homine inferuntur.

464 cur autem bellica pericula & sint, & videantur grauiora, hinc est, quòd euidentiora cum sint magis sentiuntur: neq; enim aut morbo languentibus nobis, aut in mari à tempestate deprehensis statim mors ante oculos obijcitur, nec species eius tam foeda, horribilisq; apparet: quid? quod ipse gladius dum stringitur, dum vibratur, dum micat, ex ipsa confestim vibratione nescio quomodo commouet, terrificatq; animum, qui quòd vim illum laedendi habere intelligit repente concitatur, ac perhorrescit, quod aquarum nec motus efficit, nec tactio, & morbi quoq; , & ipsa in lecto cubitatio mortem faciunt leuiorem.

465 ad haec in bello, atq; inter pugnandum plurima repente accidunt, repentina autem, & nec opinata magis, ac magis animũ perturbãt, quę tolerare, aut vincere lõge est difficili'.

466 quid? quod comites morborum dolores, quaeq; mala morbi afferunt, quòd vitari nequeant, ipsa etiam necessitas tolerabiliora efficit, at bellorum difficultates, quaeq; acerba plurima in praelijs contingunt, quòd ipsa nos mens euitari posse moneat, ac subinde fugae admonere, eo aegrius est perpeti, atq; eorum impetus ferre ipsa etiã recusãte natura.

467 ex his placet fortitudinem ipsam sic definire, vt sit mediocritas quaedam in his periculis obeundis, rebusq; periculosis aut peruincendis, aut perferendis, quae mortem honestam allatura etiam repente videri possint.

468 diuiditur autẽ haec apud antiquos bifariam: altera enim

bellica, altera verò domestica appellatur.

FORTITVDO BELLICA.

469 est verò fortitudo bellica, quae in militando maxime perspicitur, quam priscis illis temporibus tanto in praetio fuisse constat, vt in quibus maior videretur, eos & Heroes vocarent, & vt Semideos venerarentur, & Romani licet virtutum omnium maxime studiosi: tamen vt qui iudicarent hominis excellentiam in fortitudine maxime positã esse, virtutem eam cognominarunt, quod Aeneae quoquè ad Ascanium verba declarant apud Virgilium.

„ Disce puer virtutem ex me, verumq; laborem.

470 et propterea ἀνδρεία à Graecis nuncupata est.

FORTITVDO SPVRIA.

471 Fortitudinis autem spuriae plures sunt species, quas particulatim recensebimus, vt vera melius innotescat, cùm itaq; fortitudo voluntate, recta ratione, & honestate nitaẽ nõ vera, vel volũtate, vel honestate, vel recta ratione caret.

FORTITVDO INVOLVNTARIA.

472 atq; in primis ea est inuoluntaria, quae oritur ex desperatione, quàm melius sub ignauia, quàm sub fortitudine collocandam existimauit Aristoteles, & cum eo diuus Augustinus, est enim (vt etiam Statius canit) vbi det vires nimius timor: nam & timidissimae quaedam belluae vbi nullũ habere se profugium clausae sentiunt, ferociores factae ob desperationem etiam acerrime pugnant.

c.xi.3. eth.
1. de ciuit. Dei

473 sub hac fortitudinis specie omnes illi collocandi sunt, qui ex desperatione mortem sibi consciscunt.

474 dubium autem est apud Platonicos an aliquando liceat se ipsum interficere, & sanè Macrobius id nullo pacto fieri debere censet, ennixus Platonis authoritate, hinc & illud Pythagoricum, ne diuidas in via lignum, idest ne diuidas corpus ab anima in ipso vitae spatio.

platonica positio.
Macro. de som. Scip.
Plotinus l. 9. 1. enn. & ibi fici.i phaedone.

475 huicq; sententiae fauere videtur Orphaeus, qui sub vniuersali prouidentia Iouis, Dionysij collocat prouidentiã, cui Titanes subministrant, qui à Iunone suasi laniare Dionysium finguntur, quem quia laniatum deuorarunt fulminati sunt à Ioue, ex quorum incendio homines nati sunt, & propterea non debet homines tanquam Dionysiaci semet ipsus

ipsis è vinculis corporeis vindicare, quod equidem licet simpliciter verum sit: in Platonicis tamen principijs mini me tutum habemus.

476 Olympiodorus autem ex altera parte animum hinc abigendum esse potius quàm cum insania viuendum existimauit, qua quidem perseuerante minime viuet homo: sed brutum: huic vero nos adstipulamur, putamus etenim iuxta Platonis principia ꝓ salute patriae, ꝓ honestate, ꝓ veritate seruãda certã subeundam esse mortem vel propria manu. ī phædone

477 à qua re Aristoteles etiam minime dissentiet. xiij. concordia.

478 dubitatione verò dignum est, qua nam morte huiuscemodi homines occumbere debeant, nos quidem eam laudabiliorem caeteris credimus, quae per inediam fit: semper enim id quod consilio fit praeferendum est ei, quod impetu patratur. Plotinus eodem & ibi Fici.

479 quapropter non video cur Ariostum reprehendant nonnulli, quòd Rogerium huic moriendi generi tanquam indecenti determinauerit.

FORTITVDO RECTA RATIONE CARENS.

480 sic & Fortitudo, quae recta ratione caret impetu quodam solum veram aemulatur, huius autem impetus occasio in agendo, patiendo vè prouenit, vel à principio externo, vel interno. Arist. li. 3. eth. cap. 9.

481 externa verò fortitudinis principia sunt illa, quae nos ad fortiter agendum impellere possunt, & cohortari: hortãtur autem, & impellunt tum leges, tum magistratus.

482 in quibus quidem prima melior est: licet enim à vera differat, cũ non propter honestatẽ: sed propter leges fortitudinẽ exerceat: simillima tamen verae est, cum vtraq; à virtute proficiscatur, illa quidem à fortitudine, haec verò à pudore qui affectus est laudabilis, & virtuti similis.

483 deinde persequitur honestum vtraq; illa quidem internum honestatem scilicet, quae in animo est: haec verò externũ honoris videlicet, & gloriae studium, ac ignominiae fugã.

484 quae verò à magistratibus emanat affinis quidem est illi, ea tamen deterior, ꝙ prior à pudore: haec autem à timore ortũ habeat, & illa turpitudinẽ, haec verò dolorẽ fugiat.

485 ſed illa quae ab interno principio ducit ortum pericula, quibus ſe exponit, vel cognoſcit, vel ignorat.

486 et ſanè qui cognoſcit ad ea ſubeunda animatur non à vera ratione: ſed vel ab exercitatione, vel ab affectu.

487 et ob exercitationem fortes ſunt illi, qui ſe ijs praeſidijs inſtructos norunt, quibus facile pericula iſta declinare poſſunt, vt in nauigatione Nauta, & in venationibus venatores, eſtq; haec fortitudinis ſpecies politica inferior.

488 ab affectu verò incitati agunt, qui periculi quidem magnitudinem cognoſcunt: verum illud ſubeunt vel appetitu praeſentis boni conſequendi, vel praeſentis mali profligādi, vel bona ſpe futuri euentus.

489 et ſanè primae duae ſpecies diſſimiles valde ſunt à vera fortitudine, & primò ex fine id apparet, ſi quidem vere fortis ſit honeſtas ipſa finis, iracundi verò vindicta, & cupidi iucundum.

490 praeterea id ab exemplo maximè patere poteſt, ſi enim ea quae ab ira, aut cupiditate fiunt à fortitudine proueniunt, & aſini eſurientes maxime fortes eſſent, poſtremoq; per virtutis quoq; formam id liquet: virtus enim electione, & conſilio fit, illae verò ira & cupiditate.

491 tertia quoq; ſpecies nempe illa, quae ex bona ſpe oritur diſſimilis eſt à vera fortitudine: vir enim fortis etſi ſperet: id tamen propter habitum perfectum habet

autem bene ſperant, quoniam cum antea ſemper omnia ex voto ſint adepti, exiſtimant hoc propter ſuam praeſtantiā ſibi contingiſſe, eaq; freti, nunc quoq; omnia foeliciter euētura ſibi confidunt, idq; per ſimilitudinem ebriorum apparet, qui itidem per bonam ſpem, quàm vinum excitauit, fortes eſſe videntur.

492 qui verò pericula ignorant, cum hac vltima ſpecie valde ſunt ſimiles: vtraq; enim rei euentum ignorat, neq; periculi magnitudinem ſcit, diſſimiles ſunt tamen, quòd ignorantes nullam penitus praeconceptam opinionē habentes qua ſe ipſis animent: ſed ratione deſtituti periculis ſe ſe ignorantes objiciunt, eapropter deteriores ſunt, quàm ἐυέλπιδος qui propter ſpem conſcij periculum ſubeunt, & aliquatenus perferunt, eamq; ob cauſſam ſunt praeſtantiores,

tiores, magisque fortes.

493 vera itaq; fortitudo verae rationi ennixa ob se solummodo promit operationes suas. in qua sanè dubitandi se se nobis offert occasio pulcherrima, cui scilicet fortitudini maior sit tribuenda laus. illi nempè quae sine Marte hostes vicit, prudentia, & humanitate, an potius illi, quae vi, sanguine, & Marte aperto. & vltimae sanè Romani fauent, qui huic triumphum, illi verò ouationem cōdonabant, primae verò Lacedaemones, siquidem ob eam Bouem, ob hanc verò Gallum ante aras mactabant, nobis autem iudicibus Lacedaemones sunt praeferendi. Plutarch. i vita Marcelli.

494 quaesitum autem video num verè fortis mortem vnquàm debeat appetere, in qua quidem quaestione multi sunt, qui mortem honestam à forti viro prae omnibus expetendam asserunt, quibus cum ego minime consentire possum.

495 cum enim electio sit eorum, quae sunt ad finem, ne fatua sit electio, oportet id, quod eligitur, ad consecutionem finis prodesse. Verùm electio mortis magis nocet, quàm prosit ad conseruationem Reip. proindè illa, neq; bona, neq; virtuosa est appellanda. quod & Durandus vidit. l.4. sen dis. 17. q. 6.

496 quis enim veretur idem esse iudicium de vnius, ac de omnium ciuium morte? quis autem affirmabit ab omnibus ciuibus pro Reip. tutela mortē appetendā? nititur nāq; illius defensio ciuium vitae: quamobrem illorum mors, vel illius subuersio, vel saltem esset diminutio. nullus itaq; audeat pro Reip. incremento mortem appetere.

497 aggrediatur itaquè vnusquisquè fortis bellum pro victoria obtinenda cum aliter nec defendi, nec conseruari patria posit. quamobrē illa Horatij sentētia est explodēda:

„ Qui perfidis se credidit hostibus,
„ Et marte Poenos proteret altero
„ Qui lora restrictis lacertis
„ Sensit iners, timuitquè mortem?

FORTITVDO DOMESTICA.

498 Fortitudo verò domestica est, quae procul à negotijs bellicis in euersione patriae, in exilio, in paupertate, in orbitate, in caecitate, & in huiuscemodi rebus se exercet.

EXTREMA.

499 et cuoniam fortitudo mediocritas quaedam est in metu sedando fiduciaq; regenda, hinc & nimis meticulosi deficiunt, excedunt autem fidi nimium, propterea de his, sicuti de extremis pertractandum est.

METVS.

de Rep. 500 duplicem verò timoris speciem posuit Plato, quarum vnū esse inquit cum timemus nequid à nobis turpiter factum, dictumuè sit quod malam de nobis opinionē parere possit hunc verò valdè colendum esse à nobis existimat eiusquè contrarium publicè, priuatimq; summum esse malum.

xiiij. concordia. 3 eth. c. 14 de compa Plat. & Ar. 501 neq. hanc distinctionem abnuit Arist. vt malè Trapezuntius sensit, siquidem Philosophus pudorem timorem metaphoricum vocat.

502 primus autem vti iam supra diximus ad temperantiam magis, quàm ad fortitudinem spectat, & propterea circa secundum immorabimur solùm.

503 atquè etiam hac secunda metus specie vir fortis non debet vsquequaquè carere, is enim & honestus esse potest, & inhonestus.

504 et honestus sanè est, qui circa mortem inhonestam cōtingit quò non rectè quis timidus vocari debet, quinimò & cum forti maximè adiudicandum esse censemus.

COROLLARIVM.

505 hinc & apud summum poetam ingemit Aeneas mortem in vndis, tanquàm minimè honestam, eosq; felices vocat, quibus sub Troiae maenibus altis contigit oppetere.

EPΓA.

506 inhonestus verò metus in illis apparet, qui mortem honestam fugiunt, & horrent, vel nimium dolorem ex ea suscipiunt.

FIDVCIA.

507 sic verò à metu fiducia discrepat, vt assequendi boni studium à mali fuga, & quanquàm alter alteri contrarius, vterq; tamen naturalis est affectus: namq; vt mala secundū naturam metuimus, & quia metuimus declinamus, sic bona secundum naturam expetimus, excitamurq; ad ea aggredienda, atquè vt quaedam honestum est metuere sic

rursus in quibusdam confidere inhonestum.

508 confidentiae verò duplex est species: altera enim nunquã sibi deficit, & hanc vulgo temeritatem appellant, in quà re duos excellentissimos Imperatores Pelopidam nempè, & Marcellum peccasse remur.

509 sed altera praeceps est quidem ad incipiendum, post verò magis, & magis deficit, audaciaque dicitur.

VIRTVTES FORTITVDINI ACCESSORIAE.

510 est verò Fortitudini adnexa clementia.

CLEMENTIA.

511 Clementia quoquè cum ad irascibilem animae potentiam pertineat, ad fortitudinem spectare videtur, & in eo consistere videtur, vt affectui vehementissimo irae scilicet fraenum imponat, ne animi tranquillitas è statu suo deijciat.

IRA.

512 est autem ira breuis insania: nam sicuti furentium certa sunt indicia audax, & minax vultus, tristis frons, torua facies, citatus gradus, inquieta manus, color versus, crebra, & vehementius acta suspiria, sic & irascentium eadem sunt signa flagrant, & emicant oculi, quatiuntur labia, dẽtes comprimuntur, horrent, ac subriguntur capilli, adestq; gemitus, & mugitus, & parum explanatis vocibus sermo proruptus, & alia multa, adeoquè vt nescieris an detestabile vitium, magis sit, vel deforme. Seneca in l. 1. de ira.

513 sed dubitauerit aliquis, nec mehercule iniuria, cur Plato hanc inter furores non connumerarit, qui homines infrà suam speciem deijciunt, an quòd de illis solùm locutus est, qui habitus cum existant diuturni sunt? hic verò breuis est, & citò transit. in cõuiuio in Phaedro & in Ione.

514 et ab Aristotele diffinitur ira, vt sit cupiditas doloris reponendi ex quo patet iram ex laesione, & iniuria nasci, & propterea cum nunquàm nascatur, nisi vbi rationi locus sit, patet feras non irasci, quae ratione carent, & saepius nec iniuria irritatae, nec doloris caussa fremunt. Seneca eodem. Plato in Menone.

515 hinc & manifestè patet, non tàm subitò à specie iram moueri, vt priusquàm accedat animus excurrat: nanq; speciẽ acceptae iniuriae capere, & vltionem eius cõcupiscere, nec Seneca

laedi se debuisse, & vindicari debere, non est illius impetus, qui sine voluntate concitatur.

516 patet etiam eos qui vulgò saeuiunt, & sanguine gaudent humano, non ira, sed feritate impelli, cum eos occidant, à quibus nec acceperunt iniuriam, nec accepisse existimant.

517 duplex autem existit ira, altera quidem diuturnior, permanentiorquè, altera verò acrior quidem primò, & concitatior: sed citò placabilis.

Politianus de iracun.

518 primam Graeci μῆνιν nostri rancorem appellant, estquè illiberalis, contumacisquè naturae signum, & saepius hac perciti aliud in lingua promptum habent, aliud in pectore clausum, atq; altera (vt inquit Plautus) manu ferunt lapidem panem ostentant altera, passimquè Homerus illam Agamennoni tribuit.

519 quin & Achilli quoquè: quapropter non video, quomodo illum ex Homero Heroem nonnulli afferant, cui nostrae sententiae etiam & Plato ipse adstipulatur.

520 altera verò à Graecis θυμὸς à nostris autem excandescẽtia dicitur, & in ijs plerunquè eminere videtur, qui animo sunt ingenuo, liberaliquè.

EXTREMA.

521 virtutis autem, quae hanc iram moderatur, extrema sunt Iracundia, & Lenitas.

IRACVNDIA.

522 Iracundia excessus est, quae à medio longè plus abest quã defectus.

lib. 7. ethi.

523 nequè tamen in hac peccantes, vel in medio irascendi furore à rationis imperio penitus abhorrent: videntur enĩ isti quòd praeclarè Aristoteles inquit audire illam quidem: sed ministrorum praecelerum more, qui antequàm totum, quod imperatur audierint excursant, ac deinceps in agendo aberrant, similesquè sunt canibus, qui audito tantùm strepitu, priusquàm venienti accedant allatrant sine discrimine.

524 defectus verò nomine caret, lenitas tamen à nobis appellabitur modò, quae cum à stupore, & animi hebetudine proficiscatur, non secus vituperanda videtur, quàm in adolescente tarditas.

est etiam

525 est etiam & alia huiusce extremi species, eorum nempè, qui sentiunt quidem iniuriam, & irascuntur quoq; non vlciscuntur tamen propter ignauum degeneremq; animū, cuperent tamen vlcisci, si absq; periculo suo id fieri posset, itaq; non stolido vt priores: sed seruili timidoq; animo praediti nobis videntur.

ALTERA VIRTVS CARDINALIS PRVDENTIA.

526 iam tempus postulat vt ad Prudentiā transeamus quae rationalem animae partem perficit, & idcirco vt innotescat melius de habitibus huiusce animæ partis est pertractādū.

HABITVS INTELLECTVS.

527 intellectus autem vel necessaria, vel contingentia contemplatur. Arist. 6 et. cap. 2. 3. 4.

528 atq; contemplatio necessariorum, vel est simplex, vel composita.

529 simplex verò diuiditur ratione modi, quo intelligitur, nā vel aliquo medio per discursum, & ratiocinationem intelligit, atq; tùm est scientia, in qua cōclusio, siue id quod cognoscendum est tanquam ignotum per aliquod prius, atq; *notius* verum esse ostenditur, vel absq; medio, & nuda solum apprehensione, atq; intellectus proprie dicitur, quo prima vniuersalia absq; vlla demōstratione cognoscimus.

530 et à triplici fontę vltimus iste habitus emanat, vel enim ab inductione, vel a sensu, vel ab intellectu agente.

531 compositus contemplationis habitus, ex simplicibus supradictis oritur talis autem est sapientia, quae & conclusiones per medium cognoscit, atq; eatenus scientiam est, & ipsa principia sine medio apprehendit, hacq; ratione intellectus dici potest.

532 habitus verò, qui ad contingentia diriguntur, vel contingentiam habent ex parte obiecti, vel ex parte nostra.

533 si ex parte nostra opinio nascitur, quae quidem tùm est semper, cùm effectus veram, & adaequatam caussam minime habemus: hinc & optime Plato scientia ab opinione cò distinxit, quò etiam Daedali statuas ligatas, à non ligatis separauit si quidem illae istis semper pulchriores, & firmiores erant. in Alcibiade

si verò

534 si verò ex parte obiecti contingens sit, vel est actiuum, vel factiuum, atq; actiuum quidem prudentiam, factiuum autem artem nobis demonstrat.

535 in necessarijs itaq; intellectus principia, scientia conclusiones perpendit, ex vtrisq; sapientia aggregatur, in contingentibus prudentia actiua, ars verò factiua considerat, quae consideratio non adeo superficietenus est intelligenda: multas enim pateretur absurditates.

536 quoniam actiones & factiones minime sufficiunt ad distinctionem artis, & prudentiae, alioquin & Magnificentia ars esset, & saltatoria prudentia, verum & modus considerandi requiritur.

537 ex quo dicimus prudentiam ad actionem dirigi cuius principium in nobis sit.

538 Artem verò ad factionem, cuius principium extra nos sit.

539 sed inter istos habitus solum prudentia perficit morales virtutes, vt potè quae appetitui licet in mente sit det formam.

540 hinc & cùm appetitu coniungatur, semper etiam ad operationem tendit. & propterea non admittit obliuionem.

541 mirari posset autem aliquis, quo pacto aliarum virtutum sit forma, cùm in diuersa persistat animae parte, at mirari desinet si calluerit intelligentias Coeli formas esse, & ab illo tamen abstractas.

542 sunt autem prudentiae partes, vel materiales, vel formales.

PRVDENTIAE PARTES MATERIALES.

543 materiales sanè ex subiecta materia prudentiam diuidunt nãq; cum circa humana bona prudentem versari dicamus, quae quidem vel circa se ipsum, vel circa alios sunt, propterea prudens non minus alijs, quàm sibi prouidere studebit.

544 ex his itaq; prudentiam diuidimus in eam, quae est ad alios & eam, quae est ad se ipsum.

545 ea verò quae est ad alios, vel in societate politica, vel oeconomica perspicitur.

546 et sanè politica prudentia vel est in vniuersalibus legibus condendis, & prudẽtia architectonica dicitur, vel in par-

ticularibus casibus dictis, factisuè explicandis, & nomine generis politica dicitur, quam si cum prima conferamus, se ad illam habebit, perinde atquè praxis ad theoricam.

547 illa verò, quae erga semetipsum est non est prudentia, vti vulgus existimat praestãtissima, neq; habitu differt à prudentia ergà alios: sed personarum tantum respectu, vt si quis ab hostibus captus vitam suam prudenter conseruet, & inimicorum manus effugiat, is vitae suae partim consuluisse videbitur, & tamen vna, eademq; opera, & familiae suae patremfa, & R.P. suae prudentem ciuem conseruabit, & restituet.

PARTES FORMALES.

548 partes formales sunt illae quae rationem habent tùm agendorum, tùm actorum.

549 et quò ad primam partem spectat prudens de rebus agendis consultabit, quod quidem ad consultationem spectat, de qua superius vidimus.

550 acta verò examinabit, iudicabitquè per sagacitatem, atq; sententiam.

SAGACITAS.

551 est autem sagacitas, quae vel secundùm legem, vel certe absq; lege aequalitatis solius ratione habita, quid iuris sit perspicere potest, & propterea cum circa agibilia versetur ab habitu theorico excludi debet, qui circa res aeternas, & sitas extra potestatem nostram versatur. li.6.cap.xi.

552 in illis itaq; persistit, in quibus etiam & prudentia, & ppterea ratione subiecti cum ea conuenit: est tamen diuersa, cum ab ea distinguatur ita, vti species à genere.

553 errant igitur, qui acquisitae prudentiae perfectum habitũ eam existimarunt: namq; prudentia perfecta non tantum acta iudicat: verum etiam quid agendum sit deliberat atq; praecipit, est igitur non solum iudicatrix: sed & deliberatrix, quapropter vltra sagacitatem, quae solummodo iudicat quid aliud comprehendit.

SENTENTIA.

554 sententia verò nihil aliud est, quàm viri boni, & moderati rectum iudicium, & propterea species erit iudicatiuae prudentiae.

vniuersim.

555 vniuersim autem omnis iudicandi prudentia cum iustitia concidere videtur re vera: differt tamen, quatenus enim iudicium aequalitatem seruat iustitia est, quatenus verò rectae rationi nititur, prudentia.

TOTVM EX PARTIBVS COLLECTVM.

556 hae verò prudentiae partes, cum suo toto priores non sint vere partes non maerentur appellari.

557 ni forsan eo modo partes dicamus, quo animae potentias partes appellamus.

558 ex his autem ea constat virtus, quam qui possidet caeteras quoq; possidere dicitur.

559 quinimò qui vnam perfecte tenet, alias quoq; ob prudentiam possidebit: quapropter non potest vna absquè alijs consistere.

1. Rhet. 560 licet in Rhetoricis encomium vni virtuti, eudemonismus verò omnibus conueniat, quod superioribus non aduersatur.

561 hinc & veteres prudentiae triplicem tribuërunt oculum memòriam nempe intelligentiam, & prouidentiam, vt primo praeterita, secundo praesentia, tertio futura virtus oculatissima salubribus intenta consilijs perspiceret, atq; huc tota Homeri fictio in odyssaea de Vlisse tendit: dum enim Mineruam illi semper haerere testatur, demonstrat nobis semper prudentiam comitem esse debere, cuius cōsilia nunquàm deserit Vlisses.

562 quòd idem de Achillis Pallade in primo illiad. pronunciamus, non itaq; illis assentio, qui Palladem allegoricè rationem interpretati sunt.

VNIVERSALIS VIRTVS IVSTITIA LEGALIS.

563 particularibus virtutibus expensis, tùm principibus, tùm accessorijs superest vt eam modo pertractemus, quae ambitu suo omnes alias ambit & iustitia vniuersalis seu legalis dicitur.

Proclus in lib. de vir. 564 quae quidem in ea animae potentia, quae appetibilis in superioribus est à nobis appellata consistit, & propterea est tanquàm in centro omnium aliarum virtutum, hinc & facile

facile ad omnes excurrere potest, cum etiam appetibilis anima ad concupiscibilem, irascibilem, & rationalem facile extendatur.

565 haec autem potentia appetibilis habenis rationis parens nihil aliud à nobis existimatur, ex Platonis, Aristotelisquè sententia, quàm voluntas ipsa, & ideo quò ad hoc non est quòd dissentiamus à Scoto, Buridano, & Occha qui Temperantiam, Fortitudinemq; cum Iustitia in voluntate reposuerunt.

Scotus i 3. sen. distin. xxxiij. Buridanus quaest. vl. I.eth. Occha q. x.

566 et propterea diffinitur optime Iustitia ab Vlpiano, vt sit constans & perpetua voluntas ius suum vnicuiq; tribuens, in qua considerandum est iurisperitum voluntatem non pro potentia accipere: sed pro illius actu, quod non est adeo nouum vt aliqui existimarunt, si quidem nomen potentiae aliquando tribuitur actui, hinc & principiorum cognitio dicitur intellectus, & in eo sanè verbo ita intellecto, scientia & electio continentur, quae virtutis sunt duae primae conditiones.

li. I. ff. de ius. & iur. Thomas 2.2. q 58. Soto l.3.q. 2.art.I.

567 et quòd additur constans, & perpetua illò porrò spectat, vt non aliter pro vera perfectaq; virtute accipiatur, quàm si ad habitum, & stabilitatem absolutam sit deducta: nam quemadmodum ea quae calore quodam, & impetu animi patrantur non ponuntur in vitijs, ita nec ea per contrariũ in virtute haberi oportet, quae adoloscentulorum more repentino quodam ardore animi recte fiunt: non enim vt vulgo dicitur vna hirundo facit ver, nec dicendus est re vera temperans, qui se in vna aliqua libidine contineat, cum in alijs interim omnibus se se effundat.

568 quòd autem ad perpetuum attinet animaduertendum est id bifariam posse sumi, & primo actus ratione, qui nunquàm interrumpitur, quae quidem perpetui ratio Deo competit, secundo ratione obiecti, vt scilicet quisquè sibi proponat in omni euentu debitè, & secundùm legem operari, quae conditio cum necessaria sit omni virtuti, propterea sic iustitiae definitio sumi debet.

569 et sapienter appositum est etiam illud verbum constans, quod quidem no est idem (vt male dixerunt multi) quod perpetuum, hoc enim propositum dicit solum sic semper

operandi

operandi, illud autem addit propositi firmitatem, nempe vt homo tali proposito non nutet, & vacillet: sed fixum id gerat.

570 et quòd adhibuit ius suum vnicuiq; tribuendi, differentiae locum obtinet iustitiam à caeteris virtutibus separans, atq; adeo eius speciem complens.

571 quid itaq; sibi vult Buridanus, qui hanc definitionem iustitiae conuenire, quantum ad omnes actus suos, negauit? is enim existimauit hanc tertiam solum iustitiae partem complecti, non etiam & secundam, quae sunt honeste viuere, & neminem laedere, verum labitur, si quidem quatenus ad iustitiam spectat, quae virtus est ad alios ordinata, ea tertia pars primam & secundam in se continet, quod & Plato in R.P. testatur.

v.eth. q.2.

4. de R.P.

572 ex his liquet Menedemum Erytriensem defendi posse, qui omnes virtutes vnicam tantùm existimauit.

IVS.

573 est autem obiectum iustitiae ius, seu iustum, & ideo de iure quoq; pertractandum est.

574 et in primis commonefacimus idem esse ius quod iustum: per apocopen enim iustum ius dictũ est, & propterea quod philosophus appellauit iustũ, vbi dixit iustitiam esse habitum iustorum effectricem, Iurisconsultus nuncupauit ius, dum dixit iustitiam esse virtutem, quae ius suum vnicuiq; tribuit, vnde apud Graecos δίκαιον idem promiscue significat quod iustum, & ius, ex quibus apparet errasse Buridanum, qui secus existimauit.

Soto li. 3. q.1. art.1. v. ethico. l.1.ff.d ius

575 diuiditur autem summè ius in diuinnm, & humanum.

576 humanum autem (namq; de diuino satis in tertio libro pertractandum erit) diuiditur vt aliud sit naturale; aliud verò positiuum.

IVS NATVRALE.

577 Ius naturale est, quod natura omnibus hominibus tradidit, & propterea non rectè quòad hoc senserunt Iureconsulti, qui quidem ius naturale brutis quoq; conuenire existimarunt: ius enim cùm obiectum iustitiae sit, secundùm iustitiam quoq; nuncupari debet.

Alex. li.2. de ani. ca. xxxxij.

578 sed quis adeo Pythagorae Porphyrioq; addictus iustitiam

in brutis admittet?

579 ab hoc iure quod quidem in rebus est, lex naturalis emanat, fluitq; & haec in mentibus nostris insculpta impressaq; est, & propterea ipsamet potentia nō est, neq; etiā affectus. So'o l. 1. c. 4. art 1.

580 ex his perquirat aliquis an habitus appellari debeat, & in hac dubitatione Diuus Thomas illi fauet parti, quae legem naturalem habitum negat, neq; enim mentis habitus (vt philosophorum plerių; putant) sunt propositiones, ac iudicia secundum habitum, ob id quod ex assensibus crebris relinquātur habituales assensus, à quibus postea efficiantur actu: sed qualitates quaedam, & virtutes eliciēdi iudicia, lex autem est propositio, quae rationem de rebus agendis constituit, non est igitur lex habitus per essentiam. p. 2. q. 94.

COROLLARIA.

581 ex his manifestè liquere potest, non esse idem naturae legē quod Synderesim: hanc enim Angelicus idem Doctor docuit esse habitum, nempè virtutem mentis, quae nos reddit aptos ad assentiendum principijs practicis, sicut habitus intellectus est propensio, & appulsio ad assentiendum principijs speculatiuis. 1. p. q. 79.

582 vnde vbicūq; legatur Synderesim esse legem intellectus nostri vt est apud Basilium, intelligendum est non per essentiam: sed per eam metonymiae particulam quae pro efficiente effectum sumit: Synderesis enim est habitus efficiēs legem naturae, quippè cuius virtute principia illa iudicamus.

EPPA.

583 est autem lex naturalis, & ius ipsum immutabile per se, ratione verò hominis interdum mutari potest, quemadmodum & materia per se immobilis est, ratione verò formae mobilis, & propterea quod depositum sit domino reddendum per se consideratum simpliciter est necessarium: sed quia mutabilis est homo, cum dominus prauè affectus suum gladium petit ad occidendum, non est illi reddendum quia mutatio non penès ius: sed penès hominem contigit: Arist. v. et. cap. 7. Soto l 3. q. 1. art. 2.

584 et propterea male soluunt huiuscemodi dubitationem Iureconsulti, dum ius naturale interdum tegi, non mutari affirmant. in §. sed iura in t. de iu. nat. g. & ciuili

IVS POSITIVVM

585 verùm post ius naturale, ius quoq; humanum,& positiuum necessarium fuit, nàq; sicuti in speculabilibus,sic & in practicis innata nobis vis est ex vniuersalibus principijs, & indemonstrabilibus conclusiones deducere, easdemq; in duplici differentia, alias quippè necessarias demonstramus, vt in Mathematicis, alias verò propter incertitudinem consequentiae sub opinione colligimus pro qualitate cuiusq; scientiae,pari modo in practicis principijs,ex primis lex naturalis exprimitur: sed tamen quia actiones nostrae in singularibus versantur, necesse est ex eisdem principijs obseruatis adiacentibus ad particularia descendere, illae itaq; regulae hunc in modum constitutae, quia non necessario ex solis principijs naturalibus emanant: sed rationis adminiculo constituuntur, humanae leges nuncupantur.

D.Tho. p. 2.q. 95. Soto q. 5. art. 1. li. 1.

586 diuiditur autem hoc ius,in ius gentium, & ius ciuile.

IVS GENTIVM

587 Ius gentium est quod gentes caussa necessitatis admiserũt, & differt à naturali, eo quòd naturale hominibus conuenit secundum absolutam rerum considerationem: ius verò gentium in ordine ad certum finem, & per adiacentia certa consideratum est.

Soto l.3.q. 1. art. 3.

588 quaerat autem aliquis de huiuscemodi iure an indispensabile sit, quemadmodum ius naturale, cui quaestioni sub distinctione respondendum est; sunt enim aliqua de iure gentium adeo conducentia ad humanum conuictum, vt nullatenus fas sit super illis dispensari vt in legatorum iure videre licet.

589 quod tamen intelligendum est iuxta principia actiuae vitae, secus autem si simpliciter loquamur: non enim si caussa fidei secus poscat ius est legatis seruandum.

Ratio Theologica

590 alia verò sunt eiusdem iuris, quae cum non ita conducant sunt pro caussa dispensabilia: seruitus enim licet sit de iure gentium dispensatum est tamen saepius, ne in bello capti serui sint.

IVS CIVILE.

591 Ius autem ciuile est quod vna quaeq; ciuitas sibi constituit & propterea ex eo differt à iure gentium,qoud hoc vbiquè

ferè

ferè idem reperitur, id verò iuxta ciuitates variabile.

592 praeterea ius gentium ex principijs naturalibus, in ordine ad aliquem finem,& ſecundum quid per viam concluſionis dicitur, vt dicas agri colendi ſunt, & homines negligentiores ſunt ad communia, quàm ad propria, ergô priuatim poſsideantur.

593 ius autem ciuile colligitur ex vno principio naturali, & altera praemiſſa ſuper particulari re arbitratu humano poſita vt ſi dices res iuſto pretio vendantur, iuſtum autem tritici pretium pro ratione praeſentis loci, & temporis eſt vnius aurei.

594 eſt autem animaduertendum ne quemquàm diuiſio Ariſtotelica fallat, vbi ius politicum diuidit in naturale & legitimũ: haud enim politicum pro eo prorſus vſurpat quod iuris prudentibus eſt ciuile, nam ius naturale non eſt ſpecies ciuilis: ſed illi contrapoſitum: ſed appellauit vniuerſim ius politicum, ius omne quo ciuitas vtitur, quo nomine & naturale, & gentium, & ciuile comprehenditur. l.v.et.ca.7.

AEQVITAS.

595 aequitas verò eſt iuſtitia quaedam à iuſtitia differens: hæc enim vniuerſale reſpicit, illa verò particulare: namq; euenit interdum aliquid, quod minimè dictum fuit à legiſlatore ob naturam rerum agendarum, quae varia & mutabilis eſt, quae vbi lex deficit, & omittit, indiget emendatione & ſupplemento vnde fit vt oriatur bonum & aequum. Ariſt.5 et. cap.xv.

596 et propterea vocabulo Graeco ἐπιείκεια ἀπὸ τοῦ εἴκειν, ideſt à cedendo dicta eſt: neq; enim ſummum ius perſequitur: ſed de iure ſuo cedit, hinc illud ſummum ius ſumma iniuria.

EXTREMA IVSTITIAE VNIVERSALIS
INIVSTITIA VNIVERSALIS.

597 recedit autem à mediocritate iuſtitiae vniuerſalis, iniuſtitia vniuerſalis in pauco, & in multo, ſemper eodem nomine appellata, & licet iuſtitia omnes virtutes contineat, nõ tamen iniuſtitia omnes vitiorum ſpecies ambit, contraria ſunt enim ea ad inuicem.

598 quòd verò ad iniuſtitiam particularem attinet ſciendum, & non omnes eos qui actiones iniuſtas agunt, iniuſtè etiam

cap. x. 5. eth. agere: adulterium enim quis committat (quod quidem scelus est grauissimum, & capitale) non tamen quod eum cuius vxorem constuprat iniuria afficere velit: sed libidine inflammatus, hic intemperans erit, neq; iniustus particulari iniustitia; sed vniuersali tantum, quatenus contra leges facit.

INIVRIA.

599 ex quibus facile patere potest iniustitiam particularem, & iniuriam conuerti.

cap. xij. 5. eth. 600 sed vt intimius iniuriae naturam calleamus, vniuersalis haec regula semper est attendenda, vt nempe eam electio praecedat, & ideo non solum actus violenti, seu per vim seu per ignorantiam iniuria nõ afficiunt, quòd etiam qui monomachiae leges profitentur, admittunt: verum etiam & nonnulli spontanei, quod illis aliquo pacto reluctatur.

601 neq; enim laesio alicuius in sui defensionem alterum afficit iniuria, & actiones illae, quae vel ob iram, vel ob alium similem fiunt motum, iniuriam etiam excludunt, si quidẽ vti diximus electionem iniuria supponit.

DVELLVM.

602 iniuriae verò gratia impijssimus Monomachiae abusus ortus est, quandoquidem iniuria laesus laedentem ad singulare certamen conuocabat, & ideo inter Duella Pancratiũ adnumerari posse nequaquàm existimo, si quidem in eo pugnis, calcibus, cubitis nudi, & in coeno, vel arena se volutantes, & inuicem supplãtantes certarent honoris existimationisq; caũsa, non iniuriae delendae gratia.

603 et quò ad eius inuentionem attinet, crebriori calculo ea est recepta sententia, quae Mantineis ea adscribit, id ex eo coniectans quòd bellicum sagum, veteresquè armaturae Mantineae appellarentur, hoc verò penitus falsũ esse demõstrat Goliae, Dauidisq; certamen.

604 quàm autem improbandus sit eiuscemodi abusus, ex eo liquere potest, quod falso existimarunt iniuriam melius factis, quàm verbis tolli, cum tamen contrarium verius sit: namq; si contraria contrarijs curantur, iam electionem pęnitẽtia castigabit, quę ꝑ verba quę passiones animi indicãt, palã fiet, facto aũt nunquã iniuriae caũssam dememus.

et quid

605 et quid erit tandem si omnem iniuriam à nobisinetipsis proficisci dicamus, neq; nos alterum : sed nos ipsos tantũ iniuria afficere posse asseramus? anima enim rationalis, vel hominis pars praecipua, vel homo ipse : quamobrem qui alterum laedit appetitum praefert rationi, sicq; cum iniuriam afferat animae rationali semetipsum etiam offendit, quod & Platoni, & Diuo Ioanni Chrisostomo placuit.

Plato in dial. d RP. D.Chriso. in dial. an qs afferre posit sibi ... iu.

606 huiusce rei testis Lamech impij Caini progenies, qui sic alloquitur, virum occidi in vulnus mihi, & iuuenem in cicatricem mihi : liquet enim quòd si quis fortitudinis rationem occidit, se ipsum contrario morbo timiditatis vulnerat, & sic in caeteris.

Phil.iud. i l. ꝙ Det. pot. insid. soleat.

607 neq; ab hac sententia aberit etiam Aristoteles ipse.

xv. concordia. cap.pe.a.v. eth.

HEROICA VIRTVS

608 hactenus in illis virtutibus versati sumus, quae homini, quatenus homo conueniunt, reliquum est vt eam perquiramus, quae hominis naturam superat quam heroicam virtutem dixere veteres.

1.eth.ca.7.

609 homo itaq; cum medius sit inter bruta, & Deos, si suprà naturam suam elatus Deos imitetur, tam agendo quàm contemplando, quatenus Dijs similis quodammodo euadit, Deus & Semideus nuncupatur, quatenus verò Deus non est sed homo manet, heros appellatur.

610 hoc sub fabularum inuolucris veteres expresserunt, quãdo eos appellarunt heroas, qui ex Deo, & mortali essent prognati. hoc est, qui virtutibus supra communem hominum consuetudinem excellentissimi essent, cumq; mentis virtutes propter sui praestantiam masculae videantur esse, morales autem foeminae, idcirco alios ex Deo, & mortali muliere, alios ex Deo, & mortali viro genitos esse finxerunt.

COROLLARIVM.

611 hinc & Plato heroas ἀπὸ τοῦ ἔρωτος idest ab amore dictos fuisse testatur cum omnes heroes, vel ex amore Deorum ergâ mulieres humanas, vel amore virorum ergâ Deos sint geniti.

in Cratilo

EPYA.

612 praeterea ex diuersitate virtutũ alios Iouis filios propter

iustitiam, & prudentiam, alios Martis ob bellicam fortitudinem vocauerunt.

613 vt autem quòad hoc attinet omnia summatim perstringamus, non differunt heroicae virtutes ab humanis, praeterquàm sola excellentia, proinde quot sunt species humanarum totidem, & heroicarum.

IMMANITAS.

614 huic verò virtuti immanitas opponitur, quae vel ab habitu summe malo, vel à mala natura, vel à corruptione principij nascitur.

IMMANITAS AB HABITU MALO.

615 et sanè illa feritas, quae ab habitu summè malo fluit, vel in Deos, vel in homines patratur. *Pont. in li. de imanit.*

FERITAS IN DEOS.

616 et quae rursus in Deos est, vel deficit, vel excedit.

617 cum enim religio sit homini à natura insita, omnesq; ferè aliquàm de Deo praenotionem habeant, in primo quidem ac maximè immanitatis genere versari mihi videntur illi Deum esse, qui negant; aut si esse confiteantur cultum tamen illi suum, vt nullam habenti rerum humanarum curã minimè tribuendum censent, atq; isti valde deficiunt.

618 excedunt autem, qui dum placare Deum volunt hominẽ ipsum priuatis, ac publicis in sacrificijs mactãt, ac illius sanguine aras imbutas cõspergunt, vt olim apud Dianam Tauricam, & Carthaginenses.

619 sed dubitabit aliquis an qui se Deum, vel ex diuina prole natum, vel nuntium à Deo missum, vti Salmoneus, qui & Iouis tonitrua effinxit, & diuinos sibi honores exhiberi postulauit, & Alexander, qui se ex Ioue natum dictitabat, & impius Maumethes qui Dei se prophetam praedicauit inmanes cum certe sint excedant, vel deficiant? & magis est, vt in deffectu sint collocandi, tanquàm Deum inhonorantes, vt potè qui, vel totum, vel partem diuini cultus à Deo dementes sibi arrogant.

620 perscrutatione quoq; dignum est an gentes illae, quae canes Ibidesuè coluerunt immanes sint appellandae? an id potius negandum est? hoc enim magis ad ignorantiam, & ad meticulositatem quandam referẽdum est, quam quod à

ratione rebellarint diuina, nec tam ad voluntatē referendum est, quàm ad veri ignorationem: sed de his omnibus diffusiùs in tertio libro disputabimus.

IMMANITAS ERGA HOMINES.

621 belluarum quae gradiuntur solo duplex est genus alterum frugibus ac fruticibus, alterum carne ac cruore vescitur, vtrunq; tamen salax est, & in libidinem pronum, in primo Equi, Boues, Caprae, quaeq; facile domitantur numeranda sunt, in secundo Leones, Vrsi, & Tigrides, primum licet in Venerem ruat: in feritatem tamen sanguinolentam vix vnquàm, secundum in Venerem pariter, ac rabiem incensum ferri solet, itaq; duplex est haec feritas, & quae Veneris tantùm rapitur impetu, & quae rapido, ac cruento homines igitur summe mali, & in feritatem delapsi, duplici modo immanes ergâ homines fiunt, & venereo ab impetu, & rabioso ab illo, ac cruento appetitu.

622 est itaq; immanitas haec viuendi ferinus quidam impetus, insatiabilisq; hominum appetitio prostrata ratione, & voluntate prorsus à recto abalienata, haec autem licet eiusmodi sit solius tamen cum sit hominis, nimirum sic videtur finienda, vt sit hominis habitus quidam, ab omni prorsus humanitate, ac mediocritate seiunctus, versans circa dolores, & voluptates, è feritate prouenientes.

623 et cum etiam animalia bruta matribus nullo habitu concubitus discrimine misceantur, propterea homines qui cū matribus, & sororibus coeunt, & cum his demum quibus coniungi lege vetitum est, magis immanes, quam libidinosi, vel intemperantes appellandi sunt.

624 sic & illi, qui cum bestijs coeunt.

625 quae autem in appetitu cruento consistit, vel in publicum, vel in priuatum vim infert.

626 et ea quae ad publicā spectat est Tyrannis de qua inferius sermocinabimur, quae autem ad priuatos pertinet, vel in consanguineos, vel in alios grassatur.

IMMANITAS A MALA NATVRA.

627 feritas autem à mala natura, & in his etiam versatur in quibus superior: attamen in his si Aristoteli credimus praecipue apparet, qui humana vescuntur carne. 7. ethi.

IMMANITAS A CORRVPTIONE PRINCIPII.

628 ea verò quae à corruptione principij fit, vel ab intellectus vel à memoriae, vel à voluntate defectu ortum habet.

629 et haec caeteris tum immanior, tum excusabilior existit.

630 generatim autem omnes quasi monstra, siue hominum, siue naturae vocitanda sunt, cum homines caeteri nati sint ad caetus colendos, societatemq; conseruandam: hi verò ad desolandam tantummodo, & quatenus in ipsis est penitus exhauriendam, quare teterrimi quidē apparent, immanissimiq; animalium omnium, quibus ab arte non insit sensus cognitioq; perimendi, & ideo iure dixit Arist. pessimam esse iniquitatem armatam.

1. politic.

VOLVPTAS.

631 superest solum, vt accidens quoddam necessario consequēs felicitatem ipsam expendamus, quod quidem voluptas dictum est.

632 in cuius consideratione id peripateticum in primis occurrit nobis, an videlicet in sensu, vel in appetitu tanquàm in subiecto voluptas existat, qui enim illam in sensu collocāt duas in sensibus affirmant perceptiones esse, quarum prima ab extrinsecis ad interna, secunda è conuerso proficiscatur: primo namq; sensus ex obiecto dulcedinem recipit, deinceps se illam percepisse considerat, in qua vltima consideratione ex Arist. sententia nonnulli voluptatem ponunt sed male: nam appetitus voluptatis propria est sedes, si quidē appetibile mouet: sensibile verò intelligitur.

x.eth. cap. 2 3. 4. 5. & Mars. fici. in li. de volup.

633 neq; tamen re sensum ab appetitu seiungimus, si quidem appetitus semper est cum sensu, ab eo tamen rationibus varijs distinguitur.

634 quamobrem Gellius, & Cicero, qui dolorem sensus actionem vocarunt, dum illum tristem sensum, & asperrimum esse diffiniunt, haud satis propriè loquuti esse mihi videntur.

635 dum autem in appetitu voluptatem locamus ipsius appetitus duas proprietates animaduertere debemus, quarū altera nos ad ea, quae procul sunt bona procliues reddit, altera verò in eo quod adepti, consequutiq; iā sumus cōsistit

primam

primam cupiditatem,& eam quidem moleſtia,ſollicitudine,cura, anxietateq́; plenam, alteram verò quietem, & hãc ineffabili quadam ſuauitate perfuſam nuncupant, quarum vltima voluptas & rectè dicitur, vt nihil aliud voluptas eſſe poſsit, niſi terminus quidam, ſiue quies appetitus in bono, quod iam aſſequutum ſit.

636 atq; hoc eſt, quòd ſibi vult Ariſt. dum voluptatem operationis illius cui competit, vt contemplationis, viſionis, auditionis, caeterarumq́; omnium adiunctam quandam perfectionem definiuit: quae enim maior poteſt eſſe perfectio animae partis cuiuſq́;, quàm vnio cum amata re?

637 ex his apparet magis per ſtatus, quàm per motus rationem cognoſci voluptatem, cum totus motus ſimul conſiſtere nõ poſsit: quod tamen ſecus euenit in voluptate.

638 nec tamen errauit Plato, qui voluptatem ſuauem quãdam motionem in ſenſibus, quae ex indigẽtiae repletione, proficiſcatur finiuit: docuit enim aliâs ipſe motuum genera duo alterum corporeum, alterum autem quod & animis conuenit incorporeum, cuius indiuidua ſit motio, atquè vno temporis puncto ſimul tota conficiatur. xvi. concordia. in Philebo in Phædro

639 et licet Plato omnem voluptatem malam affirmet, id autẽ Ariſtoteles neget, minime tamen adinuicem diſcrepant, ſi quidem apud Platonem voluptas ſemper eſt rerum corporearum (namq́; mentis voluptatem, gaudium paſsim appellauit) & idcirco ſemper mala, apud Ariſtotelem verò voluptas ſumitur pro aggregato voluptatis gaudijquè Platonici. xvij. concordia. in Philebo in x. ethic. in Protagora.

640 eſt autem pulcherrima dubitatio de laetitia, an nempe inter voluptates, vel inter affectus connumeranda ſit, cum primis ſtant ſtoici, cum ſecundis autem Ariſtoteles, cuius ſententiam potiorem eſſe arbitramur. 2. ethicorũ

641 et licet quid laetitia ſit Ariſtoteles expreſsiſſe nõ videatur nos tamen ex illius viri ſententia ſic illam declaramus: cũ nobis quippiam, quod bonum appareat obiectum eſt, eius aſſequutioni ſtatim animus aſſentit, atq; hinc cupiditatẽ, ſeu libidinem oriri palam eſt, propterea ſtudet vt voti cõpos efficiatur, in qua re iam cura, ſollicitudoquè manet, quòd ſi minus ſe conſequi poſſe cõperiat, diffidentia cuius

pedissequa est disperatio oritur, sin autem rem ex sua sententia euenire posse speret, fit spes, quàm deinde confidentia boni futuri firma, ac facilis expectatio sequitur, ex qua iam letitia pullulat, erectio nempe quaedam animi sperātis se absq; vlla dubitatione, quod petierit possessurum, hancq; putamus Aristotelis in hac re sententiam, quod & Ficinus asserit. in lib. de volup.

642 posset etiam aliquis dubitare cur in ethicis duobus in locis Aristoteles de voluptate pertractarit, huic nos sic satisfacimus, Aristotelem in septimo ethicorum de voluptate pertractasse, quatenus dispositionū ethicarum subiectum esse videbatur: in decimo autem tanquàm de principiorum ethicae vitae iam explicatorum accidente, & haec quò ad eam philosophiae moralis partem attinet, quàm Monasticam Graeci dixere satis sint: de operis enim cessatione, q̃ ludum dicunt satis in politicis dicemus. in 7. & in x.

POLITICA.

643 Animal prae caeteris sociabile indigentiaq; repletum cum sit homo, idcirco solus esse longo tempore minime potuit quapropter duae fuerunt constituendae societatis caussae, quae non modo cunctas hominum societates principio vnum in locum congregauere: sed eos etiam auxerunt, conseruaruntq; diu, communionis nempe studium huma nō generi à natura insitum, & rerum ad vitam necessariarum indigentia. Arist. 1. politicorum.

644 alterum dissociatos homines cupiditate quadam inter se conueniendi copulauit, alterum ne dissipati diu vellent ferarum ritu vagari cognito societatis beneficio effecit: vtrunq; autem sicuti omnes hominum societates semper deuinxit, ita perpetuo continet, atq; conseruat, contra neglectum easdem dissipat, & euertit.

645 ex his itaq; caussis prima societas viri nempe & Foeminae ortum duxit: namq; ab hac omnes aliae societates proueniunt: quomodo enim sublato viro foeminaq; superesse possunt domini, serui, & liberi?

646 sit itaq; haec prima societas, quae non modo electione: sed & natura prouenit, quandòquidem in hominibus perinde ac in caeteris animātibus, quae orbata nō sunt naturale est

desiderium

desiderium tale alterum relinquendi, quod hac societate per generationis vicem assequitur.

647 secunda fuit societas naturalis etiam & ipsa domini & serui, qui quidem propter vtriusq; salutē societatis necessitudine iungendi fuerunt: nam qui mente valet prospicere quae agenda sunt, quaeue omittenda ad vtriusq; salutem, is natura praeest, & dominus est, qui autem id mente perspicere non valet: sed corporeis viribus, quae bene perspecta sunt, exequi potis est, is natura subest vti seruus.

648 ex istis duabus societatibus tota domus coalescit, quae quidem & naturalis est societas quotidiani vsus gratia.

649 et ex pluribus domibus pagus iam natura fluxit, qui quidem prima est ex pluribus domibus societas vtilitatis gratia non quotidianae.

650 ex pluribus pagis orta est ciuitas, quae quidem perfecta est communio totius perfectionis, existens bene viuendi gratia, & cum à societatibus secundum naturam proficiscatur eam quoq; & secundum naturam esse nō est ambigendum.

COROLLARIA.

651 ex quo iam patere potest primas ciuitates sub regibus fuisse, nec ab re quidem si ab ijs processerunt, qui regio suberant imperio: omnis enim domus à seniore tanquàm à rege moderatur, quare & pagi, & ciuitates inde propagatae ab eodem propter generis affinitatem.

652 atq; id est quod ait Homerus ius quisq; ministrat progenitis, ac coniugibus, & hanc ob caussam arbitrabantur veteres Deos rege gubernari: quemadmodum enim formas Dijs similes se gerere putabant homines, ita quoq; & eorū degere vitas.

653 et ex his legem consuetudine priorem in ciuitatibus fuisse credimus. positio legalis.

654 secus autem ante ciuitates. positio legalis.

ΕΡΓΑ.

655 verum cum omnes qui societatum foedus ineunt, eius gratia efficiant cuncta, quod bonum videtur, nòn est ambigēdum omnes ciuitates boni alicuius gratia esse constitutas: sed in illius boni cognitione nòn omnes consentiunt cum alij iucundum, alij vtile, alij verò honestum sectentur,

propterea

propterea particulatim ſunt omnes examinandae, vt verior innoteſcat.

RESPVBLICAE AD VTILITATEM DIRECTAE.

656 ad vtilitatem ſpectant duae Reſpublicae Tyrannis nempe & Olygarchia.

REIPVBLICAE FELICITAS EX OPINIONE PERIANDRI ET PISISTRATI TYRANNIS.

Ariſt. 4. pol. c. x. & li. v. cap. x.

657 et ſanè Periander, & Piſiſtratus Reip. felicitatem exiſtimarunt in Tyrannide perſiſtere, eſt autem illa vnius principatus inuito populo, qui ſine ratione ſuae adminiſtrationis reddenda pares, ac meliores herili imperio dominatur, propriam non autem ſubditorum vtilitatem quaerens, quamobrē ſi proprie loquamur errat Thucydides, qui eos quoq; Tyrannos appellat, qui cum Tyranni vim infringere poſſint minime tamen labefactant.

in 1. lib.

658 labuntur & etiam, qui & Barbaros reges, & Graecos Aeſymnetas, hos ad praefinitum tempus, illos verò ad vitae ſpatium conſtitutos inter Tyrannos numerant: ſunt enim hae gubernationes regiae ſecundum leges, & volentibus imperant: ea verò inuoluntaria, & ex ſuo arbitrio dominationem exercet.

659 et propterea diuerſum habet haec à Monarchia ortum, quando Rex è praeſtantibus per excellentiam virtutis, aut rerum geſtarum, aut generis ſumitur: nam regia poteſtas tanquàm praeſidium à populo bonis, manſuetiſq; viris efficitur, Tyrannus verò à populo naſcitur cōtra viros inſignes, vt populo nihil officiant, & ideo magis Caeſar, quā Pompeius ad Tyrannidem declinauit.

660 verum & alia quoq; ex Regibus tranſgredientibus patria iura, & affectantibus magis dominari, alia ex primis magiſtratibus, alia ex paucorū potentia eligentium aliquem, ad ſupremum magiſtratum fluit, quarum generatio perinde, atq; prior longe à regia gubernatione recedit.

661 cum antem Monarchia ſit habitus quidā inter Tyrannides medius, ideo neceſſarium eſt Tyrannidem duplicem eſſe, alterā quidē in exceſſu, alterā verò in defectu conſiſtentē.

et ea

662 et ea quae in excessu consistit, tum potentiam subditis tollit, vti Periander Corinthius fecisse dicitur qui potentiores, & sapientiores interfecit, tum omnia demit, vnde cõsueuerunt oriri inter ciues intelligentia & fides, vt commessationes, sodalitates, disciplinas, scholas, conuentusq́;.
663 praeterea & animos populi pusillanimos reddit, quod q́dem ex eo praestat, si nititur, ne lateant quaecunquè quis subiectorum dixerint, aut fecerint, quod multorum exploratorum indicium est, quos auricularios nuncupabat Hyeron.
664 defectus verò apparet in eo qui Tyrannidem ad Regiam gubernationem magis refert, dum tamen potentiam semper retineat, per quam non modo volentibus: verùm etiã nolentibus dominari possit: nam si hanc abijciat, simul & abijcit Tyrannum esse: sed hoc tanquàm suppositionem quandam manere oportet, caetera verò partim facere, partim simulare, vt regia gubernatio videatur, & in hac re peccasse Pisistratum credimus.
665 eaq́; mouētur Tyranni ratione, quòd omnia ad ipsos tanquàm ad Reipub. caput referri debeant.

HORVM EXPVGNATIO.

666 sed quàm labantur ex eo facile potest innotescere quòd vtilitas minime finis est rectus, si ab honestate seiungatur, vt superius in theorematibus de amicitia dictum est, & ideo nulla felicitas in ea potest esse. Plato in Gorgia.
667 praeterea quò pacto totum aliquod felix nuncupabimus, in quo capiti adeo consulatur, vt dum omnia tribuantur ei, caeterae partes pessum eant?
668 quinimo Tyrannis eò detestabilior est, quò & paucorum potentiae, & status popularis mala continet, namq́; sicuti paucorum gubernatio diuitias respicit, sic & Tyrannis: per hos enim solas Tyrannus permanere potest, si quidem conductos retinet custodes, & sumptus facit in illis educandis: cum populo suo nulla in parte confideat.
669 arma verò ciuibus suis adimere, & multitudinem populi conculcare, ex vrbeq́; pellere communia sunt vtrarumquè paucorum scilicet potentiae, & Tyrannidis.
670 ex populari autem Tyrannis vexare nobilitatem accepit, eamq́;

eamq; clam euertere, & aperte in exilium pellere, tanquã aduersariam, & machinatricem in potentiam suam.

671 praeterea cum immanitas (vti iam supra diximus) adeo sit detestabilis, quis etiam Tyrannidem nõ execrabitur? haec enim & in homines, & in Deos quoq; immanis est, quòd & Dionysij cauillum demonstrat, qui ab Aesculapij fano mensam argenteam, tolli iussit poculo boni Daemonis circumlato, post quod mensae tollebantur, quid ergô sibi vult Cicero, qui Dionysium mensas argenteas ex omnibus delubris abripuisse testatur, quod Deorum bonitate vellet vti, cũ in ijs mensis inscriptũ esset bonorũ Deorũ?

Athe. lxv. dip.

REIPVBLICAE FELICITAS EX OPINIONE MEGABIZI OLYGARCHIA.

672 Olygarchiae verò duae principes non quatuor (vt Aristoteles dixit) sunt species, alia nempè, in qua paucissimi diuites lege posthabita iubent, alia verò in qua imperant.

Arist. 4. pol. c. v. & vi.

673 et haec rursus tribus perficitur speciebus, prima est, in qua ciues solum à magno censu ad administrationem Reipub. admittuntur, secunda in qua à paruo quidem censu: sed ex determinatis quibusdam ad suscipiendos magistratus habiles iudicantur, tertia cum in magistratu pro patre filius succedit,

674 in istis autem omnibus caeteris longè deterior est prima.

HORVM EXPVGNATIO.

675 damnandam verò esse Olygarchiam ex eo facile quis potest videre, quòd idem ferè & Tyrannis, & Olygarchia respiciunt: non enim paucitas & multitudo distinguit per se paucorum potentiam à populari statu: cum vere differant hae duae administrationes secundum paupertatem, & opulentiam: in eo enim positum est esse Olygarchiam, vt diuites siue pauci siue multi dominentur, Oclochratia verò est, in qua egentes siue pauci, siue multi Rempublicam tenent.

lib. 3. pol. cap. v.

676 pessimè itaq; ea gubernabitur ciuitas, quae ab ista paucorum potentia regetur: cum enim à diuitijs emanet virtutes floccipendens, auaros, & vitiosos ciues suos reddit.

677 quàmobrẽ & paucissimo tẽpore manet: quin & ea vndecim

ambit

ambit, ob quae facilis est Reipub. mutatio, lucrum nempè honorem, iniuriam, metum, excessum, contemptum, incrementum praeter proportionem, verecundiam, negligentiam, paruitatem, & dissimilitudinem. v.pol. c.3.

REIPVBLICAE FELICITAS EX OPINIONE PLEBIS OCLOCHRATIA.

678 Oclochratia similiter summè scinditur in duas partes: vel enim lex in ea imperat, vel non.

679 et in eà in qua lex minime iubet, omnes ad magistratuum functionem indifferentes habet: in hac autē maxime prae caeteris pollent, qui pauperes valde sunt, & nobiles, diuitesq; oppugnant. Polybius lib. 5.

680 et ea in qua lex dominatur peior est prima, si quidem in hac magistratus, & honores secundum exiguum censum dispensantur, & in his duabus Rep. illi ductores oriuntur, quos Graeci Demagogas vocāt, quales Mathon, & Spendius apud Polybium fuere. 4.pol. c.4.

681 animaduertendum autem est Aristotelem non distinxisse Oclochratiam à Democratia, sed solum Platonem, & *Polybium*. ī politico. Polybius lib. 5.

HORVM EXPVGNATIO.

682 sed & Oclochratia haec longè à vera ratione decedit, cum nobilitatis vexationem, & abiectorum vtilitatem tanquā vltimum obiectum suū consideret, propterea gubernationem à nobilium manibus ereptam, & in opificum, viliūq; hominum voluntate locatam, quis non indignabitur? 4.pol. c.4.

683 et inter has Reipub. labes Oclochratia caeteris est minus mala, & de huiusmodi Repub. peruersis loquens Plato, hanc caeteris minus vituperauit, à quo non discrepat Arist. quando Monarchiam prae caeteris laudat, si quidem tum de bonis Rep. loquitur. ī politico. xviij. concordia. 3. poli.

REIPVBLICAE FELICITAS EX OPINIONE OTHANIS, DEMOCRITIQVE DEMOCRATIA, VEL ISONOMIA.

684 Democratia est Respub. verò, quae ad iucundum dirigitur, in qua res agitur ad imperium multitudinis, ita vt

quod

Herod. l. 3. ꝙ pluribus videtur id cōmune ſit, hancq; apud Herodotū laudat Othanes, cum de inſtituenda Perſarum Repub. agitur, eamq; etiam á nomine admiratione dignam cenſet: dicitur enim ἰσονομία, quaſi iuris aequalitas, ſi quidem in qua multitudo dominatur, aequo inter omnes iure omnia dimetienda ſunt.

685 atq; huius tres exiſtunt ſpecies, in quarum prima ſecundū aequalitatem, & pauperes, & diuites aequam habent gubernandi poteſtatem, ſecunda in qua magiſtratus & honores illis etiam communicantur, qui exiguum habent cenſum, tertia in qua omnes idonei ciues adipſcendorum honorum habiles ſunt. (4. pol. c. 4.)

686 et licet Ariſtoteles huius plures connumerarit ſpecies: nō tamen neq; ipſe, neq; nos reprehenſionem ſubimus, quandòquidem is Oclochratiam à Democratia non diſtinxit, et ideo ſimul omnia coniungens maiorem numerum Democratiarum retulit, nos verò qui eas adinuicem ſeparauimus, minorem.

687 in illis autem, quas nos enumerauimus ſemper lex dominatur, quae iubet vt in ijs magiſtratus, vel ſuffragijs, vel ſorte ducantur, earumq; finis libertas eſt: nihil enim magis cupit popularis multitudo, quàm poteſtatem viuendi habere vt velit.

HORVM EXPVGNATIO.

688 verum huiuſmodi Reip. genus inter bona teterrimum eſt, licet inter mala minus malum: namq; quemadmodum virtus arithmeticam analogiam maximè fugit, geometricā verò prae caeteris amplexatur, vt potè quae rerum rationē perpendat, ſic & Reſpub.: homo enim homini (vt eſt in adagio) praeſtat, cur itaq; in hac Rep. omnes ſunt aequales, & omnes libertatem affectant ſi in hac & ſtulti, & intelligentes, & natura ſerui, & natura domini reperiuntur?

RESPVBLICAE AD HONESTVM TENDENTES.

689 ſequuntur Reſpublicae, quae ad honeſtum pro virili à varijs Philoſophis directae ſunt.

Reipublicae

REIPVBLICAE CARTHAGINENSIS FELICITAS EX OPINIONE PHALEAE POSSESSIONVM AEQVALITAS.

690 et in primis expendamus Carthaginensium Remp. à Phalea institutam, qui ad hoc semper visus est aspicere, vt ciuium facultates aequales essent, quòd perfacile factu visum est illi, si statim ab ipso ciuitatis exordio, & cum primum conditur, prouideatur, post eam conditam, licet difficilius id fieri possit: tempestiue satis tamen, si diuites dotes dent, nec accipiant, pauperes autem accipiant quidem, & non tradant. 2.pol. c.5.

691 atq; illa ratione motus haec statuit, quòd omnes ferè seditiones è facultatibus oriantur: quantū verò earum aequalitas conferat ad tumultus comprimendos, veteres etiam Graeci videntur cognouisse, si quidem & Lycurgus, & Solon ea de re legibus sanxerunt, & apud alios etiam lege cauetur, vt non quantum quisq; velit: sed quantum lex promittit agri possideat, sic & proprias facultates venditioni exponere, apud Locros leges vetarunt, nisi ingentem aduersae fortunae calamitatem venditores accidisse monstrassent, praeterea & lege cautum fuit, vt antiquae hereditates conseruarentur, quod sublatum apud Leucades val de popularem reddidit eorum ciuitatem, cum non amplius eueniret à determinatis censibus ad magistratus subuehi.

692 forma verò Reipub. mixta erat, si quidem in ea & Regium & Senatorium, & populare imperium erat.

HORVM EXPVGNATIO.

693 attamen Phaleae statutum circa facultatum aequationem minimè sufficiens fuit: namq; si facultatibus vnicuiq; modus est imponendus, sic etiam in filiorum numero modum imponere debemus: si enim filiorum numerus facultatum quantitatem excedat, necessarium erit abrogare legem, irritamq; facere.

694 et sine illa abrogatione lex erit improba, vt potè quae ex diuitibus pauperes efficiat, ex qua re quoq; seditiones oritentur multae.

695 deinde tametsi legislator mediocres ciuibus omnibus

ſtatuat facultates, neq; hoc tamen vtile ſatis eſt, cum magis cupiditates, quàm facultates eſſent aequandae, quòd quidem fieri nunquàm poterit niſi ſufficienter ciuitatibus diſciplina ſit per leges adhibita, eaq; prorſus declarata, debet itaq; legiſlator non ſolum huiuſmodi legum diſciplina prius, atq; accuratius ciues imbuere, verum etiam illam penitus explanare, quàm facultates aequare.

696 inſuper ſeditiones oriuntur nō ſolum propter facultatum: ſed etiam & propter honorū inaequalitatē, licet contrario modo circa vtraq;: nam multitudo grauiter fert facultatum inęqualitatem; praeſtantes autem viri inaequalitatem honorum: quàmobrem debuit Phaleas, & de honorum aequandi ratione determinaſſe.

697 praeterea homines non modo propter neceſſaria, quae à facultatibus proueniunt, iniuriantur: ſed & per non neceſſaria quaedam, quae iucunda tantùm ſunt, & vt illis poſſint ſine moleſtia frui: quinimo maximè afficiuntur homines iniuria per ea, quae minimè neceſſaria ſunt: vt verbi gratia Tyrannidem inuadunt aliqui, non vt frigus repellant: ſed dominandi libidine, atquè exceſſu, & vt illa ſine modeſtia poſſint abuti, multa mala patrant: quapropter magnus honor habetur non ei, qui furem ob neceſſaria interfecit: ſed qui Tyrannum: minus igitur eſt facultates aequaſſe, quae voluptates, & concupiſcentias neceſſarias reſpiciunt, quàm ſi concupiſcentijs exceſſuum, & rerum non neceſſariarum prouidiſſet, palam eſt itaq; Phaleā paruis iniurijs in ſua R.P. occuriſſe, & magnas omiſiſſe.

698 quaerat autem aliquis, quòd nam horum trium concupiſcentiarum videlicet neceſſariorum, non neceſſariorum, & volentium ſine moleſtia voluptate frui remedium ſit? nos breuiter ſic cum Ariſtotele reſpondimus, vt primis facultates paucae, & aliquòd opificium, ſecundis temperantia, tertij philoſophia ſatis ſit.

699 poſtremo ita debuërat Phaleas conſtituiſſe Rempub. hanc vt ad bellicum robur, & ad quietę domeſticā ſufficiēs eſſet & tamen is de huiuſcemodi re nihil determinauit, namq; facultates tantas eſſe oportet, vt non ſolū ad ciuium vſus: ſed & etiam vt ad externa pericula ſufficiant: quare nec ita

magnas esse oportet, vt finitimi potentiores concupiscant, quibus resisti non possit, neq; rursus ita exiguas vt cum paribus, & similibus nequeant bellum sustinere.

700 ex his postulabit aliquis, quantas conducat esse facultates, & forte huiusce rei recta est determinatio, eas tantas esse debere, vt lucrum hostibus, si forte bello superent ob earũ excessum afferre non possint: sed ita eis sit, vbi etiam superarint, quasi nihil superaquirant, hinc cum Autophradates Artanea obsidere vellet, rectè monitus est ab Lubolo, vt cogitaret quanto tempore circa expugnationem illius loci detineretur, ac aestimaret tum aliarum rerum, tum temporis etiam iacturam, ne praeterea facti frustra poeniteret, quibus verbis Antophradatem in suam sententiam traxit, fecitq; vt solueret obsidionem.

REIPVBLICAE MILESIORVM FELICITAS EX OPINIONE HYPPODAMI, SVMMA RERVM OMNIVM DISTINCTIO.

701 Hippodamus verò Milesius Reipublicae felicitatẽ in summa rerum omnium distinctione posuit, & in primis decem 2.pol. c.5. *millia* viros ciuitatem continere voluit, quos in tres distinxit partes, artifices nempè, agricolas, & milites, sic & trifariam regionem distinxit, sacram Dijs dicatam, publicam, vnde milites alerentur, & priuatáquè, quae esset agricolarum, & artificum, sic & tres duntaxat legum species esse censuit, de iniuria, videlicet, de damno, & de caede, & totidem esse de quibus iudicia fierent.

702 sancijt praeterea vnum iudicandi forum praecipuum ad quòd (si quid male iudicatum esset) prouocaretur, idquè voluit esse ex senibus quibusdam delectis, sententias praeterea in iudicio calculis esse ferendas vetuit: sed vnicuiq; iudicum tabellam dedit, in qua sententiam scriberet, si simpliciter cõdẽnaret, sin verò sipliciter absolueret, afferret vacuã, sin verò partim condemnaret, & partim absolueret ipsum definiret: nam vt nunc fit non rectè putabat lege cautum fuisse, quòd cogantur homines peierare, aut simpliciter condemnantes, aut simpliciter absoluentes, deinde honore decorauit eos, qui quippiam vtile ciuitati contu-

lissent, eorumq; filios, qui pro patria in bello occubuissent aere publico alendos esse determinauit, & omnium magistratuum electiones vniuerso populo attribuit, magistratus autem voluit Reipub. curam habere, & peregrinorum atque pupilllorum.

HORVM EXPVGNATIO.

703 sed neq; haec etiam satis secundum rationem statuta sunt, si quidem in ea Repub. potentiores esse oportet reliquis duabus partibus, eos qui arma tenent: quapropter & agricolae, & artifices quodammodo eorum serui fient, qui tenent arma, qui igitur fieri possit, vt illi omnium honorum participes sint?

704 insuper quid publicis agris opus erit, ex quibus propulsatores ipsos, armaq; tenentes victũ habere oporteat? namq; si ijdem hos colant, non erit diuersus miles ab agricola, sin alij ab agricolis, & à propulsatoribus agros illos colant quartum inducetur ciuitati membrum nullius particeps: si verò ipsi agricolae colant proprias, & communes possessiones sequetur tum, quod non sit copia fructuum terrae in ciuitate: non enim est facile quod vnus sufficienter excolat tot agros, vnde fructus necessarios duabus familijs subministret, & ea magis quo semper vnum ad vnum tum ab arte, tum à natura dirigi debet.

705 praeterea melius fuisset totam ipsis agricolis dare, vt scilicet vnusquisq; agricola ex terra quae veniret illi in sortẽ sumeret cibum suae familiae, & aliquibus viris bellatoribus.

706 deinde in senatu suo iudicante, si paribus sententijs senatores sibi aduersentur, quis erit sententiarum conciliandarum modus?

707 addamus etiam id non rectè se habere, quod censuit posse peierare iudices, aut condemnantes simpliciter, aut simpliciter absoluentes: nullus enim iudex tum peierat, si accusatio simpliciter iustè scripta est, namq; si deferatur debere aliquem viginti minas, cum tamen solum sint decem octo, non peierat iudex, qui petitionem neget, si quidem reum minime nihil debere iudicat: sed viginti minas non debere: ille verò iam peierat, qui cum existimet verè vigiti minas

minas non deberi, condemnat tamen, haec ſanè, & alia huiuſcemodi magnam continent difficultatem in Repub. Hippodami.

REIPVBLICAE LACEDAEMONIORVM FELICITAS EX OPINIONE LYCVRGI FORTITVDO BELLICA.

708 Lycurgus verò Rempublicam ſuam ſic ſtatuit, vt eam quidem caeteris omnibus Graecis praeferendam eſſe cenſeamus, quòd inferius declarabitur.

709 et in primis eam Rempub. felicem fore duxit, quae viros ad patiendum laborioſos, forteſq; aleret, & propterea huc totum propoſitum direxit, idquè vt aſſequeretur ab opinione ſemper caeterorum legiſlatorum receſſit: namquè cum caeteri (vt à liberorum procreatione exordiamur) puellas ita inſtituerent, vt eas tū cibo quàm tenuiſſimo, tū obſonio quòad fieri poſſet quā minimo nutrirent, & vini etiam vſum, vel protſus abnegarent, vel vix concederent, eaſquè per quietem lanificio inſiſtere dignum putarent, Lycurgus verò veſtes ab ancillis praeberi ſatis eſſe putans, liberam foeminam, non minus quàm marem exerceri corpore inſtituit, proptereà curſus, & virium, veluti viris, ſic & foeminis certamina inuicem poſuit, exiſtimans tum natos robuſtiores gigni. Xenophō. de Repub. Lacedem.

710 cùm verò mulier ad virum venerit, intuēs ille alios primò tempore immoderatius vxoribus commiſceri, ſenſit & huiuſce rei contraria, ſanxit nanquè & ingredientem ad vxorem virum, & egredientem, ne ab alijs videretur pudore aaffici: ſic enim coeuntes neceſſe eſt, tum ſuauius ſe ſe auidiuſquè appetere, tum valentiores etiam eos eſſe, ſi in aduerſam valetudinem inciderint, quàm ſi ad ſatietatē, vſquè inuicem eſſent.

711 atquè ſi quidē contingerit vt ſenex aliquis iuniorem vxorem habeat, videns Lycurgus huiuſce aetatis homines maximè vxorem aſſeruare, huiuſce rei contrarium conſtituit: ſanxit enim vt cuius viri corpore, animoquè ſenior ipſe magis delectaretur, eo adducto, ab ipſo ſenex prolem ſuſciperet, ſi quis verò vxorem nolit ingenuae verò prolis

desiderio tangatur, in hanc quoquè rem legem tulit, vt si quàm is generosam, foecundamquè prospexerit, persuaso eius viro ex ea suscipere natos queat.

712 praeterea alij quidem Graeci, hi praesertim, qui pulcherrimè filios suos instituere cupiebant, quàm primum pueri quae dicebantur intelligebant, continuò sub seruorum tanquàm sub paedadogorum cura mittebant. Licurgus verò pro seruis pedagogis, quos priuatim pueris vnus quisquè praeficiebat vnum praeesse ex illis voluit, è quibus maximi magistratus constant, qui quoniam pueros moderabatur, paedonomus appellatus est.

713 et pro eorum quoquè calceamentis pedum nuditatem instituit, ratus huiusmodi exercitatione longè facilius, & accliuum ascendere posse, & tutius decliuum descendere, & celerius discalceatum currere si pedes exercuerit, quàm calceatum.

714 rursus & furari quaedam finebat, quibus fames leuaretur, sic enim existimabat pueros, & callidiores, & bellicosiores effici: namquè patet eum qui surrepturus quippiam sit oportere, & noctu vigilare, & interdum fraudem, ac insidias tendere, exploratoresquè parare, si consequi quod capit vult, quid igitur si quidem furari bonum existimabat, multis eum verberibus, qui deprehenderetur in furto plectendum voluit? quoniam & in alijs, quaecunquè homines edocent puniunt non rite ministrantem, proinde & illi cruciant deprehensos, perinde atquè ineptè furantes.

715 sed postquàm e ludo pueritiae ad pubertatem excesserint, continuo alij quidem Graeci tum à paedadogis, tum à doctoribus cessabant, liberiquè mittebantur, quod & Horatius annuit

in poetica „ Imberbis iuuenis tandem custode remoto.

Lycurgus verò & ab is plurimū dissensit, quippè qui quoniam didicisset adoloscentibus maximam animorum elationem ingenitam, & vehementissimas voluptatum cupiditates adesse, tunc plurimis eos laboribus subdidit, vtquè semper occupati essent molitus est.

716 ad haec volens quam naturalem his pudorem vehementer conciliare, imperauit vt in vijs manus intra palliū haberēt

silentioquè

silentioqué incederent, ac nusquàm circumspicerent: sed humi defixos oculos tenerent.

717 et cùm in alijs vrbibus homines sororum suarũ, & filiorũ, & seruorum vnus quisquè dominus esset, in Lycurgi Rep. homines, & suis, & alienis iusta imperare poterant.

718 cumq; caeteri rei pecuniariae pro viribus intẽderint, Lycurgus ad eius contemptum huiusmodi nummum constituit, qui decem minarum solum vbi in domum peruenerit, neque seruum, neque dominum lateat, nam & loco magno, & curru ad agendum opus erat: quid ergô pecunijs comparandis eo loci quis studeat, vbi illorum comparatio plus aegritudinis, quàm vsus voluptatis praestat?

719 etenim nonne & illud pulchrum quod alijs ciuitatibus in eos duntaxat animaduertentibus si quis alteri iniuriam attulisset Lycurgus eum nõn minus plectendum voluit si quis manifesto neglexerit, quò optimus fiat? existimabat enim vt videtur ab his qui aliquos captiuos effecissent, aut quisquàm abstulissent, aut furto subripuissent, in eos qui laederentur solum perpetrari iniuriam, à vitiosis vero, ignauisquè hominibus Respub. prodi.

720 et cùm caeterae vrbes cum hostibus pugnant eousq; quò victoria apud alteram partem remaneat, Lycurgus & in hoc cauit, vt semel tantùm Lacaedemonij contra hostes pugnarent, ea ratione motus, quòd crebrior pugna bellaciores etiam inimicos reddit, & in hac re Agesilaum notatum fuisse testatur Plutarchus. in vita Lycurgi, & Agesilai.

721 et licet aliae Graecorum Resp. vel sub vnius, vel sub paucorum, vel sub populi dominatione forent: ipse tamen harum nullam approbauit: nõ enim vnius tantùm formae Rempublicam statuit: sed omnes optimarum Rempub. virtutes, ac proprietates in vnum coniunxit, ac congregauit, vt Reipub. forma aequis ponderibus examinata pariq; veluti lance librata per quondam inter se partium aequalitatem tanquàm adaequatis nauis oneribus, quàm diutissime duraret, ac vigeret, propterea in illa, & Regnum, & Senatum, & populum admiscuit.

722 Regno enim ne se insolenter efferret populi metus obstabat, cui sua etiam in Reipub. administretionis pars attri-

buta erat, ac rurſus populus minime Reges contemnere audebat, ob ſeniorum metum, qui ex virtute, ac meritis in ſenatum lecti, ſemper ſe ſe ad meliores, iuſtoreſq; partes applicare parati erant, adeo vt tenuior, debiliorquè pars, quae legibus, atq; inſtitutis pareret, ſenum acceſſione, quaſi libramento quodam ſuſtentata maior, grauiorquè redderetur.

HORVM EXPVGNATIO.

723 Lycurgus ſanè cum eiuſmodi Rempub. inſtituiſſet, effecit vt prae caeteris, omnibus Graecis Lacedaemonij diutiſſime libertatem ſuam conſeruarint, non tamen ſuam Remp. ab omni labe, & vitio prorſus ſeiunctam inſtituit, atq; in primis id nos minime probamus, quod maſculinum ſexũ magis pudibundum muliebri effecit: ſic enim maximam mollitiei mulieribus tradidit cauſſam.

COROLLARIVM.

724 hinc iam manifeſtum eſt cur antiquitas dixerit Lacedęmonios lapideam vocem habere, oculos verò aeneos.

ΕΡΓΑ.

Ariſt. 2. pol.cap.7. 725 praeterea volens legiſlator totam ciuitatem duram, & laborum patientem efficere, in viris quidem id effeciſſe conſtat: in mulieribus autem nequaquàm, nam illa nudatio corporum, & aliarum foeminilium exercitationum prohibitio effecit, vt mulieres in omnem licentiam, atq; vitae luxum diſſolute laberentur, & propterea ſicuti domus partes ſunt vir, & vxor, ita cenſendum eſt ciuitatem diuidi in virorum multitudinem, ac mulierum: quare in quacunquè Repub. male circa mulieres prouiſum eſt in ea putandum eſt ciuitatis medietatem legibus male eſſe diſpenſatam.

726 addè quòd dum ad militarem ſemper fortitudinem reſpexit, effecit vt viri mulieribus ſuis dediti eſſent, atquè obnoxij: namq; qui primi fabulati ſunt non irrationabiliter Venerem Marti coniuxerunt, ſi quidem omnes homines Martis ſectatores, ad Venerea proni ſunt, illiſq; dediti hinc eſt, quòd et apud Lacedemonios in eorum principatu multa á mulieribus miniſtrabantur: nihil enim refert vtrum mulieres ipſae gubernent, an eos qui gubernant á

mulieribus

mulieribus gubernari.

727 perperam itaquè quòad hanc mulierum mollitiem, & in viros imperium attinet, fecus videtur fenfiffe Plutarchus atq; hoc ex eo facile liquere poteft quòd poft tacitam Ariftotelis reprehenfionem, quafi fui oblitus teftatur lacenam cuidam interroganti, cur folae mulieres Lacedaemoniae viris fuis dominarentur refpondiffe, quia folae viros parerent. in vita Lycurgi.

728 quòd autem & ad virtutis particulam fortitudinem nempè folam Lycurgus omnes fuas direxerit leges non eft vfq; quaq; probandum, fi quidem ad hoc multa fequuntur incommoda, quae inferius in Reipub. Cretenfis expugnatione referentur: fed prae caeteris, quis id laudabit, quòd Lacedaemonij vicinas vrbes magiftratibus fuis rebelles in clientelam accipiebant? hoc enim maximorum bellorū faepius cauffa fuit.

729 praeterea huiufcemodi res fi nihil aliud: attamen id perdifficilem curam affert, quomodo nempè fit cum eis agendum: nam fi remiffe ergà illos te geras infolefcunt, & fe ipfos dominantibus pares exiftimant, fin afpere tractentur infidiantur, & odiunt.

730 infuper circa facultatum aequationem, & circa dotes non rectè ftatutum eft à Lycurgo, fi quidem donationes non prohibuit, & propterea factum eft, vt pauciffimo tempore alij quidem effent diuites: alij vero pauperrimi.

731 ex qua re iam alter ortus eft error, circa comeffationes, in quibus cum vnus quifq; conferre deberet, contrarium euenit ac voluiffet legiflator: fuit enim quòad hoc attinet illius voluntas ciuitatem efficere popularem, at cum non facile fuiffet pauperibus commeffationum effe participes, propterea more patrio ad Reipub. adminiftrationem non admittebantur.

732 quòad formam verò fpectat, circa Regiam poteftatem, vel vetus, vel noua Lacedemoniorum Refpub. male definiuit, fi quidem primi Reges ad tempus, pofteriores vero per totam Regijs vitam.

733 fin autem quaerat aliquis harum vtra fit praeferenda fententia, fciat is nos cum pofterioribus magis conuenire, fi

quidem

quidem Reges ad tempus magis Aristocratiam, quàm Monarchiam praeseferunt.
734 eademquè ratione si admittantur Ephori vetus damnanda est Respub.: si verò demantur, noua.
735 quòd si quaeras vtra melius senserit, vtranq; male sensisse respondebimus, si quidem absquè illò magistratu Respub. ad Olygarchiam vertebatur, quòd & Theopompus Rex apud Plutarchum testatur: cum illò verò popularis fiebat: quandòquidem è populo omnes assumebantur Ephori, vnde saepe numero, homines valde pauperes in hac potestate constituebantur, qui propter egestatem venales fiebant, & cum nimia huiusce magistratus potestas Tyrannidi ferè similis esset, Reges ipsi coactè populum fouebant, ita vt in hoc laederetur Respub. cum ex optimorum gubernatione popularis induceretur status, quod & Aristoteles animaduertit.

in vita Lycurgi.

in Arist. 2. pol. c. 7.

REIPVBLICAE CRETENSIS FELICITAS EX OPINIONE MINOIS FORTITVDO BELLICA.

736 Respublica quoq; Cretensis à Minoe instituta ad Fortitudinem bellicam directa est, vti Plato rectè animaduertit, & propterea quòad legalem facultatem attinet in multis similis fuit.

in 1. de. ll.

737 in hoc tamen maximè diuersa fuit, quòd in Cretensi Rep. agros in infinitum possideri leges permittebant, suppellectilum verò copia tanti apud eos erat, vt quò lautiore quis ea, & praeciosiore vteretur, eo praeclarius cum illis agi putarent.

Polyb. 6.

738 forma quoq; eadem ferè fuit, si quidem & apud Cretenses Regia fuit potestas, & Cosmi qui perinde ac Ephori Rempub. gubernabant, quibus etiam labentibus annis Regia potestas delata est, & Senatus Lacedemonio numero par, & populus.

Arist. 2. pol cap. 8.

739 in his verò fuit qualis qualis diuersitas, quod Ephororum numerus quinarius fuit: Cosmorum autem denarius.

740 sic & apud Cretenses magistratus annui fuerunt, secus verò apud Lacedemonios.

Polyb. eodem.

Horum

741 obiectum Cretensis Reipub. Fortitudinem nempè bellicā apud Platonem tueri conatur Clinias, adeo vt etiam fortitudinem ipsam in bello sui ipsius admittat: tum enim eam ciuitatum optimam fore testatur, quae & hostes bello vincat, & se ipsa etiam superior sit, se ipsa verò superiorem eam appellat ciuitatem, vbi meliores multitudinem, peioresq́; superant, quemadmodum se ipso superior quis dicitur, qui ratione appetitum vincit, verum à Platone refellitur & rectè, quòd peius sit perdita ciuium parte pacem ex seditione consequi, cum altera pars potita victoria sit, quàm per reconciliationem facta pace, amicitiaquè firmata ad externa bella totius animum ciuitatis conuerti. 1. de ll.

742 praeterea cùm ipsius optimi gratia leges omnes ferendae sint, quis optimum vel bellum, vel seditionem existimabit?

743 insuper existimare optimum ciuitatis statum in pugnando, & vincendo consistere, simile est, ac si quis optime cum aegrotante agi putet dum curatur: de eo verò ne cogitat quidem, qui nunquàm aegrotauerit.

744 quòad formam verò attinet, apud Cretenses deterius est lege prouisum circa Cosmos ac Senatum, quàm apud Lacedaemonios circa Ephoros ac consilium, quandòquidem apud Lacedaemonios Ephori ex omni populo eligebātur, quòd aliquò pacto Rempub. tuebatur, apud Cretenses verò ex certis familijs, & ex his qui fuerunt Cosmi consiliū eligebatur, & propterea gubernatio haec magis paucorū fuit potentia, quàm Respub.

745 turpè quoquè fuit magistratum hunc non subiacere correctioni, repetendisquè rationibus: haec enim patens est via, ob quàm magistratus secundum arbitrium, non secundum legem iudicare audent, quòd etiam & apud Lacedaemonios viguit.

REIPVBLICAE ATHENIENSIS FELICITAS EX OPINIONE SOLONIS AEQVITAS.

746 Solon verò, qui Atheniensibus leges tradidit, cū animaduertisset Draconis leges nimium crudeles, seuerásquè esse, Plutarch' in vita Solonis.

cas

eas prorſus abrogauit, tulitq; ſuas multo clementiores, & aequiores.

747 et in primis cum poſſeſſionum aequalitatem inducere minime poſſet, ad paupertatis ſolatium, quae maximis foenoribus adſtringebatur pecuniae menſuram auxit, qua re vtilitas maxima debitoribus eſt ſubſequuta, ſine creditorũ detrimento.

748 in nuptijs dotes permiſit, atquè illud prae caeteris ſtatuit, vt ſenibus iuuenem vxorem habentibus liceret ex agnato ſecundum vxoris electionem prolem ſuſcipere.

749 mulieris liberae vi ſtupratorem, decem ſolummodo drachmis damnauit: viginti verò illum, qui ex illius corpore lucrum aſſumeret.

750 circa filiorum eruditionem ſolum hoc ſtatuit, vt is qui patris opera nullam artem didiciſſet, minime poſſet cogi ad eum alendum.

751 verum inter caeteras leges ſuas mirabilis eſt illa, qua ab honoribus eum expellit, qui in aliqua ſeditione ciuili alteri non adheſiſſet parti.

752 circa formam verò Reipub. haec ſtatuiſſe videtur, & primo Areopagitorum ſenatum vel conſtituit, vel confirmauit, qui quidem vti ſpeculator omnium rerum, legumquè cuſtos fuit.

753 cumquè plebem ob debitorum abolitionem inflatam videret ſecundum adiunxit Senatum, ex ſingula tribu quatuor centum deligens viros, quos praeuenire conſultò multitudinem ſtatuit, neč permittere ſine concilio de aliqua re ad populum ferri: omnia enim iudicia ad populum ſpectabant, atq; ita exiſtimauit ciuitatem duobus Senatibus tanquàm anchoris firmatam, minus ſale, ac fluctibus iactatam iri: magiſq; ob eam cauſſam ſedatam, & quietam plebem futuram.

754 huiuſceque Reipub. forma ad popularem ſemper declinauit, & adeo vt ſummos, & excelſos viros, e RP. expelleret oſtraciſmus: nam quicunq; mediocritatem, quàm requirit populus, excedebant, decem annorum exilio mulctabantur.

755 quòad bellum autem attinet, ciuitas haec magis ad mare,

mare, quàm ad terram applicuit.

HORVM EXPVGNATIO.

756 verum in primis in eo peccasse remur Solonem, quod in legibus suis nimiam adhibuit clementiam: quis enim aequo ferat animo poenam, quàm in constupratores, & raptores Virginum statuit? quādoquidem decem drachmis eos absoluendos iudicauit.

757 in eo quoq; Solonis, leges reprehensione non carent, quod puerorum institutionem nullam continent, in qua re Lycurgum eò prudentiorem credimus.

758 forma verò huius Reipub. quàm sit damnāda ex eo facile conijcit Xenophon, quod dum eam tutati sunt Athenienses, illud assequebantur, quod improbi meliores essent cōditione, quàm probi, quòd quidem emanauit ex eo, quod in ea plus pauperes & plebei poterant, quam diuites, & nobiles. Xenophō de Repub. Athen.

759 et propterea quaecunq; contra Oclochratiam dicta sunt, eadem contra Atheniensem Rempub. possunt replicari.

760 quis itaq; ostracismum laudabit huiusce Reipub. formam tuentē? nos enī quo ad hoc attinet in ea sumus opinione, vt *hanc legem*, tum meliorem fuisse dicamus, cum fracta, *dissipataq;* est, quod in Hiperboli exilio factum testatur Plutarchus. in vita Niciae & Alcibiadis.

REIPVBLICAE ROMANORVM FELICITAS EX OPINIONE POLYBII RERVMPVBLICARVM OMNIVM MIXTIO.

761 Romanorum Respublica, vt omnes aliae res ortum incrementum, & decrementum habuit, & sanè in ortu, & decremento sub Monarchia fuit, & de his non sumus modo ratiocinaturi, superest itaq; vt incrementum expendamus.

762 et antequàm rem aggrediamur, id animaduertimus legalem facultatem in hac Repub. à ciuili primo fuisse distinctam, & ideo distinctus etiam noster erit discursus.

FORMA REIPVBLICAE ROMANAE.

763 forma itaq; Reipub. Romanae mixta fuit, si quidem in ea videre

videre licet tum Regiam, optimorum, populiq; gubernationem: quoties enim Consulum imperiũ intueamur, Regia, quoties verò Senatus authoritatem optimatum administratio, quoties autem populi potestatem respiciamus, popularis Reipub. forma videtur.

764 Consules enim antequàm ex vrbe legiones educerent vrbanarum omnium rerum ius, atq; imperium habebant: his etenim caeteri omnes magistratus praeter Tr. Ple. subijciebantur, hi legationes in curiam traducebant, hi celeriter quae erant decidenda statuebant, negociaq; magna ad Senatum referebant, & penès ipsos (vt quae patres decreuissent sedulo perficerentur) cura omnis & administratio erat.

765 quinimò & quae de R.P. per populum transigenda, & cõficienda erant, ad Consul. pertinebat examinare diligenter, conciones quoties opus esset euocare, S.C. populo referre, quicquidquè maior pars iussisset exequi.

766 quin etiam in his quae ad belli apparatum, & castrensem disciplinam pertinet, hi summum imperium habebant: his enĩ ius erat socijs quicquid visum esset imperare, Trib. militum creare, delectumq; habere, ad haec de his qui sub eorum imperio erant in castris arbitratu suo supplicium sumere, his praeterea licebat comitante quaestore, ac sedulo imperata faciente, publici aeris, quantum res ipsa tulerit impendere.

767 quòd si quis ad hanc partem respexerit, probaliter dicere posset, Reipub. formam Regiam esse.

768 Senatus autem primo quidem aerarij totius dominus erat atq; administrator: nam & redditus omnes in eius erant potestate, & eiusdem arbitratu impensae fiebant, maleficiaquè & crimina per Italiam commissa, de quibus Iudicium publicae fieri debebat, vt puta proditionis, coniurationis, veneficij, caedis, atq; insidiarum ad Senatum referebantur, eiusq; de his erat cognitio.

769 quòd si vlla apud Italos controuersia dirimenda, si publica, vel priuatim quispiam, vel ciuitas obiurganda, si cui auxilium, aut praesidium ferendum esset, de his omnibus curam Senatus adhibebat.

eodemq;

770 eodemq; modo si extra Italiam ad aliquos legatio mitten da esset, vel ad aliquid decidendum, vel ad foedus faciendum, vel ad cohortandum, vel ad imperandum, aut postremo ad res repetendas, aut ad bellum indicendum, haec Senatus ipse curabat, & prouidebat.

771 praeterea quid de legationibus exterarum gentium, quae in vrbem venerint agendum, quid eis respondendum in Senatus voluntate, atq; arbitrio positum erat.

772 atq; horum quidem, quae superius dicta sunt nihil est cum populo commune, adeo vt quoties quis ad vrbem consulibus absentibus profectus esset, prorsus ei Respub. optimatum consilio regi, & gubernari videretur, quod sanè multi Graecorum, & Regum persuasum habuerunt, quod negocia, quae in vrbe haberent ferè, omnia per Senatum trãsigerentur.

773 sua etiam populo, & ea quidem amplissima pars relicta est: solus enim in Repub. & poenae, & praemijs potestatem habebat, & plerunq; in alijs etiam quaestionibus quoties graui or alicui maleficij mulcta irroganda esset, & praesertim in eos, qui maiores magistratus gessissent, admittebatur.

774 solus autem capite damnandi potestatem habuit, qua in re illud sanè apud eos commemoratione dignissimum fuit, quod eorum instituto ijs qui capitis damnati fuerant, vt ex vrbe palam egrederentur, permittebatur, ac si Tribuum vna ex his, quae iudicium exercebant reliqua fuerit, quae nondum suffragium tulerit, exilium reo sibi arbitratu suo deligendi facultas dabatur, exules autem Neapoli, Praeneste, Tybure, atq; in alia quauis foederatorũ vrbe tuto esse poterant.

775 praeterea populus ipse magistratus dignissimis quibusquè deferebat, lege etiam comprobandi, ac sanciendi ius habebat, & quod caput est is de pace de bello, de foedere, de cõtrouersijs decidendis, aut componendis deliberauit, atquè vnum quodquè horum ratum, aut irritum faciebat, quibus, ex rebus probaliter posset aliquis dicere, populum sibi maximam in R.P. partem vindicasse, ac Reipub. formã ex populi administratione conflatam fuisse.

776 quò igitur pacto Respub. in partes distributa fuerit iam dictum

dictum est: nunc autem qua ratione potuerint partes illae quoties voluerint, sibi mutuo repugnare, sibiq; inuicem opitulari, dicendum est: enimuerò Consul postquàm eam, quam superius dixi facultatem adeptus, copias eduxerat, summo quidem ille cum imperio videbatur esse: verum populi, ac Senatus auxilio indigebat, ac sine his ad res gerendas, ac perficiendas idoneus haud erat.

777 constat enim legionibus eorum aliquid missum, quae illis publice suppeditari solebant, namq; sine S. C. neq; frumentum, neq; vestimenta, nec obsonia legionibus administrari poterant, adeo vt eorum, qui exercitus duxissent expeditiones, & consilia omnia, quoties eis obstare, cum eisq; maligne agere Senatus in animum induxisset, irrita redderentur, & minimè ad exitum perducerentur.

778 quin vt quae illi animo & cogitatione complexi fuerant, ac sibi proposuerant perficere possent, in Senatus voluntate positum erat: nam is postquàm annuum tempus praeterierat, aut successores mittendi, aut imperium prorogandi potestatem habuit, ac etiam penès eundem fuit ducum res gestas, & dignitatem vel extollere, atq; ornare, vel eleuare, ac deprimere: nam Triumphos, neq; vti decet apparere, neq; ducere cuiquam licebat, ni assensus fuisset Senatus, & in eius sumptum erogasset necessaria.

779 et si quis ex prouincia decedere voluisset; quamuis domo longissime abfuisset, populi certe assensu opus erat, quodq; est omnium ferè maximum, omnes imperio deposito, populo eorum quae gesserint rationem reddere oportuit, quapropter Consulibus, caeterisq; Imperatoribus minime expediebat,, Se. po.què voluntatem ergâ se contemnere.

780 rursus iam Senatus quamuis tantùm in R.P. potuerit. populum tamen intueri, ac illius rationem habere coactus fuit: in maximis enim, atq; atrocissimis quaestionibus eorum maleficiorum, quae contra Rempub. commissa capite plectuntur, nihil Senatus exequi potuisset, nisi prius illius authoritatem approbasset populus,

781 praeterea si quis ex Trib. pleb. intercesserit, ne dum Senatus nihil eorum quae decreuerat perficere: sed ne sedere quidem, aut omnino in curiam venire poterat: Trib. autē

erat

erat officium id semper exequi: quod populo visum fuerat eiusq; voluntatem quammaximè respicere, his omnibus de caussis multitudinem Senatus metuebat, ad populiquè voluntatem, studium & cogitationes suas dirigebat.

782 at contra Senatui populus ipse obnoxius, & subiectus erat, eumquè vniuersim, & singulatim colere, atq; obseruare sua permagni interesse putauit, cum enim essent in Italia multa vectigalium genera, quae Censores in sumptus apparatusq; publicos locare solebant: in his omnibus conducendis, & curandis populus implicitus esse consueuit: his verò omnibus Senatus praeerat.

783 idem diem proferendi, si quam publicani calamitatem accepissent, eos releuandi, si quae difficultas, aut publicum infortunium, quominus essent soluendi obstitisset, locationemq; prorsus inducendi, ius & potestatem habuit.

784 eodemq; modo Consulum actionibus timidè, ac minimè libenter aduersabantur tum populus, tum Senatus cum foris, militiaeq; vniuersus exercitus, & singuli, quiq; sub eorum imperio, ac potestate essent.

785 haec porrò cum esset vniuscuiusq; partium vis, & facultas ad se inuicem iuuandum, & impediendum ad omnes rerū occasiones, ex opinione Polybij tam inter se aptè, conuenienterq; connexae, dispositaeq; fuerunt, vt hac nulla melior, praestantiorq; Reipub. forma reperiri potuerit.

786 namq; cùm habeant omnes Respub. in orbe quandam cōuersionem, & mutationem: nullam ipse hac firmiorem arbitratus est, siquidem post vniuersalia diluuia amissis, ac sublatis artibus & studijs, aliquo post temporis interuallo rursus humanum genus auctum & propagatum fuit, quo tempore in hominibus naturale arbitrari debemus, quod etiam in ratione carentium animalium generibus cōtingere videmus, in quorum gregibus fortissimus quisq; manifestò principatum sibi vendicat: omnes enim fortissimū & potentissimum sectabantur, atq; ita vnius dominium constitutum est.

787 olim igitur qui semel honore illo digni habiti sunt in regnis consenescebant iusta studia sectantes, nullaq; propter eos inuidia, si quidem non magna in eis aut victus, aut ve-

stitus mutatio cernebatur, verum semper in oculis ciuium vitam agentes, eadem qua populus victus ratione vtebantur.

788 sed postquàm horum filij cum iam comparata haberent praesidia, & rebus ad victum pertinentibus, magis quàm pro necessitate abundarent, ob nimiam bonorum copiam, atq; affluentiam cupiditatibus obsequentes, arbitrati sunt oportere principes, ornatu, & epulis ab ijs, qui sub eorum imperio essent differre, & ad haec licere etiam (nemine prae metu contradicente) inconcessus concubitus appetere, atq; ita coorta est ex Regno Tyrannis.

789 atq; hoc manifestè liquet, ex Cyri, Cambysisquè imperio, quod & Herodotus affirmat.

790 contra huiuscemodi principes fiebant à generosissimis, & fortissimis viris coniurationes, adiuuante etiam ducum suorum consilia multitudine, atq; illius imperij quod penes vnum erat forma facile vt deleretur eueniebat, atquè inde iam optimatum principatus ortum, atquè initium duxit.

791 hi primò administratione gaudentes communi vtilitate nihil antiquius habuere.

792 sed cum iam eorum liberi eandem à patribus potestatem accepissent, educati ab initio in potestate, atq; honoribus paternis, propterea aequabilis, communisq; libertatis rudes & ignari, alij vinolentiam, & luxuriosos conuiuiorum apparatus, alijs ad vim mulieribus per stupra, & raptus inferendam, alij deniq; ad alia turpia se conuertebant, atq; ita optimatum principatus ad paucorum dominationem translatus est.

793 hinc illorum imperio per idem quod Tyrannos oppresserat infortunium finis imponebatur, neq; praeterea Regem creare libuit, ob iniustitiae, qua superiores vsi fuerant metum, neq; pluribus committere Rempub. audebant tam recenti rei malae gestae memoria ad suam igitur fidem publica recipiebant, atq; ita popularis forma effecta est.

794 horum postremo filij plus caeteris in R.P. posse contendebant, atq; in hanc cupiditatem, maxime locupletiores incidentes maximis pecuniae largitionibus plebem corrumpebant

rumpebant, quae assuefacta aliena bona comesse, vitaeq; suae spem omnem in alienis fortunis ponere facile ducem elato animo, atq; audaci sectabatur, atq; tum Reipub. forma illa, cuius conseruatio in manuum fiducia posita est, nascebatur, si quidem tum plebs in vnum coacta caedem facere, ciues eijcere, proscriptorumq; agros diuidere incipiebat, donec saeuum rursus, & efferatum, vnius imperium reperiretur.

795 quapropter his motus rationibus eam prae caeteris laudat Polybius, quae omnes Rerumpub. formas in se continet, atq; congregat, ne qua earum vltra quàm satis sit aucta & prouecta in sibi adherentem, & cognatam perniciem incideret: sed vniuscuiusq; robore ac potentia inter se inuicem obnitente nulla ciuitatis pars vsquàm declinaret, neve in altum propenderet.

796 ex supradictis autem dubutabit forsan aliquis, cur facilius Respub. bona in aliam bonam non mutetur, quam bona in malam, si quidem (vt Aristoteles dicit) in habentibus Symbolum facilior est trãsitus; an quia similitudo illa, aliquam quoq; contrarietatem requirit? quod quidẽ in Elementorum trãsmutatione liquidò patet: in his verò Reip. mutationibus, quis similitudinem, & contrarietatem negabit? in li. de generatione.

FACVLTAS LEGALIS ROMANORVM.

797 quoàd leges verò attinet, quibus vsi sunt Romani, occurrunt nobis multa, quae vt sigillatim explicentur, rem ab ouo exordiemur; & in primis antequàm Romulus leges curiatas ferret populus incerto iure, incertisquè legibus vixit. Pomp. in l.2. de ori. iuris.

798 postea leges quasdam ipse tulit, cum alijs sequentibus Regibus, quas curiatas appellarunt, si quidem conuocato per triginta curias populo, singulisq; curijs in separata septa constitutis, & sententiam rogatis leges olim ferebantur, quae populi congregatio comitia curiata dicebantur, à coeundo, quòd populus coiret, & viritim leges ferret, & licet Seruius Tullius Rex hunc morem immutasset, tamẽ populo ea potestas relicta est, vt plebiscita, & leges comitijs

curiatis ferrentur.

COROLLARIVM.

799 hinc & Suetonius ait Tiberium à Caesare in foro lege curia esse adeptatum, hoc est suffragijs populi per curias collectis. — I Augusto.

EPPA.

800 exactis deinceps Regibus lege Tribunicia Regum leges antiquatae sunt, postquè caepit populus Romanus incerto magis iure & consuetudine aliqua vti: quam lege lata, donec decemviri leges à Graecis petierunt, quas in tabulis eburneis praescriptas pro rostris apposuerunt, vt facilius percipi possent, atq; cum animaduersum esset aliquid primis istis legibus deesse, alias duas eisdem tabulis adiecerunt, & ita ex accidenti appellatae sunt leges duodecim tabularum, quarum ferendarum authorem fuisse decemviris Hermodorum quendã Ephesium exulantem in Italia quidam retulerunt. — Cic. l. v. in Tus.

PAPEPPA LEGALIA.

801 ratione verò huius Hermodori non rectè colligit Baldus argumentum ad exules. — in li. 2. de or. iu.

802 idem pari errore labitur vbi putabat, eum qui in ciuitate sua Facinus patrasset, si in alium locum peruenisset accusari de illo crimine non potuisse exemplo Hermodori. — in li. cum quaedam ff. de iur. om. iud.

EPPA.

803 in illis autẽ quia summa erat obscuritas desiderata eq; propterea sunt prudentum declarationes, quas responsa appellarunt, ad haec verò addita sunt plebiscita, Senatus consulta, praetorum edicta, & principum placita, ex quibus quidem omne ius Romanorum coaluit.

804 quod quidem vniuersim refertur, vel ad personas, vel ad res, vel ad actiones.

PERSONAE.

805 homines autem aut liberi sunt, aut serui. — lib. 3. ff. de sta. ho.

SERVI.

806 Seruorum verò (cuius origo de iure gentium fluxit) iuxta Iureconsulti verba vna tantum fuit conditio, istiq; dominio alieno contra naturam subijciebantur. — in l. & seruorum ff. de sta. ho.

Liberi

LIBERI.

807 Liberi sunt qui nullius imperio subiecti facultatem liberã habent, quodlibet faciendi lege non prohibitum, atq; istorum, alij sunt liberti, alij libertini, alij ingenui.

LIBERTI.

808 Liberti sunt quos domini ex iusta seruitute soluerunt, ac manumisserunt, vnde etiam illorum patroni, quasi patres, qui à morte in vitam illos reuocarunt, appellabantur.

809 horum autem alij ciues erant Romani, qui vindicta, censu, aut testamento nullo iure impediente manumissi sunt, alij latini Iuniani, qui ex lege Iunia inter amicos manumissi sunt, alij dedititiorum numero, qui propter noxam torti nocẽtesq; inuenti sunt, deinde quoquò modo manumissi. Vlp. cap. 1. instit.

LIBERTINI.

810 Libertini verò fuerunt libertorum filij apud antiquos: sed apud Iureconsultos sunt idem, ac ingenui. Sueton. in Claud.

INGENVI.

811 Ingenuorum verò alij sui sunt iuris, alij verò alieno iuri subiecti.

812 et sanè qui alieno iuri subiecti sunt filij familiâs appellantur, qui in ditione, & potestate patris sunt vel natura, vel adoptione. l. 1. ff. de his qui sũt sui l. 2. ff. de adop.

813 natura sunt qui ex nuptijs vxoris, & mariti oriuntur.

NVPTIAE.

814 Nuptiae verò apud Romanos tribus perficiebantur modis farreatione nempè, coemptione, & vsu, & sanè farreatio solis pontificibus conueniebat. Boët in 2. Top. Cic.

815 coemptio verò certis solemnitatibus peragebatur, se se .n. in coemendo inuicem interrogabant, an sibi mater, & pater familiâs esse vellent, cui interrogationi si assensissent mulier viri conueniebat in manum, & vocabãtur hae nuptiae per coemptionem.

816 Mulieres autem quae in manu per coemptionem conuenerant matresfamiliâs vocabantur, quae verò vsu, vel farreatione minime.

817 caeterae aliae vxores vsu erant.

818 animaduertendum est autem maximam fuisse differentiã inter vxorem vsu, & concubinam, si quidẽ cõcubina dice- 13. de cõ

 batur

batur ea, quam quis non mariti animo: sed concubitus tantùm caussa, sine stupri tamen crimine flagitio vè domi habebat: & propterea Iure fforum permissus erat concubinatus.

819 etiam his qui vxorem habuissent quicquid alij dixerint.

l. 1. C. de Rep. 820 ex eodem etiam iure diuortium, & repudium permissum est, atq; hoc vltimum ex quibusdam etiam caussis permisit Iustinianus, neq; tamen contra ius diuinum peccauit: licet enim scriptum sit, quos Deus coniunxit homo non separet, ea tamen verba per Concilium Agathense (quod Iustiniani temporibus obseruabatur) sic declarabantur, vt ex legittima caussa apud Episcopos probata maritus, & vxor diuerti possent, licet postea aliam interpretationem sequuta sit Ecclesia.

Mat. xix.

C. quos De xxxiij. q. 2.

ADOPTIO.

821 per Adoptionem quoq; alieno iuri subijcimur, cuius duae fuerunt species; nam cum in familiam, in qua liberorum locum extranei sumebantur, aut id per praetorem fiebat, aut per populum, quae per praetorem fiebat adoptio dicebatur, quae per populum Arrogatio, quae quidem his cōueniebat, quae sui iuris essent, secus tamen in Adoptione.

ALIA PERSONARUM DIVISIO.

l. 2. § quo ad mag. ff. de ori. iur. 822 rursus in eodem iure ita distinguuntur personae, vt aliae publicae sint, aliae priuatae.

l. 2. ff. de mun. & hon. 823 publicae sunt, quae magistratum gerunt: Mrgistratuum verò (quos à Magistrando sic dictos constat, quod caeteris magistrent, & moderentur) alij minores, alij maiores dicuntur.

l cui pręc. ff. de verb. significati. 824 maiores sunt, qui in potestate cum imperio sunt constituti, vti fuerunt Dictatores, Consules, Censores, Praetores, Praefecti vrbi, & in prouincijs Proconsules, Praefecti Praetorio, alijq; Praesides prouinciarum.

Bud. in l. solent ff. de offi. proc. 825 minores verò magistratus fuerunt, qui nec imperium, nec potestatem habebant, vti Aediles, quaestores, & in prouincijs Municipiorum Magistratus.

l. nec mag. ff. de iniur. 826 est & alia Magistratuum quoq; diuisio: nam alij consilij, alij imperijs, alii iudiciis praeerant, & sanè de pub. consilijs

filiis consultabant olim Romae Senatores, & in prouinciis Decuriones. imperia verò quondam exercuerunt Consules, Praetores, & vrbi Praefecti in prouinciis Proconsules, Praefectiq; Praetorio, ac caeteri rectores prouinciarum, iudicia tractabant in vrbe Romae centumuiri, in prouinciis legati Proconsulum, & Iuridici.

827 sunt & priuatarum rerum administratores, vt Tutores, & curatores. l. 1. ff. de tutel. § 1. inst. eod. t.

828 Tutores quasi Tuitores hoc est defensores dicuntur, quòd illis pupillorum defensio credita sit, quorum alii testamento parentis, qui pupillum habet in potestate dantur, Testamentarii ideo nuncupati: alii si nulli testamento dati sunt legibus constituuntur, vt agnati, & cognati, & idcirco legitimi dicuntur, tertii si nec pupilli testamentarios, nec à lege tutores datos habeant à magistratu, cui lex id nominatim concessit praescribuntur. l. 1. ff. de test. tutel. l. 1. ff. de test. tutel. l. 1. ff. qui per tuto.

829 curatores verò tum constituuntur adultis, cum tutela per pubertatis annos euanuit, quò scilicet firma maneant, quae per adultos intra xxv. annum geruntur, quae alioqui auxilio restitutionis facile corruerent. l. 1. ff. de min.

830 Haereditati praeterea interim cum haeredes deliberant, an adire velint curatores dantur, Ventri item in possessione misso, atq; etiam bonis, quae nomine Ventris obuenerunt. l. 1. § sexties ff. de ven. i pos. mitt.

831 deniq; furiosi, prodigi, mentecapti, surdi, & muti, qui vel animi, vel corporis morbo impediuntur, ne rebus suis commodè praesint, tametsi xxv. annum egrediantur, iure curatores accipiunt. § furiosi inst de cur. l. 2. ff. & ver. furiosi.

832 alterum caput est res, quae quidem diuiduntur, vt aliae sint communes, aliae publicae, aliae vniuersitatis, aliae nullius, aliae singulorum.

833 et sanè cõmunes sunt terra, aqua profluens, Mare, littusquè Maris licet aedificium in litore factum eius sit, qui fecit,

834 publicae verò sunt flumina, portus, iusq; piscandi in portu, & in fluminibus, nec non littorum maris; & riparum vsus, licet riparum proprietas sit priuata.

835 vniuersitatis sunt vt Theatra, studia, palatium, curiaquè communis.

communis.

836 nullius vt sacrae veluti quod authoritate non priuata: sed Pontificis est consacratum, vti aedes sacrae, & Donaria, quae rite ad cultum Dei dedicata sunt, religiosae, vti coemiteria, quae quidem non consecratione, & verbis solemnibus: sed illatione mortuorum efficiebantur, & sanctae, quae propriè dicuntur, quae nec sacra, nec profana sunt, vti muri, & portae ciuitatis.

§ 6. & R. D.

L. 6. de R. D.

L. 9 § 1. de R. D.

837 singulorum verò sunt, quae à singulis possidentur, fiuntq; tales, per occupationem, per alluuionem, per rerum commixtionem, per traditionem ex iusta caussa factam, per vsucapionem, per donationem, & per successionem.

FIDEI COMMISSA.

838 in his autem quae per successionem acquiruntur, continẽtur omnes vltimae voluntates, in quibus quidem fidei cõmissa non fuerunt inuenta, propter spurios, vt communis Iureconsultorum Cohors tenet, si quidem de iure digestorum spurij capere poterant.

Paul Cast. & ibi om. in l. 1. de lega. §. 1. in Auten. q me. nat. fi. le. l. 1. l. 2. C. de Nat. lib.

839 est autem spurius propriè is, qui vulgo cõceptus est à Sporadin graeco vocabulo, quod est sparsim, & passim collectus, vel à duabus literis, S. P. id est sine patre dictus, latè tamen sumitur pro eo, qui ex legitimo matrimonio natus non est.

840 neq; etiam inuenta fuerunt ob deportatos, si quidem illis nihil prorsus poterat relinqui.

l. quidam sunt Serui ff. d pœnis

841 quapropter ob peregrinos solum reperta fuerunt, si quidẽ non poterant fieri haeredes, vel legatarij, nisi ciues Romani essent, atq; haec est subtilissima, veraq; huiusce originis ratio, quam excellentissmus Praeceptor noster VIDVS PANCIROLVS tradidit nobis.

The. in § 1. insti. de fid haered. l. 1. C. de haer. inst.

842 huiusceq; rei caussa Claudius duos Praetores instituit, qui & ob hanc caussam fideicomissarij sunt appellati.

l. 2. § deide Cornelius Sylla ff de or. iur. l. 3. C. 6.

843 licet absq; contradictione dicat Quintilianus fideicommissorum ius pertinere ad Consulem non ad Praetorem.

ALIA RERUM DIVISIO.

844 rursus res diuiduntur, vt aliae sint corporales, aliae incorporales, & sanè corporales sunt vti fundus, vestis, homo, & similia.

incorpo-

845 incorporales verò sunt, vt Haereditas, seruitus, & obligatio.

ACTIO.

846 tertium erat caput actio, quae quidem vel in rē datur, vel in personam.

ACTIO REALIS.

847 et quae in rem datur ex eo datur, quia non ratione, alicuius obligationis: sed ob rem ab alio detentam competat, & decem habet species.

848 et horum prima est rei vindicatio, quae datur domino rem suam ab eo, qui possidet, vel dolo desijt possidere vindicanti.

849 secunda est publiciana, quae datur contra possessorem non dominum, & qui in re aliena titulum vel emptionis, vel donationis, vel legati habet.

850 tertia est confessoria, quae illi datur, qui aliquam seruitutem sibi debitam esse asserit.

851 quarta est negatoria, quae illi datur, qui negat se seruitutem debere.

852 quinta est seruiana, quae datur locatori in rebus coloni tacite pro mercede obligatis.

853 sexta est quasi seruiana, quae datur creditori pignus suum prosequenti.

854 septima est rescissoria, quae datur ei, cuius res propter neccessariam absentiam est vsucapta.

855 octaua est praeiudicialis, per quam petimus, vt aut partus agnoscatur, aut aliquis vel liber, vel libertus declaretur

856 nona est vtilis, quae datur superficiario, qui à possessione cecidit.

857 decima est petitio haereditatis, quae datur haeredi res haereditarias generaliter prosequenti.

ACTIO PERSONALIS.

858 in personam verò dantur illae, quae non ratione rei: sed obligationis cum aliqua persona contractae competant; oriunturq; istae ex contractu vel nominato, vel innominato, ex quasi contractu, ex maleficio, ex quasi maleficio, & ex varijs caussarum figuris.

Alia

ALIA ACTIONVM DIVISIO.

859 sunt & aliae actiones, quae competunt tam in rem, quàm in personam, vti familiae herciscundae, communi diuidendo, finiumq; regundorum.

860 sunt etiam & ciuiles, & praetoriae, & rei persequendae, & rei persecutoriae in simplum, & poenales, & mixtae, tam nempè rei persecutoriae, quàm poenales, & quae in solidum competunt, & perpetuae, & temporales.

861 sunt & rursus bonae fidei, & stricti iuris, & arbitrariae, & ordinariae, & extraordinariae, & directae, & contrariae, & interrogatoriae, & Noxales.

862 sunt & demum quaedam de peculio, de iussu, de in rem verso, tributoria, exercitatoria, & institoria, magis qualitates, quàm actiones, quae secundum id quòd est in peculio, vel quod est iussum, vel in rem versum alijs actionibus adijciuntur, atq; sic summatim sit restrictum ius ciuile Romanorum.

FORMAE REIPVBLICAE ROMANORVM EXPVGNATIO.

863 sed nec in his etiam vsq; quaq; noster aquiescit intellectus, si quidem quòad formam Reipub. attinet (vt à prima incipiamus parte) non rectè argumentatus est Polybius eius bonitatem ex eius longo statu, si quidem quemadmodum multoties meliores complexiones breuioris sunt vitae, quàm peiores, sic interdum Respub. bonae facilius corrumunt, quàm malae.

864 praeterea ab operibus non à tempore debet vnaquaequè Respublica laudari, quemadmodum & vita nostra.

865 et quid erit tandem, si & falsum asseramus Polybij discursum in eo, quod existimat Rempub. ita compactam quemadmodum Romana, & Lacedaemonia longiorem caeteris esse? quis enim Serenissimum VENETORVM Dominium diuturnius negabit? cum tamen in eo plebs non admittatur.

866 quid? quòd fateri libet Romanorum Rempublicam popularem fuisse, quandoquidem penes populum ius fuit confirmandae, & antiquandae legis, & propterea quis Senatus authoritatem à populo pendere non videt?

quod

867 quod verò affirmat Polybius Rempub. eiusmodi mixtam fuisse, non autem popularem, ridiculum est sanè, si quidē in Republicis idem accidere palam est, quod tum in Elementis, tum in materia, & forma euenit, vt nempè, quemadmodum hac in pura simplicitate sua, vel non reperiuntur à mortalibus, vel non sunt, sic & Respub.

868 quare neq; etiam modo purè Tyrannica est TVRCARVM Respublica.

869 verum est tamen vnam quamq; Rempublicam à dominante parte appellari.

870 si itaq; Polybius mixtam appellet hanc Rempub. quia caeteras Reip. formas purè tales existimet labitur.

871 similiter errat, si hanc mixtam ex eo nuncupet, quòd in ea non magis vnam partem quàm alteram dominari putet quandoquidem vti iam diximus populus in ea prae caeteris pollebat, & ideo popularis dici debuit.

COROLLARIVM.

872 hinc est quòd & apud Platonem, & apud Aristotelem huiusmodi Respub. popularis nominatur.

EPIA.

IVRIS CIVILIS ROMANORVM EXPVGNATIO.

873 in primis autem id iuri Ciuili Romanorum opponimus, quod contra Solonis, & Lycurgi leges dictum est, id nēpè quod ad virtutis particulam, scilicet iustitiam commutatiuam solum directum est, cum tamen ad iustitiam legalē, vniuersalem nempè virtutem dirigi debuisset. Plato in 1. & in 2. de Repub.

874 et praeter haec alia quoquè, & valde neccessaria in eo desiderantur: nam cum optimae, perfectaeq; leges ab institutione puerorum incipiant, quod & Plato asserit in iure ciuili Romanorum de hoc ne verbum quidem. in 1. de .ll.

875 deinde in veteri illo iure, quod ius xij. tabularum appellatum est, multa reprehendit Phauorinus apud Gellium, & primo ea legis verba reprehendit, si iniuriam alteri faxit viginti quinque aeris poenae sunto, namq; per hanc legem diuites ab iniuria facienda minime terreri potuerūt, quod & Labeo animaduertit, dicat quicquid velit Caecilius apud Gellium. l xx. in lib. ad xij. tabulas

sicq;

876 sicq; lex illa, quae talionem permittit his verbis
„ Si membrum rupit meum, e pacto Talio esto.
iniusta est, in ea enim re ea difficultas (vti diximus) est inexplicabilis, quo pacto nempè per imprudentiam factū retaliari rectè possit.

877 demum quid illa immanitate secandi, partiendiquè humani corporis, si vnus ob pecuniam debitam adiudicatus, addictusquè sit pluribus, efferatius?

878 quod autem Phauorinus in id etiam legem xij. tab. reprehendit, quod morbo affectus, iumento adhaerens in ius aduersario deportari debuerit, non est cur à nobis probetur, si quidem morbus tum non appellabatur aegrotatio grauis: sed vitium aliquod imbecillitatis, atq; inualentiae vehementiorem enim morbum, non per se morbum: sed morbum sonticum appellarunt.

879 Iumentum quoq; non id solum significat, quod nunc dicitur: sed vectabulum etiam, quod adiunctis pecoribus trahebatur: veteres enim nostri iumentū à iungēdo dixerūt:

880 quin & Arcera quoq; promitebatur, Arcera verò vocabatur plostrum tectum, vbiq; & munitum, quasi arca quaedā magna vestimentis instrata, qua nimis aegri, aut senes portari cubantes solebant.

881 quae nam igitur acerbitas, ibi esse visa est, quòd in ius vocato pauperrimo homini, vel qui aut pedibus forte aegris esset, aut quo alio casu ingredi non quiret plostrum esse dandum censuerunt? secus enim si fecissent, causatio ista aegri corporis perpetuam vacationem dedisset fidem detractantibus, iurisq; actiones declinantibus, atq; haec omnia contra Phauorinum rectè animaduertit Caecilius.

882 verum & in eo quoq; leges xij. tab. subeunt reprehensionē, quod clientes in officij formulis agnatis praetulerunt, cū tamen illi à voluntate isti verò à natura penderent.

883 sic & in earum interpretatione, quam in Pandectis reponunt modo Iureconsulti, multa quoquè sunt errata, & in primis vti diximus quis ius naturale in brutis admittet? quod tamen ipsi fatentur.

884 quis seruitutem (vt ipsi) iuris gentium bonam fatebitur?

C. & ff. ad titulo. 885 quis assessores iudici dari in bene dispositu Repub. feret? si quidem

quidem Iudex secundum naturam imperare debet.
886 quis filios spurios à parentibus deseri permittet? Auten. licet C. de
887 quis filiorum venditionem, tanquàm impiam non exe- Nat. lib.
crabitur? l. 2. C. de
888 quis nocentes, & innocentes suspectos, & non suspectos, pat. qui fil. dis.
eadem poena plecti impium negabit? l. prospexit
889 praeterea quo pactò iustitiam commutatiuam, ad quam ff. quis & à
tamen omne suum ius directum est, intellexerunt, si per quo.
eos statutum est, vt miriori poena diuites, quam pauperes l. capitaliū § non om-
plectantur? nes ff. de poenis.
890 atq; insuper Pomponius qui originem iuris tractat multa,
dicit absurda, & primò quis negabit eum sibi repugnare, l. 2. de or. iuris.
si quidem affirmare videtur in initio legis illius ante Ro- l. fin. ff. r. d.
mulum Reges regnasse, cum tamen alibi communem hi-
storiam sit secutus.
891 quod autem alij affirmant cum historijs repugnare, dum
Tarquinium superbum Demarathi filium asserit, cùm verè
tamen filius non fuerit, nos tamen negamus.
892 deinde si Accursio credimus, quomodo lege Tribunitia
statim post expulsos Reges, regiae leges exoleuerunt? si
quidem Trib. pleb. non statim: sed decimo septimo anno
post exactos Reges creati sunt.
893 licet nos Pomponium tueri facile possimus: quid enim
erit si Trib. Celerum intelligamus?
894 sic & in eo quoq; defendi potest, quod affirmat omnes Re- l. 1. § 1. C.
gum leges ab eorum discessu abolitas fuisse, licet id Iusti- de vet. iur.
niano repugnet, possumus enim absq; contradictione hàc en.
positionem tueri, Regum leges post eorum discessum exo-
leuerunt, & non exoleuerunt.
895 quod autem dicit de decemuiris, qui leges Graecis petie-
runt, id penitus falsum est, si Halicarnasseo, Liuio, Fene-
stellaeq; credimus, ex quorum sententia hi solum fuere Sp.
nempè Posthumius, P. Sulpitius, & A. Manilius.
896 praeterea quomodo manifestae falsitatis, & adulationis § eodem
signum non praebet, dum affirmat necesse fuisse per vnum tempore
consuli, quasi Senatus omnes prouincias regere potuisset?
si quidem Respublica Romana in principes non verò: sed
vi & bellis redacta est, neq; Senatui in prouincijs regendis,
vel

vel industriae, vel temporis defuisset, si principes viri in officio remansissent.

897 cur etiam non labitur circa quaestoris initium? si quidem id à populo manasse tradidit, cum tamen firmissimis rationibus contrarium Cornelius Tacitus probet.

l. xi.

898 cur & discrepat ab historicis in Aedilium curulum magistratus caussa? si quidem historici praetori tribuunt, quod ipse Aedilibus.

Liuius & alij

899 cur & praefectum annonae, & vigilū magistratum negat? quod aliàs non modo Historici, verum etiam iureconsulti fassi sunt.

§ & quia magistratibus feneft.

900 et propterea quis legem hanc L. 1. ff. de praefec. vigil. repugnare negabit?

901 postremo quis eas leges ferret, quae Christianos impostores vocant, alia itaq; quaerenda est nobis via.

l. 1. ff. de extraordi. cognitio.

REIPVBLICAE VERA FELICITAS EX PLATONIS ARISTOTELISQVE SENTENTIA, IVSTITIA VNIVERSALIS.

902 Plato verò & Aristoteles optimè Reipublicae felicitatem in vniuersali virtute posuerunt, iustitia nempè legali: sed quia diuersam viam videtur vterq; sequutus, propterea operaepretium erit eorum sententiam sigillatim referre.

PLATONIS SENTENTIA.

903 Plato itaq; rectè primus vidit facultatem legalem, à ciuili distingui, quod & in Gorgia, & alijs multis in locis vidit, quamobrem neq; etiam in hoc inter Platonem, & Aristotelem discrepantia est vlla: de vtraq; tamen facultate coniunctim tractauit duobus in locis ob eorum maximam affinitatem.

xviiij. concordia. de R.P. & de ll.

904 sed antequàm illius propriam sententiam expendamus videndum est, quid de numero Republicarum statuerit, non enim satis sibi constare videtur.

905 et primo in libris de R.P. quinque Republicarum species connumerauit, quarum prima ea est, quam ipse ibi tanquā optimam statuit, & veluti Republicarum exemplar, & hāc licet

i fine quarti & in primo quinti

licet vnica sit duplici tamen nomine illam appellat, cum vel Monarchia, vel Aristocratia possit esse.

906 huic ambitiosam addidit Rempub. quam honoris, & imperij concupientem attestatur, & in hac homines diuitias multum affectare asseuerauit, talemq; Cretensem, & Lacedaemoniam nuncupauit.

907 insuper alias tres species connumerauit, Olygarchiam nempè, Democratiam, & Tyrannidem, quarum primam diuites auari gubernant, secundam infraeni pauperes, tertiam dominus imprudens, atq; hanc existimamus Platonis sententiam.

908 addunt autem hic nonnulli, quòd quemadmodũ Respublicae bonae ad aliquam virtutem Cardinalium prae caeteris dirigebantur, sic & malae Respub. ad aliquod vitium particulare (impossibile est, enim vt vniuersale vitium sibi tanquã Scopum proponant, quo pactò possit esse superius est declaratum) vitia verò particularia cum sint imprudentia, ignauia, iniustitia, & intemperantia, totidem nempè, quot sunt virtutes Cardinales, propterea necessarium esse, vt Respublicae malae ad aliquod horum vitiorũ pertineat, quod nos non reprehendimus. Seb. Foxius in v. d. R. P.

909 quinimò vt aliquid ex propria opinione asseramus, Tyrannis ad imprudentiam vertitur.

910 popularis ad ignauiam.

911 Olygarchia ad intemperantiam.

912 ambitiosa ad iniustitiam.

913 in libris verò legum hunc Rerumpublicarum numerum in 4. dial. statuit, popularem, paucorum, optimatum, Regnum, & Tyrannidem.

914 in politico demum septem Reipublicae species recensuit, vnius nempè, paucorum, & populi, & horum rursus species in bonas, & malas diuisit, additq; septimam, vnius nempè vel optimatum dominium, qui non secundum leges: verum per propriam sententiam gubernent.

915 ex his posset forsan aliquis affirmare Platonem, haud sibi constare, cum circa numerum Rerumpublicarum adeo diuersè sit locutus: nos verò credimus cum sibi minimè dissonum esse: namq; in politico cum ab obiectis distinxisset

xisset Respub. tot etiam species posuit quot ibi numerantur.

916 si quidem omnes Respub. vel ad rectum tendũt, vel ad iniquum.

917 et quae ad rectum dirigitur, vel per propriam scientiam id agit, vel per leges, & sanè in primo gradu diuina est illa Respublica.

918 et quae secundum leges viuit, vel ad subditorum vtilitatẽ, vel ad virtutem, vel ad libertatem anhelat.

919 non recta verò, vel commodum proprium, vel diuitias, vel vexationem nobilitatis angit.

920 hanc eandem diuisionẽm sequitur in libris de legibus (omissa solum illa, quae tanquam perfectissima & diuina à consideratione illorum librorum refellitur, si quidem in his imperfecta, & satis humana cõstituitur Respublica)

921 et cùm in numero ibi relato omissa diuina, popularis etiã recta deficere videatur, propterea illam, quam ibi format in 3. popularem rectam credimus: quandoquidem mixtam, & popularem rectam eandem superius appellauimus.

922 in libris verò de R.P. à potentijs animae appetibilis elicit Rerumpub. formas, si quidem à rationali desumit Regnũ & Aristocratiam, ab Irascibili Tyrannica, à concupiscibili Auara, ab irascibili, & concupiscibili simul Popularis.

xx. concordia. 923 et quòd ad hoc attinet, nihil est, quod Aristoteli aduersetur.

924 quin in libris de legibus quòd ad numerum Rerumpublicarum attinet, idem prorsus sentit, quod Aristoteles.

de comp. Plat. & Arist. l. 4. 925 quòd verò Trapezuntius inquit, in eo Platonem ab Aristotele dissentire & labi, quòd is Tyrannidem laudat, quã Aristoteles maximè detestatur, à verò longè recedit; nãq; xxi. cõcordia. dum Plato eam ciuitatem idoneam esse ad mutationem in optimum statum suscipiendam esse existimat, quae sub Card. Bess. 1 4. l. in cal. Platonis Tyranno degere consueuit, non idcirco tamen Tyrannidem laudat: namq; Plato imperium vnius, atq; optimi viri maximè probat, idq; Regnum vocat, quod simulac deprauatum, vitiosumq; extiterit Tyrannidem esse arbitratur sicut etiam imperium optimatum deprauatum in paucorum imperium degenerat, & Reipub. status in popularem.

quod

926 quòd si repetendum instituendumuè est laudatissimum illud genus imperandi, quod Regi tribuitur, non ex populari statu, aut paucorum, aut optimatum repetendum, siue instituendum est: sed potius ex imperio Tyranni: ad hoc enim per errorem optimũ illud imperium collapsum erat, & quemadmodum medici corporis temperamentum in calidiorem, frigidioremuè habitum, inde ad pristinam temperiem reuocant, non ex paruitate, aut magnitudine, sic author, qui ad bonam valetudinem ciuitatis respicit, non ex quolibet statu, quemlibet constituere, aut consentaneum, aut facile arbitratur: sed si optio detur id accipere debet, quod propinquius est, vt si optimatum imperium constituere velimus, ex paucis penès quos rerum potestas est id faciendum sit, si Regem ex Tyranno.

927 praeterea Tyrannum non modo eum significat, qui iniustum, atq; iniquum imperium in subditos exercet: sed etiam eum, qui etsi optimè imperat, sibi tamen omnia tribuit, & in sua vnius potestate rerum omnium arbitrium constituit, quem homines priscorum temporum vehementer detestabantur, vel iniquitate Tyranni alterius territi, vel cupidi libertatis, quam omnes expetunt, itaque magna ex parte populari imperio ciuitates illis temporibus regebantur, rara optimatum potestas erat, nulla vnius quòd si quis vnum se constituere principem nitebatur, quamuis bonus esset Tyrannus nuncupabatur, talem itaq; Tyrannũ requirit Plato, quod & ipse his verbis demõstrat.

„ Dum dicit legislatorem interrogatum, quid nam
„ aliunde nactus opera sua adhibita rectè ciuitatem
„ constituere posset, respondisse, detur mihi ciuitas sub
„ Tyranno, sit Tyrannus ipse iuuenis, ingeniosus me-
„ moria valens, fortis suaq; natura magnificus.

928 quid? quòd non solum Graeci: verùm etiam latini in bonam partem Tyrannum interdum sumunt, hinc Maro.

„ Dextram tetigisse Tyranni.

929 nec verò si vnus ille iuuenis aliquod vitij in se habeat: id circo Plato errare dicendum est, qui vnum potius, quam plures vitiosos desiderat.

930 sed iam ad particulariorem Platonicae Reipub. declara-

tionem accedamus, & sanè ipse Plato duplicem constituit Rempub. quarum prima, quam Socratis Rempub. nuncupant perfectissima, & absolutissima est, secunda verò non adeò perfecta, & absoluta: in his verò formandis diuersam à Xenophonte adhibuit viam, si quidem Xenophon Persarum societatem sub Rege Cyro laudans Monarchiam, quam meliorem existimauit prae oculis posuit: Plato verò regnum perfectum simpliciter depinxit, adeo vt non absurdum sit affirmare Xenophontis Remp. sub hypotesi versari, Platonis verò sub thesi.

931 vterq; tamen rectè sensit, dum iustitiam legalem vltimum Reipublicae obiectum asseuerauit: Xenophon enim hanc adeo apud Persas coli testatus est, vt asseruerit apud illos ita iustitiam adiscere pueros, vt apud alias gentes literas, & studia bonarum artium discunt: Plato verò libros de Republica de iustitia inscripsit.

PLATONIS RESPVBLICA PRIMA.

ex primo dialogo.

932 in quibus perquirit primo diffinitionem iustitiae, quam apud eum conatur afferre Cephalus, dum ex illius verbis colligit Socrates iustitiam esse vera dicere, & deposita reddere, quae tamen definitio ab eodem Socrate impugnatur, quod si quis ab amico sanae mentis arma acceperit, idem verò insanus repetat non oporteat ea reddi, neq; iustum facere eum qui reddat.

933 neq; rursus iustum erit si homini sic affecto vera omnia dicat.

934 secunda verò Polimarchi diffinitio ex Simonidis sententia, quod nempè iustitia sit debitum vnicuiq; reddi ex prima superioris definitionis oppositione corruit.

935 non ex hoc tamen euertitur definitio Vlpiani, dum in illa dicitur iustitiam esse, quae ius suum vnicuiq; tribuit.

936 deinceps cum Polimarchus eam esse affirmet iustitiam, quae amicis vtilitatem inimicis detrimenta reddit, à Socrate conuincitur, quod dum aliquem laedimus eum magis vitiosum, quam secus reddimus, non potest autem iustitia tāquam virtus vitiosum aliquem reddere (quemad-

modum neq; Mufica amufos) quando contrarij effectus contrariarum funt cauffarum.

937 altera iuftitiae diffinitio à Trafymacho proponitur magno apparatu, & pompa quae talis eft: vt iuftitia fit, quod principis, quatenus bonus eft princeps, conducit: fed & haec etiam definitio ab eodem Socrate refutatur, quòd fingulae artes non fui vtilitatem: fed inferioris alicuius, fubiecti perquirunt, vnde medicina fe non curat nec Medicus: fed aegrotum, eodemq; modo reliquae artes cum fint propter neceffitatem inuentæ (vt ait Ariftoteles quoquè) defectum fui fubiecti, nō fuum emendare inftituunt, fecus enim in infinitum abiretur, quia vnius artis indigētiae altera effet ars adhibenda, deinde alteri altera; v. Met. xxij. concordia.

938 cum itaq; artem conftet, & artificem omnem non fuam: fed alicuius fubiecti proprij vtilitatem ideft informationem afferre, atq; imperandi, feu adminiftrandi ratio ars quaedā fit, verfabitur fanè in aliquo fubiecto, cuius quaerat vtilitatem, non igitur princeps fi fuo rectè fungatur munere, confulet vtilitati fuae, fed fubditorum, ideoquè nec iuftum erit, quod illi foli vtile videatur,

939 atq; cum his maximè confentit Ariftoteles quoq; qui Regnum ad vtilitatem fubditorum directum effe afferit. xxiij. concordia.

940 caetera verò quae ibidem Trafymachus etiam adducit prorfus falfa funt, quod quidem ex eo eft, quòd vtilitatem ab honeftate non feiunxit.

941 verum cum adhuc diffinitio iuftitiae lateat operaepraetium eft magis eam inueftigare, & quemadmodum fi cui non acute cernenti literas paruas, proculq; pofitas legendas mandatum effet, ifq; deinde animaduertiffet eafdem literas effe alibi in maiori quodam loco maiores, & inde cenfuiffet, vt eas primo legens, ita demum minores, fi eaedem fint confideraret, fic & in praefentia cū iuftitia vnius hominis valde minor fit iuftitia totius ciuitatis, propterea eft illa prius in ciuitatibus confideranda, deinde in fingulis. ex fecūdo Dialogo.

ARTIFICES.

942 atq; vt hoc manifeftius liqueat ipfius ciuitatis originem contēplemur, orta eft itaq; ciuitas ob indigentiā, quādo-

quidem nullus nostrum ex se ipso sufficiens fuit: sed multorum indiguit, prima verò, & maxima omnium indigétia est praeparatio victus vt simus, & viuamus, habitationis secunda, tertia vestitus, & huiusmodi, quapropter ad ciuitatem iam & agricola, & aedificator, & textor, & coriarius requiruntur, constabit itaque ciuitas saltem ex quatuor viris.

943 atq; sanè potius est, vt vnus quisq; istorum opus suum alijs communicet, videlicet, vt Agricola vnus viris quatuor cibum praeparet, & in quadruplo tempus & laborem in agricoltura consumet, quàm aliorum cura neglecta quartam sibi alimentorum partem comparare, in quarta temporis parte, reliquarum autem partium temporis, vnam in construenda domo, aliam in vestitu, aliam in calceis conficiendis conterrere: non enim nascimur nos admodũ similes: sed differẽtes inuicem, singulosq; ad singula opera promptos natura producit.

944 hinc est etiam, quòd cum agricola multis alijs egeat, ad agricolturam rectè perficiendam, non poterit etiam ipse ea omnia ex se sibi parare: non enim agricola sibi aratrum conficiet, si commodum operi futurum est, neq; ligones, & rastros, neq; alia instrumenta, quibus agricoltura indiget, neq; rursus aedificator: multis enim & huic quoquè opus est, idemq; de textore, & coriario dicendum erit, Fabri itaq; lignarij, & ferrarij huiuscemodiq; plures artifices, nostri in eo oppido conciues facti frequẽtius ipsum efficient.

945 sed nõdum satis amplum hoc esset, nisi ipsis bubulcos, opiliones, & pastores alios adderemus, vt & agricolae ad arãdum Boues haberent, & architecti iumentis ad conuectãdum materiam vterentur, textores autem & coriarij pellibus ac lanis.

946 atqui cõstituere ciuitatem in eo loco, in quo aduectionibus non indigeat fermè impossibile est, indigebit itaq; ciuitas nostra & alijs, qui ex alia vrbe importent, quibus & haec indigeat, isti verò mercatores sunt: & si quidem maritima mercatura erit, multis etiam opus erit, qui maritimae mercaturae periti sint.

quid

947 quid autem in ipsa ciuitate? quomodo inter se impertiêt ea,quae singuli operantur? cuius impertionis gratia cômunicationem induximus, ciuitatemq; construximus, & sanè patet id fieri emendo, & vendendo,forum itaq; nobis & nummus in commercijs ex hoc permutationis gratia instituetur.

948 nam igitur ferens in forum agricola aliquid ex his, quae facit, vel aliquis alius artifex, si non in eodem tempore veniant,quo & illi, quibus cum est haec permutaturus, cessabit ab opere in foro consistens? an debent etiam esse,qui cum hoc animaduertât, se ipsos ad hoc ministerium praeparent? in ciuitatibus enim rectè institutis id agunt homines quidam imbecilles corpore,& ad aliud opus inutiles, qui illic constituti circa forum, partim quidem argento commutant cum his, qui aliquid vendituri sunt, partim res dant pro argento his, qui empturi, haec ergò necessitas nobis cauponum genus in orbe procreat.

949 sunt & alij praeterea ministri,qui cum huic societati parum animi viribus conferre possint, robur corporis sufficiens ad labores habent,isti ergò roboris vsum vendentes, quia ipsum praemium mercedem appellant, mercenarij nuncupantur.

950 intueamur modò, qua ratione victu vtentur, qui ita instituti sunt ciues,& primo cibos parabunt,& vinum,& vestes & calceamenta, & domos, aestate quidem vt plurimum sine veste, & sine calceis erunt, hyeme autem vestibus,& calceis sufficienter ornati: nutrientur autem ex hordeo & frumento farinam côficientes, partim quidem pinsendo, partim congerendo, placentas egregias, panesquè super calamis, aut puris frondibus imponentes , in lectisquè ex herbis Smilace, atque Myrto factis discumbentes, comessabuntur ipsi & eorum filij vini pocula sumentes coronati, & Deos laudantes iucundè simul viuent, nec vltra censum filios generabunt cauentes paupertatem & bellum.

951 et pro obsonio sal concedemus,& oleas,& caseum,& porrum,praeterea holera,quasi agrorum pulmenta suscipient: & bellaria ipsis addemus, ficuum, ciceru̅m, & fabarum, & baccas Myrti, & phaginas glandes prunis torrebunt, mo-

destè bibentes, sicq; quiete, & salubriter viuentes, ad senectutem vsque, alia huiusmodi vitam posteris suis relinquent: atque ita vrbem, quatenus vrbs est considerabimus solum.

952 si verò delicatam vrbem perpendere volumus (hanc enim intuentis forsitan deprehendemus, vbi nam iustitia, & iniustitia ciuitatibus innascantur) dicta (vt videtur) quibusdam nequaquam sufficient, atque hic victus non placebit: sed & thori addentur, & mensae, & alij apparatus, & vasa, & obsonia, vnguentaquè, & suffitus scorta, aromata, condimenta, & haec omnia profusé, neque solum ea quae suprà retulimus necessaria ponenda sunt, domus, vestes, & calcei: sed addenda rursus pictura, & varietatis artificia aurum, & ebur caeteraq; eiusdem generis omnia, quae nō amplius necessitatis caussa: sed iucunditatis tantum in ciuitatibus introducuntur.

953 quapropter regio, quae tum eos homines sufficienter alebat parua erit, hinc & de finitimorum regione aliquid nobis vsurpabimus vt satis agri habeamus ad pascendum, atque arandum, & finitimi quoquè de nostra, ex qua re iam bella oriuntur, vnde & militibus seu custodibus jam in hac nostra ciuitate, opus est, qui quidem in arte sua solum versentur, vt caeteri quoq; antedicti artifices.

CVSTODES.

954 caeterum quanto maius custodiae caeteris artificijs opus est tanto maiori ocio indigebit, arteq; & exercitatione maiori, & cum prae caeteris natura ad studium ipsum sit idonea, politici munus erit, quoad fieri possit deligere, quæ & quales naturae sint ad vrbem custodiendā idoneae.

955 naturam verò custodum talem existimamus esse debere, vt illis cum corporis robore insit etiam mouendi velocitas, sensus perspicacitas, adeo vt simul ac senserit aliquid, quod in rem sit, accurrat, indaget, assequaturquè ipsum quàm celerrimè, veluti est natura venatici canis.

956 quod verò ad animi mores attinet, eos iracundos esse oportet: nam quicunque iracundiae est expers efferuescere non potest, atque ita neque abigere hostem, verum cum

hac ita

hac ita nectenda est mansuetudo, vt quemadmodum ob illam maximo odio hostem persequuntur, sic & ob hanc maximo amore studioq; ciues.

957 quod ipsum etsi fieri non posse videatur fieri tamen potest, quemadmodum in nonnullis animantibus perspicuum sit veluti in cane, qui cum acres, vehementesq; affectus habeat: natura tamen contrarios etiam admittit, cum is cũ notis mansuetus sit, cum ignotis verò iratus.

COROLLARIVM.

958 et propterea cum hoc animal adeo notitiam amplectatur, abnuat verò ignorantiam animi philosophici Symbolum fuit.

EPPA.

959 sic & custodis mos debet esse vt naturali quodam ductu diligat cognitos, ignotos verò odiat, quae ipsa quidem natura philosophica est: quoniam qui aliquid ob id ipsum quod eius notitiam, & scientiam habeat eligit, hic natura probus esse videtur, dum etiam & quem ignorat odio prosequatur, non propterea tamen, quod ab eo aliquid prius incommodi receperit: verum natura ignorantiae, qua eum ignorat incitante, quemadmodum amor, quo prosequitur eum qui nouit, non inde est quod ab eo aliquo sit beneficio affectus: sed cognitionis natura velut ita praecipiente, quod & in eo ipso animante, à quo paùllò superius exemplum duximus, quodq; diximus custodi esse simile videre licet.

960 instituatur praeterea custos noster Gymnasticæ & Musica,

961 et sanè per Gymnasticam veram solidamq; vim in corpore adipiscetur, per Musicam verò animus eruditior fiet, & propterea haec vltima prior est adiscenda.

962 per Musicam verò intelligimus poeticos sermones concẽtu, numeroq; compositos, quibus homines instituantur, in his verò de Dijs indigna ne canant poëtae, atque à verò prorsus abhorrentia: sed fabellas ita componant, vt ad virtutem directae secum etiam atrahant legentium animos.

963 deinceps dirigendi sunt custodes ad fortitudinem, quod quidem erit, si ea dicemus, quae ipsos mortem minimè metuentes ex 3. dialogo.

metuentes reddant: quapropter in primis praecepta oportebit his dare qui de inferis fabulantur, ne ita simpliciter, quae apud inferos sunt vituperent; sed magis laudent, demonstrentq; animas à corpore solutas magis gaudentes, quam lamentantes haec loca petere: nos enim custodibus nostris ab huiuscemodi rebus valde metuimus, ne ex hoc pauore molliores quam deceat reddantur.

964 quae tamen omnia etiam apud Platonem valde poética sunt.

965 auferamus itaque haec omnia à custodibus nostris, & forte his contraria inducemus, eosq; sic instituemus, vt à teneris annis credant hominem frugi se ipso ad bene viuendum contentum esse, minimeque omnium alijs indigere, & mortem amicis caeterisquè bonis bonum quid existimare, ex quibus haud molestè feret liberis, aut fratribus, aut diuitijs, reliquisquè huiusmodi priuari, & propterea rursus Homerum, caeterosquè poëtas orabimus ne Achillem Deae filium, nunc supinum nonnunquam etiam in faciem aut exurgentem errare tristitia affectum in littore maris, aut vtraquè manu ardentem puluerem capientem in caput fundere, nequè alia eiulantem, & lamentantem quot & qualia ipse fecit, & huiuscemodi similia, efficiat.

966 nequè in risum nimiū profusos custodes nostros esse oportet, cum effusus risus magnum sit leuitatis argumentum non itaquè admittendum est quando quis summae authoritatis viros in risum solutos īducit, & multò minus quādo Deos, ergô neque Homerum audiemus, cum dicit inextinguibilem risum Dijs concitatum esse, dum Vulcanum per domum properantem viderent, vt potè qui claudus esset. (1. Illiados)

967 sed cum poëtas tùm ob affectus prauos, vitiosaquè exempla, tùm quod mendaces sint prohibendos esse futuris custodibus dixerimus, ad eam quaestionem digredi non est penitus absonum, vt quaeramus num aliquando mentiri liceat, & sanè licet mendacium Dijs prorsus inutile sit, hominibus tamen pro medicamento est vtile: quare publicis medicis concedendum, priuatis autem hominibus minimè attingendum.

temperantia

968 temperantia quoq; imbuendi sunt custodes nostri:haec verò duplex est, obedientia nempè in magistratus, & abstinentia à voluptatibus nimijs, & propterea quo ad hoc rogandi sunt etiam poëtae nostri, ne carminibus suis, intemperantiores reddant custodes.

969 prae caeteris verò Homerum execrabimur, qui Achillem Deae filium, & Pelei temperantissimi viri, à Chirone sapientissimo educatum tanta perturbatione agitatum efficiat, vt duobus adeo turpibus animi vitijs laborarit, illiberalitate cum auaritia, atq; item Deorum, atq; hominum contemptu.

970 et vt regulam tandem totius poëseos in Repub. platonica tradamus, sic summatim dicamus, poëticam hanc minimè variam debere esse, neque omnia imitationum genera exprimere (si quidem vitia noscenda tantum sunt, non etiam imitanda, & in hac Repub. tam pauca possumus vt nec imitari multa, nec ea Archetypa, quibus imitatio sit similis facere possumus) verum simplicem tantum eaquè solum imitantem, quae custodes profiteri debent, atque haec de poëtica satis sint.

971 transeamus verò iam ad alteram Musicae partē, melodiam nempè, quandoquidem omnes Musicae partes proposita e ad institutionem custodum sunt: tres autem sunt melodiae formae oratio nempè, harmonia, & rhitmus: sed quia de oratione, seu poesi iam est antea dictum, ideo caetera expendamus.

972 & in primis damnamus Lydiam Mixtam, Lydiam acutam, Ionicam, Doricam, & Phrigiam, quod molles effeminataq; sint, & propterea à custodibus remouendae sunt.

973 duo itaq; solum restent in nostra ciuitate Musices genera, quorum alterum bellicum sit, alterum verò pacificum, atq; vtrumquè constantiam, grauitatemq; animi praebeant, & ex caeteris instrumentis solam Lyram, Citharam, Fistulamq; relinquamus, atque hoc modo sensim & clanculum ciuitatem purgauimus, quam supra nimijs delicijs deditam diximus. Theor. 952.

974 idemq; etiam cauendum est de rithmis, si quis tamen eas ita moribus accomodauerit vti Damon, quod nos quidē

cum

cùm Socrate non callemus.

975 dicamus tamen Spondeum paci accommodatum esse, Dactilum verò bello.

976 neq; solum poëmata turpia: verùm & tabulae turpes vitãdae sunt à iuuenibus in hac Repub. ne prauos discãt affectus, quod non est adeo mirandum, si quidem quibusdam vsu venit vt statuarum amore caperentur, & propterea in prauitatis imaginibus nobis enutriti custodes, tanquam noxio in gramine, & multa quotidie paulatim à multis decerpentes, pascentesq; vnum aliquod maximum malum ignari in animo contrahent.

Athaeneus, & Aelianus.

977 solum itaq; honestae imagines admittantur, & eae praesertim, quae ad amicitiam, & concordiam dirigant iuuenum animos, in illis igitur nullae rixarum, seditionumquè picturae sint.

978 sed tam multa nos ex Platone de Musica retulimus, quòd in ea multa sint moribus informandis accommodata, quin nec rectè mores informari possunt, nisi musico concentu, erunt itaq; hi custodes ob haec valde concinni, & propterea pulchri quoquè, quid ergò mirum si & amabiles etiã?

979 amentur itaque inter se, atque continuo amantes cum amatibus sint, castus tamen sit eorum amor, fugatquè voluptates tactus, quae vsquè adeo vehementes furiosaequè sunt, vt mentem e statu suo dimoueant, hominemq; perturbent, quas non modo non cupit amor: sed abhominatur, & fugit, ve potè, quae propter intemperantiam pulchritudini contrariae sint: rabies enim venerea ad intemperantiam trahit, ideoquè ad inconcinnitatem, qnare ad deformitatem similiter videtur allicere.

980 nunc ad ea, quae ad corpus attinet transeamus quorum est Gymnastica moderatrix, & in primis id asseramus tum benè corpus exerceri, cũ animus excultus, & rectè affectus sit: corporis enim moderationem animus vt gubernator efficit, vice versa corpus animi, si quidem corpus est tanquam instrumentum animi, atque vehiculum.

981 primum autem de corporis exercitatione praeceptum est; vt ebrietas fugiatur, tanquam menti, & corpori noxia si

quidem

quidem ebrij non modo non curare, custodireque ciuitatem poterunt: verum etiam, & ipsi maximè egebunt custodia.

982 atque in hac re videtur idem Plato cum medicis sentire, qui vacuo & sobrio corpore exercitationes suscipi volunt.

983 duplex verò, quod etiam & Galeno placuit cum sit Gymnastica, vna nempè athletica, altera verò moderata, & salubris, quaerit Plato vtra custodem magis deceat, & sanè rectè Gymnasticam moderatam, & salubrem à custodibus ait amplectendam, vt huius ope labores, curas molestiasq; quasi decurent, athleticam verò tanquam noxiam à custodibus relinqui vult: ea enim ob nimias exercitationes, quibus corpus defatigatur, somnum affert, & valetudinem etiam laedit, vtrunque verò in custode ciuitatis, cuius cura vigilans, & valetudo vegeta esse debeat vitandum est.

COROLLARIVM.

984 Hinc apparebit non male Philopomenem existimasse athleticam Gymnasticam militibus nocere, quod & Plutarchus asserit. in vita Philopomenis

EPΓA.

985 laboribus praeterea, inaediae frigori, omnibusquè rebus assuefiant, & victus rationi variae, & incertae, nè vnam vitae diaetam semper teneant, quae noxia est, vt frequentes mutationes si sit opus ferre possint: sit tamen semper victus simplex, ne luxui, voluptatiq; locum dent, mollioresuè, efficiantur: ex tali enim victu animo musicam moderationem nempè, & corpori sanitatem, quae roboris est pars adipiscentur.

986 deinde si contrario vtamur victu, intemperantes erimus ob quam duae artes in ciuitate necessario inuentae sunt, quibus nequaquam egebamus, medicina nempè, & iurisperitia quorum altera corporis morbos ex intemperantia ortos, altera lites ex cupiditate rei familiaris excitatas pareret: nam quemadmodum medicina corpori, ita iurisperitia rei familiari consulit.

COROLLARIVM.

987 ex qua re manifestè iam (ni fallimur) patet, quam futiliter hi

ter hi dixerint iureconsulti, qui iurisperitiam animi tantum rationem habere affirmarunt.

EPTA.

988 et propterea summum intemperantiae signum est lites habere.

989 atque vt iurisperitia ex hominum intemperantia, auaritia nempè, cupiditateque orta est, sic & Medicina, quod nimio hominum luxu varij & multiplices morbi sint nati quos naturales non esse ex eo confirmat Plato, quod Aesculapij temporibus vulneribus ea remedia darentur, quae valetudini obessent, quam tamen eo modo laedi non putabant.

990 et propterea Menelao Pandari manibus vulnerato: cruorē vulneris absterserunt, & vnguenti mitigātibus perunxere: legem verò certam circa cibos ac potus minimè praescrip serunt, quasi pharmaca ad curandos sufficerent homines, qui ante accepta vulnera, & firmi corporis habitu, & victu moderati fuissent.

positio poëtica.

991 non itaque errauit per accidens Homerus (vt nonnulli existimarūt) dum apud eum Aesculapij filij apud Troiam poculum Patrocli iussu oblatum saucio Eurypylo non dānarunt, cum tamen in eo mixta esset Prānio vino farina, & insuper attritus caseus, quae pituitam (si Platoni credimus) augent.

992 et idcirco rectè tueri poterimus: Aesculapij, Homeriquè etiam temporibus, medicinam pharmaceuticam, & chirurgicam solum fuisse: non autem diaeticam quoque.

993 sed labentibus annis, Herodicus diaeticam instituit, longam sibi mortem prestando; cum enim morbo lethali laboraret, neque curare se posset, omissis reliquis omnibus vitam in quadam corporis indulgentia conterebat, male quidem affectus, si paûllò á consueto victu discederet: aeger tamen sustinuit se, senexquè è vita discessit, minimè sciens Aesculapium non ignorantia quidem, & imperitia, eiuscemodi medelae genus posteris non ostendisse: sed quoniam videret in ciuitate optimè instituta, suum cuiq; opus assignatum esse, quod perfici necesse sit, nec vlli superesse ocium, vt per omnē vitā valetudinarius in corpore curando

curando occupetur.

994 et propterea faber si quando in morbum incidit breuem à medico curationem exigit, vel per vomitum, vel per defluxum ventris, vel vstionem, vel incisionem: si quis autē diuturnam illi victus obseruationem praecipit, capitisq; suffarcinationes, caeteraq; huiuscemodi, statim obijcit non esse sibi ad aegrotandum ocium, medicoquè hoc dimisso ad consuetum victum reuertens, si conualescit opus suum exequitur, sin autem sustinere corpus morbum non potest, vita functus negotijs liberatur.

995 atquè ita profectò medicinis vti, artifici conuenire videtur si quidem opus illi propositum est, quod nisi peragat viuere ipsi non praestat.

COROLLARIA.

996 ex quibus quidem iam patere potest pharmaceuticam & chyrurgicam medicinam minimè intemperantiae signum esse.

997 sed tantum diaeticam.

EPΓA.

998 vtilis verò medicus ciuitati iudex erit, medicum autem dixi iudicem, si quidem magna debet esse medici, ac iudicis similitudo non modo professione ipsa: sed etiam munere: medicus enim morbos corporis, iudex animi vitia curat, ille morborum peritus, & intelligens constitutionis cuiusquè debet esse, hic ingeniorum, morumquè ciuilium doctus, vterq; probus & diligens, vterq; senex, aut saltem experimento peritus.

999 sed vt demum eo reuertamur, vnde digressi sumus, cùm ex musica homines molles fiant, ex Gymnastica verò feroces, vtraq; simul coniungenda est, vt animum & corpus simul roborent, & moderentur.

1000 generatim verò omnium custodum aedes, non sint peculiares, neque quicquam proprij possideant, necessarioq; victu sint contenti, & nullum stipendium à ciuibus nisi necessarium reposcant.

1001 neque commessationes inter istos sint prohibitae, quod licet

7.pol.c.12. 1.de .ll.

licet Ariſtoteli, & Platoni ipſo repugnare videatur ſecus tamen eſt, quod inferius demonſtrabitur.

ex 4. dialogo.

1002 atque ita cuſtodes non ad propriam: ſed ad communem totius ciuitatis felicitatem directi erunt, quemadmodū etiam oculi pulcherrimum membrum non purpura: ſed nigro colore depingendi ſunt, ſi ſingulis decorem ſuum attribuentes totum pulchrum reddere volumus.

1003 quoad ciuitatis verò ſitum terminoſq; pertinet, ciuitatē mediocrem, mediocribuſq; terminis quaquè verſus definitam volumus, magna enim ſemper labuntur: mediocria verò conſeruantur, ſic itaq; ciuitatem augeri optandum eſt, vt conſeruata mediocritate permaneat, non vt ad ſummum euecta, vnitatem tranſeat, & delabatur.

1004 et in caeteris educationē puerorum legibus praeſcribere ineptum eſt: ſed patribus, maioribuſq; relinquenda eſt.

apparens diſcordia Platonis conciliata

1005 ſed ſi hoc verum eſt cur in libris de legibus Plato ab educatione puerorum incipis? an quod circa virtutes lex tantum conſulit: pater autem circa mores?

1006 ſic & cur paullò inferius liberam ſententiam circa Reip. ſtatum laudas, quam praeterea in libris de legibus damnas? an quod hic de ciuibus prudentibus, & adultis loqueris, cum illud iuuenibus tantum prohibitum ſit?

alia.

1007 ſed quoad legumlationem attinet haec eſt ſententia Platonis vt legum multitudo inutilis prorſus in ſua Republica ſit, ſi quidē cū duplex ſit iuſtū naturale, & poſitiuum, illud cūctis hominibus notū eſt, hoc verò rectè inſtitutis

1. Rhetor. xxiiij concordia.

1008 neque ab hoc diſſentit Ariſtoteles dum alibi legum multitudinem maximè laudat, tum multas ob cauſſas, tum maxime quod leges careant affectu, quod non euenit in iudicibus, ſi quidem in diuerſa loquitur Repub.

1009 nulla verò ſit adhuc ciuitas, niſi in ea adſit religio, eiuſq; miniſtri.

1010 ſed propoſita iam ciuitate perquiramus modo, an iuſtitiam reperire poſſimus, & ſanè primum conſtat imperanti ſolum & Reipub. conſulenti maxime tribuendam eſſe prudentiam: qua enim virtute magis indiget conſultor optimus, quā prudētia? quae ſemper acutè proſpicit in omni actione quid boni, quiduè mali inſit.

fortitudinem

1011 fortitudnem verò in ciuitate si quaeramus à militibus non est recedendum, si quidem eos vt resistant omnibus Remp. labefactare conantibus fortes esse conuenit, praecepta verò, & rerũ fines ab his qui principẽ gerũt magistratum petere debent, & se horum submittere imperio.

1012 temperantiam autem in his esse maximè constat, qui se ipsis superiores apparent, quod quidem illis contingit, qui rationem appetitui praeferũt, & propterea temperãs quoq; ea erit ciuitas, quae se ipsa potentior existet: nam cum & in ciuitate adsit mens, magistratus nempè, & appetitus, qui penes populum plebemq; maxime apparet, idcirco tum erit temperantia in ciuitate, cum infimi superioribus paruerint, & eorum imperio obedierint.

1013 et propterea si talis temperata erit ciuitas, temperantia non in parte quemadmodum prudentia & fortitudo: sed in vniuerso, tãquam diapason ex tonis diuersis aeq; compositum, ad vniuersum ciuitatis consensum refertur.

1014 ex his iam facilior ad iustitiam patet nobis aditus si quidem tum erit iustitia, cum vnusquisq; munus proprium perficit, nec alienum vsurpabit: sed ita viuet, vt institutio, & ordo ciuilis requirit, & ideo Reipub. gubernator nolle debet militiam exercere, vel agricolturam tractare & in vitam indignam prolabi, neque miles gubernatoris, aut mercatoris partes praeripiat, neque mercator gubernatorum, aut militum locum occupet.

1015 iustitia itaque in ciuitate est virtus vniuersalis, quae vnicuiquè hominum speciei munus suum praescribit, & cũ ipsa tres illas hominum species contemperet, propterea tanquam tres terminos harmoniae continet, Neates nẽpè Hypates, & Mediae hoc est octauae vocis, & grauis & quintae seu quaeuis alia media fuerit.

1016 quod quidem in hac figura licet cognoscere.

disdiapason. | diapẽte diatesarõ

Hypate---ratio----Prudentia-----Rectores-----

Mese---iracundia----Fortitudo-----Milites----

Neate--cupiditas---Temperantia---Opifices---

Iustitia.

1017 ex quibus apparet Bruta carere hac harmonia.

1018 iniustitia verò in ciuitate est vitium ob quod homines proprium munus non perficiunt.

1019 et ex his omnibus liquet iam (ni fallimur) quidnam sit ea iustitia vniuersalis, ad quā omnes bonae Reipublicae leges dirigi debent.

1020 sed iam ciuitatis iustitia cognita, facile est etiam perspicere vniuscuiusq; iustitiam, cum enim & in vno quoque homine adsint potentiae illae animae appetibiles rationalis nempè, irascibilis & concupiscibilis, idcirco iustitia tùm erit in homine, cùm vna quaequè harum partiū sigillatim, & omnes vniuersim sibi debitum perficient, quod si sit secus, erit iniustitia.

1021 sed quādo iam huc deuenimus caetera quoque ad Remp. attinentia simul cum Platone perquiramus, & quoniam in superioribus de virorum muneribus, actum est de foeminarum officijs differamus, & in primis vult Plato eodem modo custodes inter foeminas esse, quo inter viros: nihili enim faciēdam putat hominum opinionem, quòd indecorum dicant foeminas agere quae viros, cum id tamen inhonestum minimè sit, nec enim mores aliorum vituperare debemus, si sua natura turpes non sunt.

ex quinto dialogo.

1022 cumquè eadem sit maris, foeminaequè natura (sexus enim personas tantum distinguit, non etiam naturam) cur officia quoq; eadem non erunt?

1023 obeant itaq; communia cum viris officia, nudaeq; sicuti mares exerceantur, & in hoc naturam ducem sequamur, quae cum tam foeminam, quàm marem nudos procrearit, vestem vtriq; dedit contra frigus, rationem verò castitatis, & continentiae contra luxuriam, omnemq; libidinis cupiditatem, exuti itaq; vestibus exerceant se virtute potius, quam lana cooperti.

1024 horum autem officiorum leuiora quoque, propter generis imbecillitatem mulieribus tribuenda sunt.

1025 et quoniam inter omnes constat nihil vel melius in Republica esse, quàm quod homines coniungit, & vnit, vel peius, quàm quod distrahit, & vario animo, ac diuersa voluntate multiplicat, alterum enim meum, & non meū

exitiosum

exitiosum illud in Repub. peculiare, summamq; discordiam ciuium facit, alterum commune omnium commodum, & summam concordiam parit: hanc autem coniunctionem, & quasi vnionem effici non posse Plato existimat, nisi vnà cum caeteris rebus vxores etiam & filij communes sint, idcirco rem vxoriam communem esse voluit, putauitq; ita fore, vt ciues omnes, ex eisdem rebus voluptatem, moeroremquè perciperent, idemq; omnium esset vel proprium, vel alienum, vnoquè animo omnes omnia facerent, & cogitarent.

1026 itaq; sicut alij quidam non ignobiles Reip. authores vni viro plures vxores concedendas esse duxerunt, sic Plato pluribus plures dari posse sine errore existimauit, modò plures illi viri ita eruditione, virtúteq; instituti essent, vt omnes quasi vnus eadem bona, & vellent, & quemadmodum ipse docuit exercerent: virtus enim etsi non sine difficultate efficere tamen potest, vt plures homines idem sentiant, idem velint, idem nolint, ita deniq; viuant, vt qui plures sunt, quasi vnus secum viuere consentiens, cōstans, placidusquè videatur.

1027 duo praeterea praecepta connubialia ponit Plato, eorūq; curam principi ciuitatis tradit, quorum primum est vt delectu habito optimi optimis comitentur, & suscepta proles ex optimis diligenter custodiatur, alterum vt occultè id fiat & dolo quodam, ne offensioni cuiusquam detur locus: si enim publicè fieret delectus optimorum, essent contentiones tum ipsorum eligendorum, tum custodum eligentium, dum alij esse optimos hos, alij illos putarent.

1028 verum si forte sunt vnae quaequè Nuptiae peragendae quomodo delectus habebitur? an ita fingendae sunt sortes in coniungendis hominibus, vt cum optimi optimis, vitiosi vitiosis sint copulandi, vitiosi sentiant forte id sibi accidisse, non arbitrio principis?

1029 magistratus verò vnus nutriendis infantibus, seu foemellis, seu masculis praeficiatur, qui & natos perfectos ad nutrices quasdam transmittat, procurans ne vlla suum agnoscere valeat.

1030 sed qui nascentur ex deterioribus, aut aliquo membro manci in hac Rep. non alantur.

1031 sic & orti ex coitu patris & filiae caeterorumquè cognatorum.

1032 quòd si quaeras quo pacto patrem agnoscere possimus in hac Repub. nullo modo id fieri posse respondimus: sed omnes quicunq; nascentur decimo mense, vel septimo ex ea die qua quis liberis operam dedit masculi ab hoc filij, foeminae, filiae nominabuntur, nati autem inter se fratres, & sorores appellabuntur, & omnes eos, qui nuptiarum tempore simul congregati sunt, patres nuncupabunt.

1033 tempus verò generationi aptum hominibus sit anni xxx. (nam ante illud tempus crescit illorum aetas, nec retardatur prorsus labore gignendi nisi vsq; ad LX. annum) foeminis verò anni xx. si quidem vsq; ad XL. generare possunt, atq; hoc sit in Rep. tanquam religiosum.

1034 ex his itaq; vita beatissima totius ciuitatis constabit, si quidem iudiciorum controuersiae (vt omittam sexcenta alia) accusationesq; mutuae cessabunt omnes, quandoquidem nec proprium quicquam praeter corpus quisquã habebit, reliqua verò communia, & sine seditione ciues erunt, quae plerumq; ad eas lites attinet, quae pecuniarum, vel filiorum, vel propinquorum caussa oriri solent.

1035 his verò iam expositis custodum tractationem perficiamus, & in primis ea nobis occurrit dubitatio an pueri ad praelia deducendi sint, atqui si in alijs artibus, non ante operi, atq; artificio applicantur Tyrones, quam sint frequenti inspectione eruditi, dubium non est & pueros artis suae, à teneris annis spectatores esse debere, adsint itaq; pugnantibus patribus liberi: ita tamen vt ob eorũ imbecillitatem martis periculum non subeant.

1036 et quòd ad puerorum quidem eo in spectaculo curã atq; tutelam attinet, omne studium nauandum est, vt in equis maturioris iam aetatis, atquè obsequentioris naturae equitent, & ab ipsis praelium spectent, caetera verò in arbitrio sint parentum, atq; iudicio.

concordia Plato. cũ

1037 nequè ab hac sententia discrepat Xenophon, licet alij

secus

secus credant. Xenophō.

1038 ferantur'q; nonnullae leges custodum gratia, quarum sit prima, vt quicunq; desertor ordinis fuerit, aut abiecerit arma, aut similem aliquam ignominiam ex timore vel ignauia admiserit, in opificum ordinem transmittatur.

1039 quicunq; & apud hostes captiuus fuerit, idem hostium arbitrio relinquatur, idq; non iniuria, cum se in laqueos, & captiuitatem dederit, vt cerui se in retia vecordia, atq; imprudentia coniiciunt.

1040 lex itidem ferenda est alia, ne quis occisos in pugna spoliet, iam enim plurimi exercitus hac caussa periere, liceat tātum mortuis arma detrahere si quis indiguerit illis, vt potè quia vel gladius, vel hasta aut rupta, aut inutilis fuerit.

1041 lex autem, quae his adnectitur ab Auerroe, non est platonica. in sua parafrasi.

1042 egregios demum viros, qui sese optimè in bello gesserint, summo viuos mortuosq; prosequamur honore.

1043 bellumquè contra ciues eiusdem prouinciae susceptum vt seditio habeatur, contra exteros verò, & barbaros, vt verè bellum.

MAGISTRATVS.

1044 sed cum leges omnes vel optimae absq; probatissimis magistratibus mortuae sint: magistratus autem optimi vel absq; legibus scriptis sint viuae leges, merito Plato in excellenti Rep. non in condendis legibus: sed in formandis magistratibus omni diligentia elaborat, atq; id quidem non solum à tenera aetate: verum etiam ab ipso foetu studiose contendit, quo ex electis seminibus conti- aq; cultura ad optimam frugem perueniat. ex sexto dialogo:

1045 quoniam verò hos etiam appellat custodes: custodum autem maximè proprium est prospicere, atq; circumspicere, idcirco ingenium praecipue philosophicū, omniumq; sine controuersia perspicacissimum eligit ad humanum gregem custodiendum, quippe cum soli huius oculo pateat boni ipsius, iustitiaeq; exemplar ad cuius imaginem benè, iustè, beatèq; pingenda sit ciuitas.

1046 huiusceq; philosophi maximè proprium est perpetuus

veritatis ipsius circa res aeternas amor, in quarum indagatione saepius mentem suam seiungit à corpore; atque ex quadam sui cognatione diuinae menti coniungit, qua mox facta foecundior concipit. paritéq; veritatem.

1047 cùm itaq; philosophus veritatis adeo sit sectator, mendacium praecipue fugiat, & praeter haec omnia sit etiam liberalis, temperans, fortis, iustus, magnanimus, mansuetus, & vt rem demum concludamus concurrant in hoc duo quaedam genera rarissime in hominibus concurrentia, natura videlicet ingenio acuta, contemplationi apta, veritatis auiditate flagrans, & ad actionem maxime idonea.

1048 sed in quibusnam artibus versabitur noster magistratus? licet enim supra iuuentuté robustam esse dixerimus ad bellum pro patria sustinendum ideoq; illi Gymnasticen addiderimus, qua confirmaretur id, quod augescit, & deficit, corpus nempè: non tamen haec facultas principi philosopho conuenit; tanquam ea, quae sapientem hominem minime faciat, cum circa corpus versetur.

ex septimo dialogo.

1049 praecipimus item iuuentuti, vt musicam moribus temperãdis aptissimam edisceat, cuius vna pars in sermone falso versatur vt poësis, altera in oratione vera idest cantibus: sed cum neq; etiam in hac facultate, sit sapientia, neq; quid ad sapientiam conferens, ideo eam prorsus Regi non tribuimus.

1050 Arithmeticã itaq; principi philosopho in primis necessariam esse iudicamus, quod nihil ab homine prius noscatur, quam numerus in quaquè re, quodquè naturae rationali cuius est proprium numerare id maxime congruat, cum ratiocinari nihil aliud sit, quam numerare.

COROLLARIVM.

1051 hinc est quod veteres Arithmeticã ratiocinatricem facultatem dixerunt.

EPPA.

1052 neq; est haesitandum Arithmeticam ex numero artium intellectilium esse, si quidem quae sensibus comprehenduntur quaedam certo innotescunt vt ea, quae vnum tantum

tantum cadunt in sensum, vti colores, & sapores quaedā dubiè, quae tamen ad intelligentiam nos ducunt, vt illa quae cum communia pluribus sensibus sint, nec ab vno certo sensu capiantur, nisi à mente cognoscantur, errorem inducunt, vt motus, numerus, quantitas, aliaq; huiuscemodi varios in sensus cadentia.

1053 qua in re iam animaduertere licet, Platonem errorem nullum sensibus tribuere, circa propria obiecta, quod peripatetici etiam docent: sed circa illa, quae communia multis sensibus sunt. xxv. concordia.

1054 quis itaq; vereatur Arithmeticam ex secundo genere sensibilium nasci, & propterea rerum intellectilium esse? neq; enim numerus certo quodam sensu capitur: sed mente abstrahente illum à materia rerum numeratarum.

1055 neq; repugnabimus Aristoteli, si ex Platonis sententia aliquā rerū intelligētiā arbitremur ex eo nasci, quod sensus fallantur in multis, quae mens ipsa contemplando inquirit, cum sensus ad vnum tantum obiectum corporeum definiti sint. xxvi. concordia.

1056 erit itaq; principi nostro valde vtilis Arithmetica, vt in bello milites, & in pace reliqua numerare queat, ac demū vt essentiam attingat è fluctibus generationis emergens, hac enim euocabit mētem à rebus generationi subiectis, erigetq; ad veri entis contemplationem.

1057 et ideo non tantum huius praxis vtilis erit, quantum ipsa est theoria.

1058 Geometria secundo loco ab hoc principe nostro ediscatur, cum huius vsus ad rem militarem, caeteraq; Reipub. munera multiplex sit.

1059 et quamuis Geometriae praxis ad multa conferat, potissima tamen eius pars est theoria, quae philosophum docet mentem ab his materialibus auocare, contemplariq; incorporea, si quidem ipsa & magnitudinem, & omnes eius rationes extra materiam intuetur.

1060 his addamus Astrologiam, cuius duplex est vsus vnus praxeos, alter theoriae: nam ad bellum, nauigationem, Agricolturam, aliaq; huiusmodi, vtilis est in Republica praxis. theoria verò eadem tanquam instrumentum con-

fert, quo animus purgatur à sordibus contemplationis rerum corporearum, erigiturq; ad veritatem intuendam, dum spectatis motus coelestis caussis & rationibus, immortalia incipit intueri.

poëtica in superioribus.

1061 post has Musicam etiam addiscat, quod superioribus minime repugnabit.

1062 duae enim sunt motus species, quae circa idem subiectũ versantur, & duobus sensibus capiuntur vna oculos mouens, qualis est conuersio globorum Coelestium in Astrologiae rationem cadens, altera aures incitans, qualis est harmonia motuum Coelestium, quae Musicam efficit, ex quo intelligitur Astrologiam, & Musicam ea de caussa germanas esse.

1063 quod tamen non repugnabit Aristoteli, mathematicisq; vt in theorematibus Arithmeticis videbimus.

1064 vsus autem praecipuus Musicae non ipsa sonorum auditione, quae tota sensilis est, nec in notitia tonorum, & concentus voluptate, quod vulgus existimat: sed in contemplatione rationum cuiusquè harmoniae, qua inde mens excitatur ad rerum incorporearum, pulchriq; ipsius contemplationem.

1065 Demum dialectica est adiscenda, quae certo ordine, ac methodo docet essentiam cuiusq; rei inuenire, huius enĩ proprium est essentiam cuiusq; rei inuenire, cũm reliquae artes essentiae accidentia intueantur: nam mathematicae non essentiam: sed essentiae accidens, magnitudinẽ nẽpè considerant, phisica quoq; imaginatur somniatq; de essentia, vt potè quae in rerũ corporearũ notitia versetur.

1066 proportio autem, quam secundo libro ab Aristotele non discrepare manifestabimus, harum facultatum sequens figura demonstrabit.

essentia idest ens verũ ———— nõ ens verũ idest res generabilis

(intelligentia) (opinio)

Scientia———Cogitatio———Fides———Imaginatio

Dialectica Mathematicae Phisica

1067 Dialecticam verò apud Platonem vocamus, non Metaphisicam solum vt putauit Proclus, nec logicam solum vt existimarunt peripatetici: sed logicam, & Metaphisicam simul, quod existimauit Ficinus.

1068 et cum iuuenilis aetas studijs sit quàm aptissima ideo mathematicae in hac potissimum aetate sunt addiscendae, & cum finis omnium artium sit ipsum ens verum, ac bonum intueri, propterea paullatim iuuenes deducendi sunt, cum instituuntur, per eas artes, quae minus id praestant, ad illam artem quae id perficiat omnino ad metaphysicam nempe seu dialecticam, quam cum teneant ad Remp. demum vocentur, neq; enim decet veritatis inscium ad eam accedere.

1069 in adultiori verò aetate, vt anno trigesimo, cum iudiciũ est integrum & maturum dialectica edifcenda est, quae non modò verum ens inquirere: sed iudicare etiam rectè de rebus docet, nam si alia aetate capiatur, multa inde incommoda orientur, ea enim veritatis inquisitio, rectũ iudicium, eiusq; optimum vsum requirit, quae in iuuene minime sint.

1070 deinde iuuenes arguti, & contentiosi cum existant in disputando veritatem occultabunt.

1071 atq; sub talibus principibus, vel sub tali principe platonica sit Respub. existimamus enim eam, & Monarchiam, & Aristocratiam esse posse, cuius mutatio in eius defensione declarabitur.

1072 ad optimum autem huius ciuitatis statum permagni refert omnes credere animam immortalem esse.

POETICA PLATONICAE REIPVBLICAE.

1073 et cum ad politicum poëtica quoq; pertineat, quod quomodo sit inferius videbimus, propterea de poëtica quoq; platonica breuissimis pertractandum est, & in primis cõmunis poëtices imperfectionem referabimus.

INVECTIVA IN COMMVNEM POETICAM.

1074 et in primis cum tria sint exemplaria, vnum diuinum in Deo positum, alterum ab artificibus factum naturam

ipsam imitantibus, tertium ab imitatoribus simulatum & effictum ad imaginem rerum artificialium, qualis poëtica, quis non videat, quanto inferius sit poëticum exēplar caeteris?

1075 et propterea quod ad hoc attinet poëtica est, ignobilior caeteris quibuscunq; artibus.

1076 quin vna quaeq; imitatio in genere caeteris artibus est postponenda, si quidem verum est, vti credimus vnam quamq; facultatem esse vel vtentem, vel efficientem, vel imitantem.

1077 et sane in vtente facultate adest scientia, si quidem qui vtitur, tanquam caussa princeps rationem effectionis noscit, & eam instrumentarijs alijs praescribat necesse est.

1078 efficiens verò vtenti adhaerens credens efficit, quapropter circa hoc idem instrumentum factor rectam habebit fidem de pulchritudine, & prauitate adhaerens intelligēti, vnde & in hoc non scientiam: sed opinionem reponimus.

1079 imitans verò opinione, scientiaq; caret, neq; enim habet scientiam ex vsu eorum, quae pingit, nec opinionem rectam cum intelligenti non adhaereat, nec ab eo instruatur, qualia quaeq; pingenda sint.

COROLLARIA.

1080 ex his itaq; disputationis gratia sustinebimus picturam, & sculpturam, ignobilissimas omnium Maechanicarum artium esse.

1081 quin & humilium quoquè.

ΕΡΓΑ.

1082 vitiosa est etiam poësis, quae animi partem affectibus turbidam imitetur, eamq; mouere studeat, illa verò quae est tranquilla non item.

POETICA REIPVBLICAE PLATONICAE.

1083 poëtica itaq; nostra, rationalem tantum animae partem imitetur.

1084 vel canat laudes Deorum Heroumquè.

Reipub-

REIPVBLICAE PLATONICAE DEFENSIO, ET IN HOC ARISTOTELIS PLATONISQVE CONCORDIA.

1085 iam itaq; Rempub. platonicam prae oculis posuimus reliquum est modò, vt eam non modò tueamur, verum etiam vt Aristotelicae Monarchiae eam minime repugnare demonstremus, & in primis quò ad hoc pertinet occurrit primò communio illa mulierum, filiorum, & possessionum, in qua quidem nos in ea sumus sententia, vt id quod intensius Plato dicit, remissius ab Aristotile decernatur, si quidem vterq; vnire ciuitatem voluit: sed alter plus, alter minus. Bessario in 4. lib. in ca'. Plat. concordia in communi.

1086 facilius enim est, & sensui nostro propinquius, quod Aristoteles sectatur, Plato contra commune respicit, partem enim hominis, quae sensu nobilior est, mentem videlicet, atq; intelligentiam sequitur, ob idq; difficiliora semper aggreditur: sed quae menti, & intelligentiae magis conueniant, Aristotelis itaq; sententia sensui, Platonis intelligentiae propinquior est.

1087 quapropter non absurdum prorsus foret dicere, Aristotelis Remp. esse in concreto, Platonis verò in abstracto.

1088 et antequam ad compositionem Platonicam, & Aristotelicam deueniamus, mala Platonicae Reipub: sensa sunt prorsus refutanda, existimarunt itaq; multi Platonem, in communione illa mulierum hyperbolico quodam sermone vsum fuisse, & plus dixisse, quam intellexerit, quod nostro quidem iudicio minime verum est, & hi quidē in extremorum altero fuerunt.

1089 alij verò alterum occuparunt, vti Nicolaitae qui quidem communionem tum aliarum rerum, tum etiam mulierum veram & realem existimarunt, non modo in principijs humanae philosophiae: sed etiam simpliciter; in quo vltimo capite prorsus errarunt, & ideo iure merito eos Sacrosancta Ecclesia haereticos existimauit.

1090 alij verò hanc communionem Platonis sic declarandam arbitrantur, vt vni quidem vnam esse tradendam mulierem censeant: sed ab omnibus diligendam vti propriam vt esset in Republica eadem omnium dilectio, & vnio cui

& summus

C. dilectis. xii. q. I. & summus Pontifex adstipulatur, cuius sententiae praecata tamen venia non acquiescimus.

1091 nos vero existimamus hanc communionem esse realem & secundum principia humanae philosophiae posse sustineri, secus autem simpliciter.

2. pol. ca. I. 1092 his praehabitis componamus modo, & in hoc quoquè Platonem, & Aristotelem, & in primis videtur non approbare Aristoteles Rempub. Platonicam, ob insufficientiam, ob irrationabilitatem, ob frustrationem, & ob multa incommoda.

xxvij. concordia. 1093 et sanè insufficientiam in eo existimat Aristoteles, quòd Plato non docuerit modum, quo singulis res & mulieres diuiderentur, quod licet verum sit: tamen ex verbis Platonis id, vir philosophus facile eliciet.

xxviij. cōcordia. 1094 caussam verò huius ordinationis irrationabilem arbitratus est Aristoteles, quòd vnitas magis tollat ciuitatem quam efficiat, si quidem non modo ex coaceruatione hominum constat ciuitas: verum etiam ex multitudine eorum, qui specie differunt, & sanè, optimè reprehendit Aristoteles suppositionem hanc ita simpliciter intellectam, non autem illam ex qua collegit Plato suam conclusionem: quae secundum qualitatem est, non secundum quantitatem.

1095 si quidem tantùm abest, prorsus ad vnitatem redigi platonicam Rempublicam, vt potius in summo personarum discrimine, maximaq; distinctione versetur.

xxviiij. cōcordia. 1096 frustrationem verò in illo putat Aristoteles, quòd licet omnes pariter ciues dicere possint meum, & non meum, tamen non erit ciuitas perfectè vnita, si quidem hoc modo negocia publica necesse erit negligere, & extingui amorem, tolliq; officium, quod à parentibus filijs debetur, & sanè dictum hoc contra communes Respublicas multum valet.

Bessario eodem 1097 nihil autem cum bona venia Aristotelis contra platonicam haec ratio momenti habet, quandoquidem Plato & cogitauit hoc & dissoluit prius, quam vsum mulierum communem statueret, praecepit enim ciues, virtute, doctrina, litterisquè ita educari, vt quasi vnus homo sibi constans

constans, consentiensq; videretur, sicq; ciuitas vniuersa idem vellet, idem nollet, quo posito cur negotia publica negligentur, quando plures ciues, perinde, quasi vnus rē suam, hoc est communem tuetur & curat? quis enim rem vnius hominis negligi propterea existimaret, quia plura sunt membra ex quibus constat, vt caput, pectus, venter, caeteraq; huiusmodi?

1098 quinimò audacter dicimus nos saepe numero vrbium status ex amore rerum propriarum debilitari, infringi, atq; euerti, dum ciues singuli student vel sibi, vel liberis honores, opesq; acquirere, non patriae saluti, non publico commodo, non communi felicitati consulere, sic enī praeclarus Atheniensium status perijt, sicq; Lacedaemoniorum admiranda Resp. euersa est.

1099 Romanaq; Respub. dum platonicam, quatenus potuit sequuta est, semper fuit, dum autē ab ea recessit paulatim etiam corruit, florebat enim profectò Roma cum Iunius Brutus filios suos studio publici commodi, nō secus quā alienos, atq; hostes morte mulctauit, cum P. Decius se pro Republica deuouit, cum alter Decius ad voluntariam mortem, cursu Equi pro eiusdem Reipublicae salute prolapsus est: at euerti iam caepit, cum C. Caesar rerum suarum auidus regem se facere vrbis Romae, & Octauio nepoti Romanum imperium relinquere cogitauit.

1100 reliquas etiam ad hoc obiectiones eadem disciplina platonica tollit. xxx. concordia.

1101 quòd si quis huiusce Reipub. ciuis extra disciplinam progrediens obiectioni Aristotelicae obnoxius sit, hunc quasi putridum & incurabile membrum, ex toto corpore amputandum, abijciendumq; putauit, propterea vt dixi disciplina omnia incommoda demit.

1102 quin & omnia incommoda euitari posse demonstrant omnes illę gentes, apud quas mulieres communes fuerūt, Massagetae nempè, Britanni veteres, Affri, Nasamones, Aethiopes, Thraces, & Brachmanes deniquè indorum sapientes. Herodot. Halicarn. Caesar. Diodorus.

1103 nec solum Barbari: sed Graecorum optimi Lacedaemonij nempè eundem ferè à Lycurgo morem acceperunt. Philostra. Plutarch. Xenophō.

quòd

1104 quòd & Numae etiam Romani sanctissimi acceptum tulerunt.

xxxi. concordia. 1105 quòd verò ad aequalitatem possessionum attinet, omnia ferè Aristotelica tela, Platonica disciplina euitat, & reliqua quae sub hac cadere non possunt in Platonem non iaciuntur.

xxxij. concordia. 1106 licet enim temperantia, & liberalitas domestica tollatur, multa tamen, ob hoc euitantur mala.

1107 neque tamen temperantia, & liberalitas extera, & bellica aufertur, quod autem ad mulierum nudationem attinet in secunda Platonica Republica videbitur.

xxxiij. cõcordia. 1108 quòd verò reprehendit Aristoteles numerum custodum Platonicum, quod mille sat non sint, nihil ad Platonem, cum eius verba exempli gratia sint.

MVTATIO REIPVBLICAE PLATONICAE ET ILLIVS DEFENSIO, ET IN HOC CVM ARISTOTELE CONCORDIA.

1109 affirmat verò Plato hanc suam diuinam Rempub. mutari debere, mutationem verò posse contingere, vel à Coelo, vel ab hominibus.

1110 et à Coelo tum fieri mutationem, quando Coeli ad inuicem coniunxerint circulos suos breues, circulis breuibus, & longos longis, quod erit ob coniunctionem, capitum Arietis, & librae.

concordia Plat. cum Ptolomeo. 1111 quae coniunctio ex sententia Platonis fit in spatio sex mille annorum, quae opinio, nõ multum discrepat à veritate, & à Ptolomaeo.

1112 in hac autem coniunctione fieri maximam in orbe mutationem, ex eo liquere potest, quod semel tantum ab orbe condito facta est, in obitu nempè Caesaris vsquè ad Aug. Monarchiã, quo in tempore an maximae mutationes in orbe fuerint iudicent omnes.

1113 sunt ad hoc etiam rationes physicae, & Astrologicae.

1114 si autem numerus sex millium in se ipso ducatur exeunt triginta sex mille, per quod spatium, cum capitum coniunctio exactior sit, maior etiam, ex Platonis, phytagoricorumq;

ricorumq; sententia fiet mutatio.

1115 prima itaq; mutatio per sex mille annos erit partialis in orbe.

1116 neq; ab hac sententia discrepat Aristoteles. xxxiiij.cōcordia.

1117 secunda verò, est in toto orbe vniuersalis. 1.metheo.

1118 ad quam opinionem deducemus etiam Aristotelem. xxxv. concordia.

1119 hoc est itaq; quod vult Plato, dum inquit diuinam generationem à numero contineri perfecto.

1120 si itaq; Reipub. mutatio contingat à Coelo, mutabitur Respub. vel per spatium sex mille annorum, si quidem mutatio contingat penes eam orbis partem, in qua sit Respublica, vel tandem per spatium triginta sex mille annorum, quo in tempore totus orbis mutabitur.

1121 quòd ad homines autem attinet id in primis est sciendū hominem perfecte posse generare in trigesimosexto anno, & hoc est, quod dixit Plato humanae geniturae tēpus esse, tum cum sesquitertia radix quinitati coniuncta duas harmonias praebet ter aucta.

1122 radix enim sesquitertia est numerus septenarius.

1123 quinarius autem est radix sesquialtera.

1124 hinc liquere potest error Leonardi, qui πυθμην cubum vertit hoc in loco.

1125 septenarius autem, & quinarius simul coniuncti duodecim efficiunt, qui quidem numerus duodenarius ter auctus triginta sex efficit.

1126 continet autem numerus iste duodenarius multa priuilegia, quae alibi à nobis proponentur, modo verò id satis sit, quod is vere continet annorum climata, quod alibi diffusius declarabimus. in impugnatione Nomāciae in cap. fin. quadr.

1127 namquè cum iuxta Ptolomaei sententiam, quam falso carpunt Arabes vti sumus inferius probaturi, vnius cuiusq; signi dominus, in singulis annis succedat actionum & vitae dominus, quis videat, in duodecim annorum circuitu omnia signa dominium inijsse, deincepsquè ad idem reuerti? in impug. Astrolog. positio Astronomica.

1128 hinc est, quod in duodecim annorum curriculo recurrunt persaepe quaedam similia, quae tamen propter varietatem initiorum, aetatum, & successuum, quae ex ingressibus positio Astronomica.

gressibus pendent diuersa omnino existimabuntur.

1129 quemadmodum itaq; in magno mundo sex mille annorum spatium regenerat quaedam, sic & in paruo mundo duodecim annorum curriculum.

1130 et quemadmodum magnus mundus per triginta sex mille annos aptus est ad generationem alterius orbis sic & triginta sex anni efficiunt paruum mundum, quàm idoneum ad nouam generationem alterius parui mundi.

1131 licet diuersa ratione vtruq; fiat, quod alias explicabitur.

1132 in his itaq; annis fit in homine duplex harmonia, rationis nempè, & sensibilis, vitalisq; potentiae: saepius enim appellauit antiquitas animae potētias, harmonias, quod hi Lucretij versus testantur.

„ Verum multa quidem sapientum turba putarunt
„ Sensum animi certa non esse in parte locatum:
„ Verum habitum quemdam vitalem corporis esse
„ Harmoniam Graeci quam vocant, quod faciat nos
„ Viuere cum sensu nulla cum in parte siet mens.

1133 et sanè rationis harmonia est illa, quae oritur ex centum centies, Decem nempè mille, nanq; cum apud Pythagoraeos numerus denarius naturae Symbolum fuerit, nō est ambigendum, Decem mille, qui numerus quatuor decem supponit, animam rationalem significare, quae quatuor naturas, decennario numero naturā significāte, complectitur, esse nempè, vitam, sensum, & rationem.

Iāblichus de mathemat: Pythagorae.

1134 vel quod quodrifariam potest viuere, vita nempè Plantae Bruti, Hominis, & Angeli.

COROLLARIVM.

1135 et ideo apud veteres tetragonus Animae Symbolum fuit, hinc illud sicut trigonus in tetragono.

Arist. de anima.

.Ε.Ρ.Γ.Α.

1136 posuit autem ad huius declarationem Plato centum cēties, vt demonstraret circulū animae, quae quando intelligentia sua se ad materiam flexerit reuertitur ad se, & licet Aristoteles hanc animae intelligentiam lineae simplici comparet, non tamen ab eo disentit, quod inferius patefa-

3 de anim: in theore. de anima.

patefaciemus.

1137 altera verò harmonia, quae anima est rationis expers duplicem habet partem, quarum altera in numeris longior est quidem centum numerorum à diametris comparabilibus quinitatis, singulis indigentibus vno, & duabus qui non sunt comparabiles.

1138 altera verò pars est centum cuborum trinitatis ipsius.

1139 et quod ad primam partem attinet sciendum est latus primi in numeris expressi quadratis esse duo, & diametrum tria, qui comparationem rationis sesquialterae habent, & simul sunt quinque, quinque verò sequens latus est, & diameter septem qui comparationem non habent in harmonia, ideo duo prima comparabilia sunt, & proportionalia, duo sequentia incomparabilia, & improportionalia.

1140 his praehabitis non est modo dubium primam partem de anima sensitiua loqui, quam non assimilatur numero aequali, & circulari, quia eius cognitio caret reflexione.

1141 centum autem assumit sibi pro huius declaratione quia cum in eo numero sit decem supra decem, sic haec anima est super aliam animam, vegetalem nempè.

1142 dicit & tres esse comparabiles, quia tres sunt sensus, qui maximam habent cum ratione proportionem, auditus nempè, visus, & odoratus, cum in re ferè incorporea, consistant.

1143 singuli autem indigent vno, tactu nempè, cum is sit caeterorum sensuum fundamentum.

1144 duo verò qui non sunt comparabiles sunt gustus, & tactus, quorum nulla est proportio cum ratione.

1145 secunda pars appellatur trinitas, ob triplicem vegetalis potentiae virtutem, gignendi nempè, nutriendi, & augendi.

1146 tribuit quoq; huic potentiae numerum centenarium, vt demonstret illam esse supra aliam naturam essentiam nempè.

1147 addidit verò cuborum vt demonstret hanc potentiam esse solummodo supra naturam corpoream ad distinctionem sensitiuae.

summa

1148 summa itaq; geniturae humanae temporis, & rationis haec est, vt homines in aetate perfecta, mente, sensuquè quam optimo praediti, roboreq; corporis conspicui generare debeant, quod si secus erit, orientur nati, vel in corpore, vel in anima mutiles, qui Remp. peruertent.

1149 declarationemq; hanc solus inter omnes interpretes videtur Diuus Thomas somniasse.

1150 sed cur nam in legibus vir assumitur ad generationem filiorum in anno vigesimo quinto, in Repub. verò in trigesimo? quoniam in Repub. perfectissimum vbiq; desideratur, in anno verò trigesimo perfectior est, & pacatior animus.

1151 tribuit autem in Repub. viro spatium generandi annos viginti quinque, quoniam hic numerus aequilaterus est, atquè circularis, mulieris conceptus spatium per inaequilaterum viginti scilicet producitur.

1152 melioribus enim figuris & signis apud Platonem meliora significantur.

xxxvi. concordii.

1153 apparet itaq; in mutatione Platonica adesse tum caussam vniuersalem, tum particularem, & verba solum Aristotelem reprehendere, cum ea quorum profundiorem sententiam probabat, ad vsum communem vulgaremq; referat, ne quod significare primo aspectu videbantur, id ita esse putaretur

1154 sic & forsan posset quis eum reprehendere, quod Deum animal vocarit, vel quod genituram semen dixerit.

1155 in caeteris autem ad hanc rem attinentibus forsan mancus est Plato, & locupletior Aristoteles.

SECVNDA PLATONICA RESPVBLICA IN LIBRIS DE LEGIBVS DECLARATA.

1156 verum cum haec Socratica Respublica, nimis esset hominibus ardua, adeoq; vt tantum Heroibus conueniret, propterea aliam constituit Rempublicam mortalibus magis aptam.

Mars. fici. in 1. de ll.

1157 et idcirco in Repub. ab ipsis Mineruae sacris, in legibus verò à Iouis sacris disputationis fundatur exordium:

forma

forma enim illa Reipub. prior, castior esset atq; seuerior, propterea Palladi maxime cõgrua fuit: vltima verò paulò indulgentior, sua quadam humanitate Ioui conueniens est.

1158 et quamuis ab initio constituat ciuitatem, & regulam gubernandi: tamen legum positionem nominat potius, quam Remp. quoniam in ea ciuitate, in qua possessiones sunt propriae (sicuti in hac vltima Repub. permittitur) propter varias controuersias, lites, iniuriasquè multis opus est legibus.

SECVNDAE PLATONICAE REIPVBLICAE DEFENSIO, ET IN EA PLATONIS CVM ARISTOTELE CONCORDIA.

1159 in hac verò Repub. minimè subit reprehensionem Plato dum & milites, & domus, & vnam quamq; ferè rem per quinque millia, & quadraginta numerat si quidem numerus iste allegoricè distributionem rerum optimam significat.

1160 quod quidem ex eo luce meridiana clarius esse potest, quòd prae caeteris numeris, numerus iste per totum denarium in integras portiones partiri potest.

1161 si enim vniuersum hunc numerum in duas diuiseris partes, pars dimidia duo millia continebit, quingentaq; & viginti: si verò in tres pars, tertia mille sexcenta octuaginta, si in quatuor mille ducenta sexaginta, si in quinque quinta quaelibet mille cõtinebit, atq; octo, si in sex sexta omnis octingenta, & quadraginta, si in septem septingenta viginti, si in octo, sexcenta triginta, si in nouem quingenta, atq; sexaginta, si deniq; in decem, quingenta & quatuor supersunt. Fici. in 6, dial. de .ll.

1162 iustam itaque numerus talis pro meritis omnibus distributionem significat, & propterea dixit Plato in v. de .ll.

» deniquè hinc omnis defectus oritur, & inopia, cũ
» quinque millium, & quadraginta domorum nume-
» rus non seruatur.

1163 Aristoteles verò sensum allegoricum omittendo literalẽ xxxvij. cõcordia.

L tantum-

2. pol. c. 4. tantummodo carpit.

1164 Platonem autem saepius allegoricè locutum fuisse testis est tum vetus Pythagoraeorum mos, ad sua vsq; tempora seruatus, tum & ipsemet in quadam epistola. — ad Dionysium.

1165 duae sequentes ad has oppositiones magis Platonis sententiam declarant, quam oppugnent. — xxviij. cōcordia.

1166 eam verò, quae his adnectitur, allegorica Platonis sententia facile potest euitare. — xxviiij. cōcordia.

1167 mixtum verò Reipublicae genus sequutus est vti Graecis aptissimum, & in hac specie prima iuxta numerum, secunda fuit iuxta speciem. — xxx. concordia.

1168 vertitur autem magis ad optimatum potentiam licet enim ex censu oriatur Olygarchia, non tamen apud Platonem in hac Rep, in qua census pendet à distributione numeri superioris. — xxxi. concordia.

1169 quòd verò ad nuditatem puellarum, adolescentiumque attinet, veterem illam esse consuetudinem arbitramur, quae sine vitij suspicione fieri solebat: per multas enim nationes ita olim exerceri consuetas omnis historia testatur, nec solum exterae incultaeq; nationes id fecerunt: sed nostrae etiam moribus & eruditione cultiores, vt Athenienses, Lacedaemoni, Macedones alijq; complures: hi enim naturam ducem sequebantur, quae cum tam marem, quam foeminam nudos procreasset, vestem vtrique dedit contra frigus, rationem castitatis & continentiae contra luxuriam, omnemq; libidinis cupiditatem.

1170 falsumq; est, quod existimat Trapezuntius, Platonem nempe duobus filijs prolem ad summum determinasse: non enim vetat ne quis vlterius procreet: sed ne quis minus quam marem, & foeminam habeat, edicit. — de comp. Platon. & Arist. Bessario. in 4.

1171 neq; nouercam liberis, vt idem existimat, prohibet, quādoquidem ex Platonis sententia, si cui procreatis liberis mare, & foemina vxor obierit, is nouercā suis liberis nō ducet, si libuerit.

REIPVBLICAE CONSTITVTIO EX PROPRIA OPINIONE.

1172 sed iam Rempublicā ex propria sententia constituamus, dementes

dementes tamen omnia ferè ab Aristotele, Platoneq; & in primis id supponamus Reipub. finem esse operationem animi in vita perfecta quemadmodum, & vnius cuiusq; hominis. Arist. 7 pol.

1173 cumq; homini à necessitate ferè insitum sit vt in ciuitate viuat, ideo qua ratione ciuitatis pars est, quendam praestitutum sibi finem habet, & cum rei vnius sit, vnum quoque esse oportet. Auerroys i paraphrasi Reip. Plat. in tract. 2.

1174 siue specie id intelligatur, vt à singulis percipi possit.

1175 siue ratione, & analogia, quae gradus quosdam habet, ex quibus prius quodam est, & posterius dignitate.

1176 siue attributione, & respectu quodam, ac relatione multorum ad vnum, veluti si omnes perfectiones alicuius suipsius gratia sint, & ob hunc eundem complures aliorũ, & paucae nonnullorum.

1177 et si humanae perfectiones possint vniuersae in singulis quibusq; inueniri, consequens erit, vt vnus quisq; sui gratia sit, essentq; in ciuitate ea ratione non plures ordines vno, id quod fortasse non potest fieri.

1178 si verò vel omnes, vel plures non ab omnibus: sed ab aliqua tantum parte acquiri possunt, in reliquis verò deficiat natura, cum eis suarum perfectionum finem deneget, tunc posterius hoc genus aptum est quasi alieno dominio subijci, cum prius illud ad dominãdum aptum sit.

1179 et istorum quidem inter se ratio similis est gradibus perfectionum, quae humana in anima insunt, veluti cum aliae sint aliorum caũssa.

1180 his primò suppositis iam ad reliqua pergamus, & sicuti textori, & nauiculario fabro, caeterisque artificibus materiam supponere oportet, quae quanto melior est, tanto & id, quod ex arte fit, praeclarius euadit, sic Remp. statuenti, propriam subesse oportet materiam, atq; accommodam.

CIVITATIS MATERIA.

1181 haec autem est ciuium multitudo, & regio.

CIVIVM MVLTITVDO.

1182 et sanè licet ciuitatem magnam laudemus: non tamen

Arist. 7. pol. c. 4. & ibi diuus Thomas.

magnum ciuium numerum probamus: ratio enim magnitudinis sumitur ex ipsa operatione, si quidem in vna quaq; re tam res, quam dispositiones propter suam operationē sunt, quae est sicuti finis, illā ergò ciuitatē oportet dicere magnam simpliciter, quae potest operationem suam perfectè producere, vt Hippocratem magnum medicum dicimus secundum magnitudinem artis.

1183 in hac autem ciuitate numerum ciuium magnum quidē & per se sufficientem cupimus: verum eum non seruorū inquilinorum, hospitumuè: sed consultatorum, militumquè ex quibus primis partibus ciuitas coalescit.

1184 ex qua verò exire sufficiunt opifices numero multi: sed bellatores pauci, hanc impossibile est magnam esse ciuitatem: neque enim idem est magna ciuitas, & populosa.

1185 quinimò populosa cum in numerosam nimium multitudinem sit diffusa, ordinationem haud commodè recipere potest.

1186 praeterea est & ciuitatis quaedam mensura, vt & aliarum omnium rerum: nam horum singula neq; nimium parua neq; nimia mole excrescentia suam potētiam retinebūt: sed aut destituta omnino erunt natura, aut prauè se habebunt.

1187 sit itaq; tanta ciuium multitudo, vt per se sufficiens sit, & facile ab his, qui Reipub. magistratus gerunt agnosci possit, atq; omnes se inuicem etiam agnoscant: namquè ad magistratus pro dignitate distribuendos, necessarium est, vt se inuicem agnoscant ciues, quales ipsi sint.

1188 denium si secus esset facile hospites, & inquilini ad Rep. aspirarent, cum minime difficile foret, in ea hominum multitudine eos latere.

xxxxij. concordia.

1189 sic & Plato non amplius augendam esse censet ciuitatem, quam dum vna esse, seruariq; possit, quòd si magis crescat amissuram esse vires, quibus & se tueri queat, & alios superare.

REGIO CIVITATIS.

r. de re rustica.

1190 quòd ad regionem verò attinet M. Portij Catonis sententia fundamenta regionis nostrae iacere poterit; is enim

enim duo praecipue considerãda duxit in agro emendo salubritatem nempè Coeli, & loci vbertatem, quod & nos in nostra regione cupimus.

SALVBRITAS COELI.

1191 et in primis statuendum est de climate, & sanè incolentes frigidas regiones calore interno nimis abundant, quò fit digestio vehemens, & multiplicatio sanguinis, propterea animosiores quidem sunt, ingenio verò tardiores, cum crassos habeant spiritus deseruientes sensibus internis, & exhalationem minorem, eam comprimente frigiditate extrinseca. niu. Tho. 7. cap. 7.

1192 isti itaq; in libertate quidem perseuerabunt: sed disciplinam Reip. difficulter recipiunt, nec finitimis dominari possunt, cum ingenij, & artificij parum habeant.

1193 qui verò calidas incolunt regiones, modici sunt sanguinis & spiritus habent puriores, & exhalationem maiorē caliditate externa poros aperiente, atq; ex eo satis ingenio pollent: verum animosi minime sunt.

1194 propter quod & parere dominantibus, & seruire perseuerant.

1195 qui autem mediam regionem habitant animosi simul sunt, & ingeniosi, ex quo fit vt in libertate degãt, & Reip. disciplinam optimè recipiant, & apti sint omnibus imperare.

1196 ad hoc autem prae caeteris aptum est quartum clima cū partibus illi coniunctis, tertij, quintiquè.

1197 haec tamen intelligenda sunt, si ad communem figurae coelestis dispositionem respiciamus: sed variari contingit praedicta, vel ex aliqua differenti positione ad montes, ad mare, & ad palustria loca, vel secundum diuersum stellarum errantium influxus, vel ex dissimili exercitatione intellectus, cui non possunt vim afferre coelestes influxus.

1198 quod quidem vltimum, Romanorum Monarchiam prorsus destruxit, si quidem ij degētes vitam, ocio, luxui, auaritiaeq; prorsus se dederunt, & ideo minus intelligentes facti, minusq; in actionibus ciuilibus, & bellicis

 exercitati

exercitati, non rectè potuerunt rebellantibus obuiare, nec in fide permanentibus imperare.

1199 aer quoq; post haec optimus eligendus est, qui quidem purgatissimus atq; purissimus sit, qui aciei visus liberrime peruius, qui leuissimus, quiq; coaequabilis, & minime varius.

COROLLARIVM.

1200 hinc est quòd cum veteres Theologi aerem Palladem nũcuparint, semper apud Homerum Pallas glaucopi legitur purum significans aerem, qui natura sua perlucidissimus sit.

EPTA.

1201 et propterea è conuerso pestiferum illic aerem esse statuemus vbi spissitudine quadam aut nebularum, aut vaporum stet concretus, atq; feculentus.

1202 oritur autem praecipuae malus aer tum à vento, tum à sole.

Vitruuius in 1.l. c.4. Cato. & Varro. de re rustica.

1203 et à Sole quidem insalubris efficitur aer, si meridiei vel occidenti prorsus suppositus sit: quia per aestatem coelũ meridianum Sole exoriente calescit, meridie verò ardet.

1204 sic & quod spectat ad occidentem sole exorto tepescit, meridie calet, vespere feruet

1205 hoc autem licet animaduertere ex his, quae non sunt animalia: in cellis enim vinarijs tectis lumina nemo capit à meridie, nec ab occidente, sed à septentrione: ea namquè regio nullo tempore mutationes recipit: sed firma est perpetuo, & immutabilis, ideo etiam & granaria, quae ad solis cursum spectant minime bona sunt, obloniaq; & poma, quae in ea coeli parte ponuntur, quae est auersa à solis cursu non diu seruantur.

Hippocra. Aris.1.sec. probl. Plinius. Leo. Albertus.

1206 vento quoq; salubris, & insalubris efficitur aer Austrum enim affirmant omnes medici prae caeteris generi hominum esse noxium, quin & pecudes Austro flante non sine periculo in pascuis esse arbitrantur, neq; item se vspiam temere ciconias Austris committere obseruarunt, spirāte Aquilone dies durare anguillam senos sine aquis: sed Austro non durare, tantam inesse huic vento crassitiē & in morbos vim.

aquilonem

1207 Aquilonem verò satis aptum esse ad bonam valetudinem Hippocrates, & Plinius testantur.

1208 malim tamen auras, quam ventos.

1209 ventos tamen immobili aeri praeponimus, nam & capiunt inquit vitium Ouidius ni moueantur aquae, quid aer? profectò motu vehemēter (vt ita loquar) hilarescit nam motu quidem fieri opinamur, vt surgentes à terra vapores, motibus incalescendo concoquantur.

COROLLARIVM.

1210 et ideo apud Virgilium Eolus Deiopeiae fit maritus.

ΕΡΓΑ.

1211 sed hos ventos volumus fractos obiectis montibus, & siluis, dummodo ciuitates non sint sub montibus ipsis, aut longa commigratione lassos appellere.

1212 volumus etiam ne per loca appellant, vnde raptum malum ad nos afferant, absint itaq; à nostra regione palustres aquae, & similes.

1213 licet quoq; interdum paludes aliqua cum ratione constitutae videantur, si nempè secundum mare fuerint, sintquè excelsiores quam litus marinum, spectentq; ad septentrionem, aut inter orientem, & septentrionem: fossis enim ductis fit aquae exitus ad litus, & mare aucto regreditur salsa maris aqua in paludes, quae quidem amara mixtio non patitur bestiarum palustrium genera ibi nasci, nataq; inconsueta salsedine necantur. Vitruuius c. 4. lib. 1.

1214 atq; tales fuerunt paludes Rauennae, Aquilegiae, Altiniquè, quae tamen vrbes incredibilem habuerunt aeris salubritatem, vt & Strabo refert.

1215 sic itaq; salubris erit regio nostrae ciuitatis, quod si quis voluerit haec diligentius sensu percipere animaduertat, attendatq; naturas auium piscium, & terrestrium animalium, & idcirco rectè veteres à mactatis hostijs rationem aedificandae vrbis perquirebant.

1216 cum enim pluribus mactatis probassent integram, & solidam naturam iecinorum, sanè ibi ciuitatem constituebant, sin verò vitiosā inueniebant, aliò transmigrabant existimantes in humanis quoq; corporibus pestilentem futuram nascentem in his locis aquae cibiq; copiam.

L 4 post

1217 post aeris salubritatem soli vbertas necessaria est, illa enī sanitatem: haec verò alimoniam mortalibus praebet, & vna ab altera nequaquam est separanda, & propterea Attilij Reguli sententiam fuisse Columella prodit, agrum sicuti nec foecundissimi quidem soli, cum sit insalubris coeli esse colendum, ita nec effaeti, si vel saluberrimi sit, verum de hac re diffusius inferius est videndum.

li. 1. de re rustica.

1218 non itaq; nos illic vbi condere Calligula vrbem destinauerat, in Alpium arduo aliquo, & difficili iugo nisi maxima cogat necessitas aedificabimus neq; placebit, si vti in Insula ponti Oenoe, viuendum sit ouis tantum auium dicant alij quicquid velint.

VRBIS AREA.

Leo. Bapt. Alber. li. 1.

1219 in Area captanda quicquid de regione disseruimus obseruandum est: nam vti quidem regio amplioris cuiusdā prouinciae certa selectaq; est pars, ita & area totius regionis praescriptum, & definitum quoddam est spatium, quod quidem ad aedificandum occupatur.

Leo. Bapt.

1220 et cum maxima sit inter Architectos controuersia an ad libellum coaequare areas condeceat, nos absq; contradictione cum vtrisq; sentimus, quas enim tecto feceris opertas ad libellam aequandae sunt, quae verò sub diuo relictae sunt, non plus, quam vt imbrium defluxus efferant deprimendae sunt.

7. pol. 4. de .'l. xxxxiij. cōcordia:

1221 dubitatur & quoq; an mare hanc aream alluere debeat, & sanè Aristoteli mare vicinum probatur, quod Plato ab vrbe sua prorsus separat: nos autem in hoc sic iudicamus vt oppidum, seu vrbs, quae regia, metropolisq; minime est commodè iuxta mare possit esse, atq; ita sentiat Aristoteles.

Leo. Bapt. lib. 1.

1222 dum tamen mare meridianum non sit: radiorum enim flexionibus obiecta regio duos patitur soles, vnum coelo alterum ab aquis inurentem.

L. 4.

1223 caueaturq; ne sit mare istic herbidum depresso litore, & immerso: sed profundum abruptis viuo saxo, hirtisq; ripis rigens: nam quò loci ad mare immineant rupes hae, nusquam est illic mare non profundum, & ex mari si qua vaporum crassitudo insurgat ascēsu deficit, & si quid repentina

repetina hostilis manus attulerit aduersi maturius praeuidetur, & tutius submouebitur.

1224 si verò Regia sit vrbs in media regione ponatur, namquè circa ipsam tria saltem oppida esse deberent: sic enim nunquam repentinam patietur obsidionem, quod quidē Enoes obsidione & innumeris alijs exemplis probari posset, atq; ita loquatur Plato. Hieronim' Madius in 1. lib. Thuc.i 2.l.

1225 et quid erit tandem si Plato ciuitatem ad contemplationem magis vergentem statuat Aristotelica? si enim Plato in ciuitate contemplationem tanti non faceret, fortunae sanè bona aequè ac Aristoteles aestimaret, & propterea agrum & situm, & modum ad diuitias cumulandas, amplificandumq; imperium commodissimum diligenter exquireret: contra verò facit omnino. Ficinus in arg.4.dial.

1226 est itaq; vrbs sua procul à mari, atq; portu, non mercaturae praesertim cauponariae dedita, non luxuriosa, non diues: verum temperata, sobria, pudica, & prae caeteris pia, & sanè quidnam aliud mandaturum putamus sanctū aliquem religiosae vitae pontificem in aedificandis templis habitaculisq; sanctorum, quam quod Plato noster iubet in vrbe condenda?

1227 Aristoteles autem cum ad actionem magis ciuitatem suā direxerit, propterea secus sensit, neq; tamen Platoni contradicit.

VRBIS MVNITIO.

1228 pro munienda verò vrbe nonnulli antiquorum regionū steriles asperas & difficiles minime vituperant: summè etenim amabant Germani regionem illam, quae latissimas circumuastatis regionibus solitudines haberet, atq; id quidem ita, quod repentinas hostium excursiones ea re maximè vetari arbitrarentur, exercitumq; in Aethiopiam Sesostrim Aegiptiorum regem immittere destitisse putant historici, quòd frugum inopia, & locorum difficultate absterreretur. Assyrij desertis, & inaquosis tutati locis Regem aduenam passi sunt nunquam, Arabes itidem, quod aqua, & fructibus deficiant ab externorum impetu, & iniuria immunes diu fuerunt, apud Aemericos ait Liuius regio fertilissima est: sed plerunquè vbere Caesar in comentar. Herodot' Diodorus & alij.

solet

solet agro euenire, vt homines alat imbecilles, contra Ligij, qui terram incolunt lapidosam, quam exerceri assiduè & extrema victus parcitate diem trahere oporteat, per quam industrij, & robustissimi sunt, Italiamquè demum nulla alia re saepe à Barbaris petitam scribit Plinius, quam vini ficuumq; voluptate.

1229 adde quòd rerum illarum copia, quae ad voluptates facit, vt aiebat Crates, & senibus, & iuuenibus nocua est: nam illos efferatos, hos effoeminatos reddit.

1230 nos autem (quod etiam supra diximus) secus arbitramur si quidem interno periculo, suppetias ferent optimae institutiones, externo autem aliae munitiones, quae à nobis proponentur.

1231 in primis verò in area ciuitatis cauendum est, ne quis supra contiguus mons immineat, quo occupato infestus hostis vrgere possit.

1232 his itaq; iam omnibus suppositis dubium iam ocurrit, an muris circundari debeat vrbs nostra, & sanè multi muros vituperant, & scribunt quidem historici Dyonisio indiam peragrante nullas fuisse apud eas gentes muro cinctas ciuitates, Graeciamq; olim nullis munitam fuisse muris scribit Thucidides, quia & Spartam absquè muris fuisse perhibent multi. (Diodorus & alij.)

1233 hancq; opinionem sequutus est Plato. (6. de ll.)

1234 licet secus sentiat Aristoteles absq; contradictione. (7. pol.)

1235 sciendum est enim Spartam aliquo in loco Turres habuisse, murisq; caruisse, in locis prae caeteris altis, & per se munitis, quod & Liuius fatetur. (Dec. 4. l. 4.)

1236 atq; hoc etiam modo immunitam vrbem suam postulat Plato, in locis enim per se non satis munitis foueas, Turres, claustraq; pro viribus circumducta summè desiderat. (6. de Rep.)

1237 vbiq; verò muros exoptat Aristoteles ob tormenta noua, quae Platonis temporibus haud erant, quod & Aristoteles fatetur. (7. pol. xxxxiiij cōcordia.)

1238 vel quod nullum in vrbis area locum à natura munitum supponit.

1239 modò verò non est dubitandum ob nouas belli machinas muniendam esse vbiquè muris vrbem: & propterea

haesitare

haesitare minime debemus nullam areae extremam lineam adeo rectam esse debere, vt intercipi nequeat cum flexarum linearum couexione, tum & angulorum sectione, si quidem ad ciuitatis tutelam hoc maximè confert vt inferius videbimus, & parietes ipsi quasi adactis adiumentis, quibus cohereant firmiores redduntur.

1240 sed antequam ad murorum formam deueniamus nonnulla sunt in primis expendenda, quorum sit primum an murorum ambitus flumina continere debeant, & sanè licet hoc multis videatur prima fronte commodis refertū esse, id tamen nos minimè probamus, si quidem & talis vrbs multas patitur inundationes, & facilius interdum ab hostibus capi possunt, aquis alia impulsis via, quod Babyloni accidit, quemadmodum, & Frontinus, & Hyeremias attestantur. c. 51.

1241 quin & facillimè etiam ab hostibus ipsis inundari tales possunt vrbes, si ab inferiori parte flumē claudatur, quod Agesilaus in Mantinaeorum vrbem expertus est, vti Xenophon scriptum reliquit. l. 5. rerum Graecarū.

1242 adde quod ab fluminibus exeunt saepius, cum nempè altiores sunt ripae, incocti vapores, crassusq; aer, quandoquidem non potest sol statim ac ab orizonte scandit flumen radijs attingere. Vitruuius Leo. Alb.

1243 semper autem à fluminibus auras emanare frigidas testatum reliquit Aristoteles, quod quidem in mari non euenit. 23. par. prob. 16.

1244 sed in monte ne, an magis in planitie debeat collocari ciuitas vt munitior sit adhuc ambigimus, in planitie namq; minus bellicis hostium tormentis obnoxij sumus, scissurasq; & cuneos minime reformidamus, maioremq; copiam aquae possidebimus, bellicisq; tormentis nostris hostes magis offendemus quam in monte, verum aggeribus hostium, machinisq; bellicis, quas antiqui Helepoles vocarunt, turribus ambulatorijs, alijsq; militaribus artificijs, quae murorum facilem praebent ascensionem magis subijcimur, demumq; post oppugnationem fortior & valentior accedet inimicus in planitie, quam in monte.

1245 sin autem in monte, vel colle sita sit vrbs nostra tum quidem, naturae beneficio fortiores erimus, atq; in murorum aedificatione minores sumptus impendemus, ab hostium aggeribus, alijsq; militaribus machinis magis nos tutabimur, in aggressuq; demum ipso, securiores hostibus ipsis ob situm, seu clam, seu palam pugnabimus verũ cunei, & scissurae periculum subimus, tormentorumquè pulsus magis suscipiemus & aquae copia laborabimus, neq; equestrem militiam, vt in planitie facile alemus.

1246 si vtriusq; situs particeps erit vrbs nostra, vtriusq; beneficijs fruamur: & vtriusq; periculis etiam supponimur, & prae caeteris hoc sanè timendum est, quod etiam intra domus pulsabimur, & in obsidione, neq; die, neq; nocte quiete degemus.

1247 apparet iam ex his itaq; horum situum nullum inexpugnabilem apparere, quapropter reliquum est vt nos ad aqueos locos vertamus.

1248 et in primis, ad lacus nos vertamus (iam enim fluminum pericula declarata sunt) in illis verò licet à cuneis, & à tormentis nos facile tueri possimus, minoriq; defensorum copia egeamus: attamen in hyeme congelatis aquis, haud prorsus inexpugnabiles sunt hae vrbes.

1249 munitior tamen caeteris antedictis erit haec vrbs,

1250 huic verò eam vrbem nos praeponimus, cuius situs aquis ex militum voluntate potest longe, lateq; tegi dummodo tamẽ sit hoc cum aeris salubritate, & ideo iure TAVRISII situm commendarunt recentes Architecti.

VRBIS MVRI EORVMQVE FORMA.

1251 sed iam ad Vrbis muros, eorumq; formam deueniamus, & sanè Vitruuius collocanda existimat oppida non quadrata, nec procurrentibus angulis: sed circuitionibus vt hostis ex pluribus locis circumspiciatur in quibus enim ex illius sententia anguli procurrũt, difficulter defenditur, quod angulus magis hostem tueatur, quam ciuem.

l. 1. c. 5.

1252 ex qua re nonnulli audacter affirmarunt Romae circulos

à Romulo

à Romulo circulares factos fuisse, ideoquè vrbem ab orbe vocatam, cuius formam cum omnes imitarentur, propterea apud Italos omnes ciuitates vrbes appellatas fuisse.

1253 verum labuntur isti, si Fabio pictori, Catoni, Cornelioq; tacito credimus, hinc & illud Ennij l.2.in frag mentis

„ Et quis extiterat Romae regnare quadratae? l. 12. Fest. pom.l. 15.

1254 et quid erit tandem, si & contrariam partem absq; contradictione tueamur. Var.4. d l. lat. dixit foueā fuisse rotundam

1255 Turres quoq; pro murorum defensione aedificandas esse existimauit Vitruuius, quorum interualla essent talia, vt ne longior sit alia ab alia sagittae emissione vt à Turribus murorum oppugnatores telorum emissionibus reijciantur.

1256 easq; rotundas, vel polygonias exoptauit, cum quadratae machinis facilius dissipari putaret.

1257 Vegetius verò ex altera parte secus existimasse videtur, l. 4. c. 2. qui sinuosis anfractibus iactis fundamentis vrbes claudi crebrioresq; turres in ipsis angulis effici debere arbitratus est, propterea quod si quis ad murum, vel scalas, vel aliud quid admouere velit, non solum à fronte: verum etiam à lateribus, & à tergo penè, veluti in sinum conclusus opprimitur.

1258 quòd & Cornelio Tacito minimè displicet. l. 21. in solimae descriptione

1259 quod autem inquit Vitruuius vrbes rotundas esse debere si prorsus rotundas intelligit ratione caret, difficillimè namq; Turres licet crebrae muros tueri poterunt.

1260 quòd si rotundas vti polygonias accepit, optimè docet.

1261 nec ab eo dissentit forsan Vegetius.

1262 Turres quoq; rotundas Vitruuius, Leo Baptista, Durerusquè summè laudarunt, quod & eo magis probari potest, quo magis etiam saepius hanc formam sectatur natura, non attamen (& in his praecipue temporibus) sunt ab Architectis optandae cum totae prorsus defendi nequeant. Arist.prol. 9. sec. 19.

1263 quòd autem ad formam vrbis attinet, nos in primis triquetram, cuius formae Memphim praecipue fuisse Megasthenes testatum reliquit, penitus improbamus, si quidem


in ea

in ea anguli prorsus acuti cum sint, Belloardua quoquè acutiora reddent, quae paruam cum necessario plateam habeant regressum si opus fuerit militibus minimè commodum praestant, eorūq; acies cum subtilis admodum sit ab hostibus interdum facile rescindi poterit, ex qua re inimicis locus satis per se tutus praestabitur.

p 28. prop primi Eucli. 1264 quòd si Belloardua aeque atque anguli acuta erunt, murorum & Belloarduorum extremae lineae aequales erūt, & propterea nunquam simul concurrent, quomodo igitur tormentorum glandes tota tutabuntur Belloardua?

1265 quod si recta vel obtusa sint minus etiam defendi poterūt, si quidem tum extrema Belloarduorum linea infinitè protracta, magis, magisque à muris recedet,

1266 haec verò licet ita se habeant, reperiemus tamen nos figuram, quae Belloarduorum latera, licet maiora, quàm angulos facile tutari possit, quod quidem praestabimus si muros ita deducemus, vt in Belloarduorum medio, cāpos versus angulum efficiant obtusum cuius quidem figuram hic apponimus.



1267 et in hac sanè figura duo ferè admirabilia eueniunt, si quidem in primis secus euenit, ac existimarit Nicolaus Tartalea excellens mathematicus, contraria .n. forma, & solo duorum tormentorum ictu totam murorum superficiem defendimus, cum in alijs ferè omnibus hoc fieri nequeat, quandoquidem ictus semet ad inuicem secant, ne secus Belloardua similiaquè glandibus pulsentur ad inuicem.

Albe. Dur. in suo lib. de muniendis vrbibus. 1268 quod si huic formae muros concameratos addamus quales Albertus Durerus existimauit, adeo tamen vt in media fornicatione, quoddam appareat adminiculum, tū ad fulciendum murum, tum ad sustinendas lapides alto

delapsas

delapsas, vrbem hi fallot egregie fimiliemus;

1269 ex hoc enim iam alia duo mirabilia apparent, quorum alterum est à tormentis ipsis nullum, vel paruum damnũ muros esse suscepturos.

1270 quòd si tandem maxima longissimaq; vi reciperent, iam alterum oritur mirabile; vt maius afferant hostibus detrimentum muri prostrati, quam erecti:

1271 adsint & quoquè tres planae formae, quarum altera sit in Belloarduorum medio, caeterae verò aequè distent à Belloarduis & à prima, sic enim quocunquè aggrediatur hostis, tribus poterit expelli locis:

1272 sed dubium est an fouea foris circà muros fieri debeat, & sanè multi foueas intus exoptant, verum hi fallimur ipsi labuntur, si quidem ob foueam difficilior praebetur hostibus ascensus, machinisq; bellicis expugnatio.

1273 atquè si nullibi fouea foris requiritur, circa nostros muros praecipue requiritur, in quibus sat est hostem scalas habere, quae murorum medietatem attingant, & proptereà foueam prae caeteris latam, profundamquè volumus.

1274 solet autem à scribentibus quaeri, an apud antiquos fouea in vsu fuerit, quod quidem nos Homero teste affirmamus. 7. Illi.

VRBIS PORTAE.

1275 fiant autem Portae in angulo ipso, qui est inter Belloardua, cum enim & apud Architectos constet portas tanquam os, Belloardua verò sicut oculos esse, optimè se tum res habebit, cum duobus Belloarduis vnam assignabimus portam. Leo Bapt. in lib. 9.

1276 sint & quatenus fieri potest absconditae, habeantquè tortuosum iter, hinc & optimè Vitruuius portarum itinera non directa: sed scena voluit, si quidem scenum apud veteres flexum, tortuosum, fraudiquè expositum significauit.

1277 Portarum quoquè ratio pro viarum militarium, & non militarium dignitate habenda est: viarum enim aliae quidem militares sunt, aliae verò non militares: sunt aũt militares

militares, qua in prouincia proficiscimur cum exercitu, atque impedimentis, non militares verò, quibus à militari egredimur ad oppidum villamuè.

ARX.

1278 et quemadmodum, adest in corpore humano caput, sic & in vrbe Arx, quam quidem non abnuimus, quandoquidem ipsa, & Platoni, & Aristoteli placuit.

7: pol: in v: de :ll: xxxxv. cōcordia

1279 veteres quidem arcem vrbibus ponere instituerunt, quò in aduersis tempestatibus refugium haberent, vbi virginum Matronarumquè pudicitiam cum sacrorum sanctitate tuerentur, & propterea Festus meminit arcem apud veteres religioni sacratam fuisse, & appellari solitam augurialem, arcanumquè, fieri illic quoddam solitum per virgines sacrificium, occultum, longeq; à vulgi notitia remotum, ea de re Plato suam Vestae dicauit: sed labentibus annis arx regi dicata est.

Festus

v. de :ll:

1280 haec autem cum parua debeat esse quadrata, vel pentagona sit, vt dominetur, vt gentem recipiat, & quia regressum non habet, locetur q; in colle partim in vrbe, partim extra vrbem, muros q; habet crassiores, foueamq; latiorem, & profundiorem vrbe ipsa.

VRBIS VIAE.

1281 intra hosce muros viae in primis ducendae sunt directae à portis ad alias è conspectu portas, quarum latitudinem quatuor & triginta pedum nonnulli approbant, quas silice sternendas existimamus vbi currus aguntur, ne orbitae ponderi desidant.

Franciscus Patritius 1 li: 8: suae Reipub: Leo Bapt: in v:

1282 vbi verò silex deest, vel magna impensa aduehitur, vel nullus est curruum vsus, coctili laterculo optimè viae sternuntur, & praecipue ad aequitandi vtilitatem, fortius namq; iumenta pedem figunt, nec tam crebro dilabuntur hyberno gelu, citoq; pluuia ex his defluit, paruoq; luto polluuntur.

1283 sunt ducendae quoq; transuersae viae, quae ad alias portas dirigantur, & in earum triuijs latiores Plateae relinquēdae sūt, in quibus veteres Architecti porticus erigere consueuerunt.

consueuerunt non modò ad deambulandi commoditatē: verum ad studia bonarum artium, in quibus cum grammatica publicè doceretur; ideo existimarunt nonnulli ob hoc eam triuialem artem appellatam fuisse, idq; prorsus male vt inferius patebit.

SACELLA.

1284 in triuijs etiam & compitis ad communem viciniae vtilitatem expedit sacella aedificare, in quibus homines rei diuinae operam dent, diebus enim sacris omnes veteres in templa maiora conueniebant (si quidem in his diuina tantum curabantur) diebus verò quibus humana fas erat agere satis arbitrabantur adire sacella, quae quidem vti diximus in compitis erant, hinc illud. Liuius Diony. Hali. Festus, & alij

„ Flore sacella tego, verbenis compita velo. Propertius

TEMPLA.

1285 Templorum verò triplex ratio apud veteres fuit prima Doricorum exemplo, secunda Corinthiorum, tertia Ionicorum. Vit. lib. 4. patri. li. 8. c. vltimo.

1286 Aedes Doricae sine delitijs erant, & seueritatem magnā cum pompa tamen, magnificentiaquè tenebant, & propterea Mineruae, Marti, & Herculi dicabantur, arbitrantes virtutū numina sola seueritate, & grauitate venerari.

1287 Corinthiae verò contra delitijs affluebant folijs, floribusq; ornabantur, decorabanturquè graciliori quadam seueritate, & idcirco Veneris, Florae, Proserpinaeq; templa nuncupabant, vt qui arbitrarentur haec numina his delitijs propiciari.

1288 Ionicae demum ratione quadam mediocritatis constituebantur: à seuero enim Doricorum more, temeritateq; Corinthiorum temperabātur, eaq; facile Iunoni, Dianae, & libero patri aedes statuebant, praeseferentes mediocritatem his dijs gratissimam esse.

1289 haec antiquorum rationum memoria nostro quoq; tempore in aedificandis templis omnino non est inutilis verùm & alia traduntur etiam praecepta non contemnēda, vt nempè sic distribuatur aedis longitudo, vt latitudo sit eius dimidia pars, sitq; aedes secundum quatuor mundi partes partita, Araque quoad fieri possit ad orientem

vertantur, si secundùm flumina sint, ripas aspiciant arae: si verò secundùm publicas vias ita sunt in conspectu constituendae, vt eas praeteruntes intueri possint, salutare, & venerari.

1290 Aedem quàm Basilicam appellant, cui ciuitatis pontifex praeest loco aedito in medio vrbis omnes Architecti aedificandam censent, & rectè, atq; haec sunt ea templa, quae ad communem vsum constituuntur.

1291 sunt & alterius generis nonnulla, quae illis tribuuntur, qui sacris initiati, religioniq; addicti contemplationi diuinorum inseruiunt contemptis omnibus rebus humanis, eiusmodi aedes solitudinem exigunt, & propterea semouendae sunt ab hominum coetu ab aediun q; priuatarum aspectu, & vel in pomoerio, vel extra moenia aedificandae.

PRIVATAE AEDES.

1292 secundùm vias priuatae aedes longo ordine ad pares (si fieri potest) dimensiones constituendae sunt vt speciem vrbis ornent, nec quippiam exporrectum habeant, quod vijs impedimento esse posit.

1293 non tamen aequalitatem hanc adeo laudamus vt totas domus ab vno pariete contineri velimus, quod Plato dicebat; licet id dictum absq; ratione non sit.

1294 nec solum priuata domus ad vsum, ac commoditatem familiae apta esse debet: verùm etiam & ad decorem quã maximè accedere: namq; non modò (vt ait Cicero) dignitatem viri auget aedium pulchritudo: sed & etiam vrbis.

FORVM.

1295 magna quoq; diligentia videndum est, vt forum optimè constituatur, vt enim eius nomen (quod Varro testatur) à ferendo dictum est, quod illuc res afferantur, sic cogitandum erit, vt iumenta, & homines vndiq; illuc confluere possint, & si vrbis moenia secundum mare fuerint, area fori proximè portum eligenda est, si verò mediterranea erit, in medio constituatur. de lin. lat.

BIBLIOTECA.

1296 Biblioteca quoq; aedificetur: nã si palestra, quae corpus adiuuat

adiuuat tanto studio, tantaq; impensa in plerisq; vrbibus statuitur, quanto magis Bibliotheca ornanda erit? quae pabulum mentis bene institutae est, & excitatio animi ingenui.

1297 illius is eligatur locus, qui ad orientem spectat, acies namq; oculorum matutinum lumen postulat, venti enim tum Meridionales, tum Australes humido pallore librorum volumina corrumpunt, tineasq; procreant, quibus libri exeduntur, corrumpunturquè.

1298 poliantur parietes opere tectorio, adornenturq; viridi colore: viridia enim omnia oculis prosunt, acremquè reddunt aciem.

THEATRA.

1299 Theatra quoq; ad animi relaxationem erigantur, quod quidem antiquitus diuidebatur in orchestram spectatorum sedem, proscaenium, scaenamquè.

1300 Scaenarum verò triplex fuit genus, Tragicum nempè, quod quidem fulciebatur columnis, decorabaturq; fastigijs, ac signis reliquisq; regalibus ornamentis, secundam Comicum dicebatur, in quo similitudo quaedam erat priuatorum aedificiorum, tertium Satyricum, quod ornabatur arboribus speluncis montibus, reliquisq; rebus aggrestibus, atq; horum quodq; suam dimensionem habebat, ad carminis harmoniã, & ad Mimorũ rationẽ.

1301 hoc tamen illis commune fuit, vt parietes non pinnis: sed ex porrectioribus coronis praecingerentur: vox enĩ in vnam partem demersa aliquantulum morabatur priusquam in area dissiparetur, quasi retenta à murorum corona, & sic clarius, suauiusq; ad aures spectatorum perueniebat, haecq; sufficiant de vrbis materia.

CIVITATIS FORMA.

1302 forma ciuitatis autem ab hominibus ipsis vrbem habitantibus pendet, quorum quidem species à sex rebus, quibus ciuitas constat deducuntur; sunt autem illae res, alimenta, artes, diuitiae, arma, iudicium, & sacrificium, homines verò agricolae, artifices, mercatores, milites, magistratus, & sacerdotes. Arist. li. 7. c. 8. pol.

xxxvi.cō-cordia.
1303 strictius autem Plato, sub opificum verbo agricolas, artifices, & mercatores amplexatus est, duosq; extremos sub magistratus nomine, atq; hanc seriem nos breuitatis caussa sectabimur.

OPIFICES.

7.pol.c.8.
1304 et in primis in optima, feliciq; Republica, neque qui alimenta parant, neq; opifices, neq; opulenti, qui quaestu, mercaturaq; cumulandis opibus insudant ciues existunt: cum enim felicitas absq; virtute minimè posit esse, opificum verò, & quaestuosorum hominum vita vilis sit & virtuti inimica, ideo mercatores, & opifices à Reipub. muneribus excludimus.

1305 et cum ad virtutem comparandam, & Rempublicam administrandam, ocio, quieteque opus sit, agricolarum autem vita quam maximè inquieta sit, propterea agricolas etiam à ciuibus nostris separamus.

Varro Cato, & caeteri
1306 sed cur non solum & ciues Romani agricolae fuerunt: sed omnes etiam ferè Graeci veteres? an quia duplex est agricola, vnus nempè qui animi gratiam culturam exercet, & ne vitam interdum prorsus ocio degat, alter verò vt alimenta hominibus praebeat, & primus sanè non est à Republica excludendus.

1307 et propterea quod ad hoc attinet non discrepat Aristoteles à Romanis, & à veteribus Graecis.

Patritius de Repub. l. 1. c. 7.
1308 veteres autem Reipublicae administratores Graecos, agricoltura delectatos esse demonstrat Hesiodus, nec aliud caussae fuisse existimamus, quod Euboici Hesiodū in carminis certamine praetulerint Homero (si verum est epigramma, quod in tripode scriptum fuisse referunt, nisi quod argumentum rei rusticae, & agricolarum magis probauerint, quam bellatorum, ac rei bellicae, hinc & Homerus, vti in Clypeo Achillis praeclaras hominum artes insigneret agricolturam expresit: nam aratores, ac messores posuit, & eos qui vindemiam exercebant.

7.pol. c.x.
1309 aequè cultores, quos à ciuibus disiungimus, sint exteri, & animo seruili: nam ita vtiles erunt ad opus, & ciues securiores reddentur, nihil noui ab his moliri.

1310 mercatores quoq; quos in ciuitate nostra introduci permittimus

mittimus, hac tantùm lege permittantur, vt quae nobis superſunt deuehant, & permutando, ac vendendo ea aduehant, quae neceſſaria ſunt, dum tamen ea non importent, quae pertinent ad effoeminandos animos.

1311 ex his omnibus patere poteſt noſtram hanc ciuitatem iuſtos habere ſimpliciter ciues, & non ad ſuppoſitionem, & propterea Democratiam maximè fugere, in caeteris verò ad Artifices pertinentibus ſatis ſuperius. in Rep. 1. Platonica

CAETERAE, VERIORESQVE CIVITATIS FORMALES PARTES.

1312 verae itaq; ciuitatis ciues, erunt milites & magiſtratus.

1313 in quibus quidem quaeri ſolet an idem ſit viri boni, & boni ciuis officium, nos quidem ſimul cum Ariſtotele in optima Rep. eundem bonum ciuem, & bonum virum pronunciamus, in mala verò non perinde bonum ciuem bonum virum aſſerimus, atq; bonum Nauctam bonum ſimpliciter diceremus. Ariſt. 3. po. cap. 3.

1314 et propterea licet Photionem vti bonum virum laudemus, non tamen bonus ciuis Athenienſibus fuit. Plutarch' i vita Photionis

1315 dubium autem eſſe poterit vter melior ciuis Athenienſibus extiterit, Themiſtoclesne an Ariſtides, & ſanè multi in eam deueniunt partem, vt Themiſtoclē quò ad hoc attinet Ariſtidi praeferant, cum in populari peruerſo ſtatu Themiſtocles ad vtilitatem cogitationes ſuas dirigeret: nos verò ſecùs ſentimus, dicant quicquid volunt alij. Plutarch' i vita Themiſtoclis, & Ariſtidis

1316 ſed iam perquiramus quis nam ſit verè ciuis, & in primis non ille ſtatim ciuis eſt dicendus, qui ciuitatem incolit, cum & aduenae quandoq; in ciuitate exiſtant, neq; ſolum illi putandi ſunt ciues, qui ex ciuibus nati ſunt, aut qui auos & proauos ciues habuerunt, alioquin qui ab initio aedificatis vrbibus ciuitatem incoluerunt, ciues haud eſſent. 3. pol. c. 2.

1317 neq; is eſt ciuis, qui iuriſdictioni ciuitatis ſuppoſitus eſt, cùm & extraneos ſubijci contingat ob cōtractus initos.

1318 quapropter ſimpliciter is eſt ciuis diffiniendus, qui magiſtratum gerere poteſt in Repub. quae diffinitio ſi ſecūdum actum intelligatur maximè populari ſtatui conuenit, ſi verò ſecundum facultatem aeq; omnibus.

M 3 qua-

1319 quapropter iam liquet, cur neque pueri, neque senes ciues sint appellandi: pueri enim & senes inutiles sunt negocijs Reipub. eodemq; modo & profugos, & infames ciues non appellamus.

1320 sint itaq; ciues solum praesides, & bellatores.

1321 sed postulabit aliquis an eadem virtus ciuium parentium & imperantium esse debeat, cui nos sic satisfacimus, vt eundem esse posse asseramus pugnatorem, & iudicem in ciuitate: non attamen simul: sed vt natura fert: cum enim in iunioribus vires sint, prudentia verò in senibus, in bello laborabunt iuuenes, senes verò consultabunt.

1322 de his autem duabus partibus iam est pertractandum, & prius de militibus, quorum cognitio, cum tota à re militari pendeat, ideo de re militari sermocinabimur.

RES MILITARIS.

Pet. Ram. de mil. Caesar.

1323 rei verò militaris disciplina est disciplina belli rectè administrandi, quae in apparatu, castris, & congressu consistit.

REI MILITARIS PRIMA PARS APPARATVS.

1324 apparatus belli est in delectu, & commeatu.

DELECTVS.

Veg. lib. 1. cap. 1.

1325 delectus autem militaris (sicuti latinorum egregius auctor, carminis sui testatur exordio) armis constat, & viris.

MILITES.

Aelianus de instruendis aciebus.

1326 viri verò, milites nempè ipsi, qui quidem delecti habebantur, apud Graecos in Phalange numerabantur, cuius quidem numerum voluerunt aptissimum ad mutandas aciei figuras, & ob hanc caussam cum scirent in scientia numerorum excogitatos numeros, qui vsq; ad vnitatis distributionem in suam medietatem diuidi possent, propterea maior pars eorum qui de ratione instruendi aciem Graecè scripserunt XVI. M. CCC LXXXIIII. militibus peditum grauis armaturae Phalangem esse debere statuerunt: ex dimidiata autem parte Phalangem velitū, atq; itidem ex dimidiata parte equitum: nam numerus XVI. M. CCC LXXXIIII. vsq; ad ipsam vnitatem in duas secatur

secatur partes.

1327 delectus autem Romanorum erat legionis, vnde & ipsa nomen habet: legio verò primis vrbis Romae temporibus trium millium fuit, ac singulis, tribus Tatiensium, Ramnium, lucerum millia singula mittebant, postea quaternum millium, & ducentorum peditum fuit. Varro de ling. lat. Liuius 1. dec. l. 7.

1328 verum labentibus annis, cum Liuius legionis numerum in quina millia peditum, trecentaq; equitum constitisse dicat, Polybius verò, qui & Affricani comes fuit legioni non amplius quinque millia tribuat cui nos magis credemus? an forsan Polybio, cuius numerum Caesar quoq; confirmat. lib. 8. lib. 2. lib. 3. de bello ciui.

1329 discrepant quoq; & hi duo summi authores in auxiliorum numero, si quidem eum Polybius ampliorem facit.

1330 postea legio sex millia peditum habuit, & centum, equites septingentos viginti sex, & auxilijs sociorum instructa duodecim millia compleuit, decem peditum, duo equitum, maior etiam legionis numerus deinde fuit: nostris autem temporibus nullum habemus nomē, quod eiusmodi delectum exprimat. Veg. lib. 2. cap. 2.

1331 quod ad numerum autem attinet nos magis numerum quinque millium, & quadraginta, vel decem millium, & octoginta laudassemus, cuius rei rationes iam satis superius sunt assignatae. Plato in 5. de legibus & ibi Ficin.

1332 sed in hoc toto legionis numero alij praeerant, alij parebant.

PARENTES ET OBEDIENTES.

1333 parent autem & obediunt milites, quos quidem natura feros ad exteros, mansuetos verò ad notos exoptat Plato repugnante Aristotele: verum exteros si tanquam hostes intelligamus, idē sentiūt Plato Aristoteles, & Xenophon. c. 7. 7. pol. xxxxvij. cō cordia

1334 deligatur autem miles ciuis, robustus, & in re militari eruditus.

1335 ciuem enim volumus, cum maiore charitate pro aris & focis, pro coniugibus & liberis, pro patria deniquè dimicetur, quam pro quauis mercede & pecunia, ac quod in principibus expetitur in ciues multo promptius est, quam in exteros alijs moribus alijsq; legibus educatos.

Lib. 34.

1336 atque id quod ait Liuius ad memoriam insigne est, quòd mercenarium militem in castris neminem ante quartum secundi belli punici annum Romani habuerunt, hi Celtiberi fuere, qui praeterea à Poenis accepere maiorem mercedem vt abscederent, quam quantum acceperant à Romanis vt pugnaret, eaq; proditione Pub. & Gn. Scipp. eorumq; exercitus Poenis vincendos praebuere.

1337 sit & etiam miles robustus, pro qua re tum aetas, tum exercitatio consideratur.

1338 & sanè Tyro miles incipiat ab adoloscentia, vt in perfecta iuuentute, vel parum vltra veteranus esse possit, sic & apud Romanos florentibus annis militia discebatur, veteranusq; Tyronum magister erat, hinc apud poëtam rex Latinus Pallantem filium Aeneae velut armorum ductori erudiendum tradit.

„ Hunc tibi praeterea spes & solatia nostri
„ Pallanta adiungam, sub te tolerare magistro
„ Militiam, & graue Martis opus, tua cernere facta
„ Assuescat primis & te miretur ab annis.

1339 exerceatur autem miles in ludicris armorum certaminibus, in venando, nando, caeterisq; similibus: sed prae caeteris in Gymnastica.

GYMNASTICA.

1340 et in primis Gymnasticam à paedotribica seiungendam esse non ambiginus: licet enim vna vtriusq; munus impleret, qua re non immerito existimarunt aliqui has duas artes vnam, atq; eandem esse veluti nonnunquam idem & militis, & imperatoris officium est, attamen Pergamensis, Forumliuiensisq; Galenus, eas rectè distinguunt.

Hieronymus Mercurialis de arte Gym. in lib. ad Thras.

1341 Gymnastica etenim tanquam imperatrix, & exercitationum qualitates omnes, & earum caussas speculatur, imperatq; . paedotribica verò ministra illius existit.

1342 huius verò subiectum est corpus humanum, quatenus potest bonũ habitũ recipere, eumq; & sanitatem tũ conseruare, tũ augere quemadmodũ celeberrimus Hieronymus MERCVRIALIS declarauit.

IMPERANTES ET OBEDIENTES

1343 post hos priuatos milites sunt alij, qui & imperant, & obediunt

obedíunt, in quibus primus est à militibus Decurio.

DECVRIO.

1344 Decurionem intelligimus, quem vulgo Caporalem vocant, cuius munus est vigiliae custodes in vespertino crepusculo locare.

1345 haec autem vigiliae custodia, si apponatur in loco prorsus suspecto nomine carere debet, & ammissa appellatur, si verò in loco satis tuto, simplex est cum nomine, sed in loco neq; prorsus suspecto, neq; prorsus tuto dupla est cũ nomine, qui quidem mos, & antiquus fuit, & recens est. Plutarch' in vita Fabij.

1346 et apud antiquos custodum cum alter esset hastatus, alter verò sagittarius, sic & apud recentes alter est hastatus, alter verò Sclopettarius, sic enim & hostem procul ferire, & eius impetum aliquo pacto sustinere possunt.

CVSTOS ORDINIS.

1347 à Decurione primus est ordinis custos, vulgò modò Sergens appellatus, ad quem pertinet militum series de qua re inferius discursum suscipiemus.

VEXILLIFER.

1348 post hunc est Vexillifer, qui semper intra valentium militum globum tueri vexillum debet, atqui si cohortis medium tenet, latus semper, & praecipuè dexterum occupare debet, sin verò manet in initio, primae frontis medium teneat, sic enim militiae rationes postulant vt intra cohortem latera sint nobiliora in principio verò, & in fine medius locus lateribus praeferendus est.

1349 et sanè dum feriatur tantùm cohors, medium semper vexillifer obtinet locum in lateribus, verum in itinere veloci, vel in vrbium aggressu, medium primae frontis locum possidet.

1350 dubium autem est an confecto bello vexillum penes vexilliferum, vel penes Centurionem remanere debeat? nos quo ad hoc sic iudicamus, vt si multos labores ob vexilli salutem vexillifer perpessus sit, penes eum remaneat alioquin penes Centurionem.

PROCENTVRIO.

1351 deinceps occurrit proCenturio, qui Centurionis vicem gerit, hisq; temporibus praesertim cum non adest Centurio

turio:sed semper militum discordiae, eorumq; compositiones ad hunc pertinent,

CENTVRIO.

1352 Centurio verò centum hominibus praeest, temporibus enim vetustis tot homines in militia parebant vni, licet modo plures sint, & forsan rationabilius; quandoquidē minores fiunt impensae, nec tamen vlla sequitur cōfusio.
1353 atq; iste ita se habet ad suos milites, quemadmodum & imperator ad exercitum, & propterea quod in imperatore desiderabimus inferius, idem quoquè & in hoc desiderari debet.

TRIBVNVS MILITVM.

1354 quod de Tribuno militum dicimus, cui plures obediunt Centuriones.

CASTRORVM PRAEFECTVS.

1355 ad Castrorum autem Praefectum iurisdictio pertinet, idcirco in exercitu is solus sontes supplicio plectere potest.
1356 nec solum huiusce rei: sed & annonae curam suscipere debet.

TORMENTORVM PRAEFECTVS.

1357 Tormentorum autem Praefectus non modo Tormentorum, & rerum ad ea pertinentium curator esse debet: verum etiam, & cuneorum fabricator, & in fluminum traiectu pontium aedificator.

IMPERATOR SOLVS IMPERANS.

1358 ijs demum sequitur, qui caeteris solum imperat, imperator ab eo vocatus, in quo quidem, quod multis verborum periodis requirit Onosander platonicus, quatuor tantum rebus ab oratore amplexum memini scientia nempè rei militaris virtute, authoritate, & felicitate, quae tamen quatuor in vnum conueniunt.
1359 scientia enim rei militaris ipsa quidem per se à caeteris scientijs distinctas rationes habet: attamen communibus prudentiae fundamentis innixa, ingennuarumquè artium disciplinis instructa, & ornata sit necesse est: virtus verò est labor in negotijs industria in agendo, celeritas in conficiēdo, constans, & fortis animus in periculis:

nullis

nullis voluptatum illecebris irretitus.
1360 atqui ea virtus scientiae militaris vsum exercet, habitumq; exprimit, & eam scientiam vsu virtutis, habituq; informatam authoritas, & felicitas velut vmbra corpus sectantur: authoritas enim oritur à fide, famaq; multorum in confectis bellis, & egregiorum facinorum: felicitas autem è scientia virtute, authoritateq; nascitur.
1361 quae tamen licet ita sint coniuncta videre: tamen licet vnum quemq; imperatorem in earum rerum singulis excelluisse magis altero, & propterea in rei militaris scientia nullum Caesari anteponimus: quandoquidem & ingenio, & egregijs multis experimentis (aperto enim Marte quinquagesies & bis pugnauit quem numerum nō modò nullus aequauit: verum etiam neque illi longo interuallo, vno dempto Marcello, qui inter fuit in praelijs quadraginta nouem proximus fuit) illam sibi parauit.
1362 in virtute verò caeteris Scipio antecellit, si quidem is aequè clemens ac Caesar, iustior ac continentior fuit.
1363 in authoritate Annibal primus est, quandoquidem nunquam passus est seditionem in exercitu suo, licet prae caeteris varijs gentibus refertus fuerit. Plutarch⁹ i eius vita.
1364 in felicitate verò quis Timoleoni praeferendus est? quādoquidem post commissa praelia nullum militem in exercitu suo desiderauit. Plutarch⁹ i eius vita.

COROLLARIVM.

1365 hinc & optimè dixit Plutarchus sic caeteris imperatoribus Timoleonem antecellere, quemadmodum Homeri carmina, Nicomachiq; pictura, Antimachi poëmata, Dionysijq; depictas tabulas excellunt quandoquidem illa naturam aptè redolent, haec verò vi (ne dicam arte) summa Naturam operiunt.

EPTA.

DELECTVS SECVNDA PARS ARMA.

1366 sequitur modo vt de altera delectus parte, armis nempè dicamus, quae quidem vel ad offendendum, vel ad defendendum sunt.
1367 defendant autem armaturae graues, leuesq; nec non &

clipei

clipei, quorum apud veteres multae fuerant species, veluti peltae, Argidaspi, Parmae, Castrapodones, & Agasepildi, & forsan iisdem etiam vtimur modò, licet diuerso nomine sint appellati: sunt autem Rotulae, Targhae, Brocheria magna, paruaq; tum iuxta Macedonum, tum iuxta Afrorum morem.
1368 arma verò quibus offendimus sunt hastae, Alebardae, enses, tormentaq; tum magna tum parua huiusceq; generis alia, de quibus inferius satis dicemus.

APPARATVS SECVNDA PARS. COMMEATVS.

1369 Bellici apparatus partem in commeatu posuimus, ad quē iam est transeundum, in quo praecipue stipendium comprehenditur, quod eo maximè proponendum videtur, vt spe & praemio miles alacrior ad militiam proficiscatur, stipendium igitur, vt ait Polybius, & nummo & annona constabat, vestis etiam addita est: Gracchus enim vt Plutarchus author est, legem suasit de veste militibus danda sine vlla stipendij diminutione, animaduertendum est itaq; in commeatu, ne quid horum militi deficiat.

î eius vita.

1370 verum de militaris stipendij peculio singulare est, quod à Vegetio traditur, vt nempè ex donatiuo dimidia pars sequestretur apud signa, sic amputato luxu, castrense peculium parsimonia augebitur, & miles aciem tantò minus deseret, quantò plus in ea sibi repositum cogitabit.

REI MILITARIS SECVNDA PARS. CASTRA.

1371 Castris secundam militiae partem dedimus, vbi primum progressus agminis in castra, deide architectura castrorū deniq; castrensis armorum meditatio considerandа est.

PROGRESSVS AGMINIS IN CASTRA.

1372 atq; in progressu agminis noticia ipsa regionū, per quas agmen ducendum sit in primis necessaria est, imperator igitur regionem, qua sit iter facturus accurata pictura descriptam habeat, nec interualla locorum longitudine, & latitudine tantùm descripta tabulis & depicta: sed viarum genera, compendia, diuerticula, montes, flumina

Veg. li. 3. cap. vi.

duces etiam viarum fideles, & probatos,

1373 et cum militiae Romanae signum Minotaurus fuerit, quo tanquam labyrinto tecta consilia dux habere moneretur, id tamen prae caeteris imperatori in itineribus maximè propositum esse debet.

1374 agmen verò ducitur itinere terrestri, vel flumine mariuè:

ITER TERRESTRE.

1375 in terrestri itinere ordo agminis, quantitas itineris: sed supra omnia militaris labor animaduertendus est.

ORDO AGMINIS.

1376 qui rem militarem studiosius didicerunt, asserunt plura in itineribus, quam in ipsa acie pericula contingere solere: nam in conflictu armati sunt omnes milites, & hostem cominus vident, & ad pugnandum animo veniunt parati: in itinere autem minus armatus, minusq; attentus est miles, & inopinata fraude, impetuq; repente turbatur, ideo omni cura, omniq; diligentia prouidere dux debet, vt feriatus sit exercitus.

1377 Dux itaq; cum agmine profecturus, fidelissimos, sagacesq; cum equis probatissimis praemittat, qui loca per quae iter faciendum est in progressu & à tergo dextera leuaq; perlustrent, ne aliquas aduersarij moliantur insidias, primi itaq; equites tanquam speculatores iter arripiant, qui tutius quidem operabuntur noctibus, quã diebus, cum quodammodo ipse sui proditor inueniatur cuius explorator fuerit ab aduersarijs comprehensus.

1378 inde pedites & praecipue Sclopettarij impedimenta calones, vehicula, caeteraq; huiusceinodi hinc inde cingãt: nam ambulantibus interdum quidem à fronte, saepius à tergo, nonnunquam à lateribus superuentus infertur. Veg. eodẽ & Onosãder cap. 5.

1379 praeponendi sunt etiam exercitatissimi campi doctores vicarij, vel Tribuni, qui alacriores retardent & pigrius incendentes accelerare compellant, nam qui multum praecesserunt superuentu facto non tam redire, quam fugere cupiunt: qui verò extremi sunt deserti à suis vi hostium, ac propria desperatione superantur.

1380 atq; ordo sit vti potest strictus. is enim est multo latiore melius, quandoquidem sic milites facilius hostiũ impetũ Onosãder Plutarch' i vita alex.

ferunt

ferunt, & sibi inuicem suppetias ferre possunt, & minoris tumultus periculum subeunt.

ITER PER FLVMINA.

1381 traiciuntur autem flumina quatuor modis ponte nempè vel nauibus, vel explorato vado duae acies equitum electis animalibus ordinantur interuallis competentibus separatae, vt per medium pedites, & impedimenta transeant: namq; sic acies superior aquarum impetum frangit, inferior ab aqua raptos colligit, atquè transponit, vel si altior sit fluctus, & per plana decurrat, ductis multifariam spargitur fossis, diuisusquè facile transitur, quae verò ad mare pertinent inferius dicentur.

Veg. li. 3. cap. 7.

CASTRORVM ARCHITECTVRA.

Veg. li. 3. cap. 8.

1382 sed cum miles iam in castra peruenerit, locus, & forma, constructioq; tota proponitur.

CASTRORVM LOCVS.

1383 castris locus deligendus est frumentationi, pabulationi, aquationi, lignationi, valetudini militum, & in primis victoriae, si dimicandum sit idoneus, & propterea colles satis laudamus.

1384 et in metandis castris non sufficit bonum locum eligere, nisi talis sit, vt alter eo non possit melior inueniri, ne vtilior praetermissus à nobis, & ab aduersarijs occupatus apportet incommodum.

CASTRORVM FORMA.

Polybius I cast. Liu. li. 46.

1385 castrorum formam veteres quadratam effecerunt, in cuius medio, vnde foret latissimus in omnes partes conspectus, vt milites imperium facile percipere possent praetorium, summiq; ducis tentorium designabant.

1386 in hoc autem quadrato portas quatuor efficiebant, quarum praetoria ad orientem, decumana ad occidentem, quaestoria ad meridiem, quintana ad occidentem vertebatur.

Veg. li. 3. cap. 8.

1387 post autem & triquetra, & oblonga, & rotunda castra constituerunt.

1388 nos autem vrbis formam, quam superius declarauimus, ijsdem rationibus si fieri potest in castris desideramus.

tribus

1389 tribus verò construuntur castra modis, & primò occupatione leuiori, vniusq; noctis transitu, cum sublati cespites circumdant, & aggerem faciunt, supra quem valli digeruntur.

1390 quòd si terra solutior fuerit, vt ad similitudinem lateris cespes non possit abscindi, tùm opere tumultuario fossa producitur, lata pedes quinq; alta tres cui intrinsecus agger excrescit, vt sine metu securus quiescat exercitus.

1391 statiua verò castra aestate, vel hyeme hoste vicino maiore labore, ac cura firmantur: nam singulae centuriae diuidentibus campi principibus accipiunt pedaturas, & scutis, vel sarcinis suis in orbem circa propria signa, cincti gladio fossam aperiunt, latam aut nouem, aut vndecim, aut tredecim pedibus, vel si maior vis aduersariorum metuitur pedibus decem & septem (imparem enim numerum obseruari moris est) tum sepibus ductis, vel interpositis stipitibus, ramisq; arborum, ne facile terra dilabatur, agger erigitur, supra quem ad similitudinem muri propugnacula componnutur.

ARMA CASTRENSIA.

1392 et ideo eadem arma, quae ad tuendam, vel oppugnandã vrbem requiruntur, postulant etiam & castra, & licet arma eadem non sint numero, sunt tamen analogia, de quibus tamen inferius disceptabimus.

1393 in his verò castris exerceatur miles tum ad omnia militaria opera, tum ad id praecipue, quod ambulationem dixerunt veteres.

MILITIAE TERTIA PARS
CONGRESSVS.

1394 Apparatum & castra diximus, reliquus est praelij congressus, in quo quatuor illa communia considerabimus vires, locum, ordinem, cohortationem.

1395 et prius consiberabimus an congressus sit terrestris, an maritimus, & cum nos vtriusq; rationem simus suscepturi exordium à congressu terrestri sumemus.

et sanè

CONGRESSVS TERRESTRIS VIRES.

Aelianus de ord. aciebus.

1396 et sanè in exercitu terrestri vires, non solum in his hominibus cernitur, qui ad bella gerenda sunt apti: verum etiã & in his, qui licet ad pugnam inutiles sint, conuocantur tamen, vt militum commoditati inseruiant, & apta quidem ad pugnam ea est, quae in acie instructa ad praelium locum tenet, & armis hosti resistit, inutilis est autem reliqua multitudo medicorum, mercatorum, cauponum, lixarum, calonum, & eorum omnium, qui vt aliqua ministeria obeant, sequuntur castra.

1397 eius autem multitudinis, quae ad pugnam apta est, alia quidem pedestris, alia verò vectoria.

VECTORIA MILITIA.

1398 et sanè Vectoria militia temporibus vetustissimis non solum equis: verum etiam curribus, Elephantisq; vehebatur, qui quidem vltimi modi in desuetudinem abierũt.

1399 in equestribus autem copijs, alij quidem cataphracti sunt equites, alij verò equites leuis armaturae.

1400 et equites leuis armaturae, alij quidem lanceas gestant, alij verò iacula, & ferentarij vocabantur.

1401 qui lanceas gestant ij sunt, qui ab equis cominus pugnãt inter se lanceis aduersis, horum verò alij quidem scuta gestant, & scutati vocantur, alij verò sine scutis sunt, qui impropriè hastati vocantur à nonnullis verò contati.

1402 ferentarij autem equites illi dicuntur, qui procul iaculantur, horum alij iaculis vtebantur, alij arcubus: sed modo alij arcubus, alij sclopettis vtuntur.

1403 et sanè qui iaculis iam vtebantur Tarentini vocati sunt, quorum duplex erat genus: nonnulli enim erant, qui iaculis tantum vtebantur, nonnulli etiam eiaculatis bis, terue iaculis, postea cum hoste cominus pugnabant manus conferentes non secus atq; illi, qui hastati dicuntur, quae quidem distinctio in sclopettarijs nostris temporibus cernitur.

1404 at equites, qui arcu vtebantur, sagittarij sunt appellati, & à nonnullis veteribus Scythae, modoquè Turcae dicuntur.

pedestris

PEDITES.

1405 pedestris autem acies trifariam diuiditur, nam prima quidem pars est peditum grauis armaturae, altera verò peltatorum, tertia velitum, quae diuisio licet antiqua sit, tamen & recenti sectioni satis est congrua.

1406 ac grauis quidē armaturae pedites grauissima praè caeteros omnes pedites armatura vtebantur, ac Macedonico more rotundos clypeos gerebant, & hastas longiores, licet in hoc diuersus fuerit mos Romanorum à Graecis, si quidem hi XXII. pedum, Romani verò XII. pedum longitudine hastam adhibuerunt, nostris verò temporibus Heluetij XV.

1407 nos autem eas praè caeteris laudamus, quae longitudine XIIX. pedes aequant: sic enim analogia seruata satis per se tutae sunt.

1408 peltati verò inermes ferè sunt, atq; hastis comminus offendebant: Clypeis verò se tuebantur.

1409 nos autem sic antiquum hoc militum genus emendandum arbitramur, vt non Clypeum durum: sed magis mollem, crassum tamen conuenire arbitramur, quandoquidem sic compositus Clypeus hastam inimici inutilem reddit.

1410 velites verò leuissima omnium armatura vtebantur, neq; enim thoraces habebant, neq; ocreas, neq; scuta, neque Clypeos graues: sed procul tela iaciendo pugnabant, si quidem lapides aut funda, aut manu contorquebant, vel iacula emittebant, modò tamen hi sclopetti glande traiciunt hostem.

1411 inter velites autem, & grauis armaturae milites fuit, & aliud peltatorum genus, quod quidem armandi genus Macedonico simile habuerunt, hoc vno excepto, quod leuius fuit, si quidem huiusce generis milites peltam gestabant paruam, ac laene armaturae genus, & lanceas multò sarisis breuiores: multi tamen hos inter velites collocarunt.

COROLLARIA.

1412 ex his itaq; apparet militum differentias, qui pugnarunt apud antiquos fuisse nouem, peditum grauis armaturae,

peditum peltatorum, peditum velitum, Equitum hastatorum, Equitum ferentariorum, Equitum sagittariorum, Equitum chataphractorum, Equitum curru iunctorum, Elephantorum.

1413 modò verò duobus vltimis dēptis, caetera vigent adhuc, & in bellis adhibentur.

EPTA.

1414 his omnibus, si addas bellica Tormenta, iam omnes exercitus vires erunt explicatae, quae quidem tot, talesquè debent esse, vt ad victoriam satis sint.

CONGRESSVS TERRESTRIS

SECVNDA PARS

LOCVS.

1415 locus sanè superior optatur, vento soliq; congruens, ac si fieri potest hostium debiliori oppositus parti.

1416 temporisq; circumstantia vnà cum loco in bellis illa verè considerari solet, quòd praecipuum sit aestiuum maturis frugibus, licet annis belli Gallici quinto, sexto, septimo, octauo Caesar summis hyemis difficultatibus res maximas confecerit.

1417 Diurnum quoq; tempus praelijs aptius creditur, cum nocturna praelia perterreant magis militem, & lux multum per se pudorem omnium oculis, multum etiam Tribunorum, & Centurionum praesentia afferat, quibus rebus coerceri milites, & in officio contineri solent.

primo belli ciuilis com. Caes

1318 interdum tamen tempus hoc laudatur, cum & alias saepe & nocturnum Pompeij cōtra Mithridatem praelium nobilissimā hac ipsa temporis occasione victoriam pepererit, cùm .n. luna quasi cōmilitans à tergo hostibus, à facie Romanis se praebuisset Pontici per errorem longius cadentes vmbras suas, quasi hostium corpora petebant, quare & Mithridates facilius nocte illa debellatus est.

1419 stulta verò & anili superstitione locorum circumstantia quaeritur: nam cum Mithridates Romanos eo loco vicisset, vbi Caesar castra postea posuit, Pharnaces Mithridatis filius eandem loci felicitatem sibi proposuit, itaquè auspicijs inductus, misera clade eodem loco deletus est.

1420 talis etiam vanitas in tempore fuit dierum Romanis

atrorum

atrorum, & infelicium, quae eadem ſuperſtitio Arioui-ſtum Germanorum Regem perdidit: nam cum quaereret Caeſar, quamobrem Arioviſtus praelio non dêcertaret, hanc reperiebat cauſſam, quòd apud Germanos ea eſſet conſuetudo, vt matresfa. earum ſortibus, & vaticinationibus declararent, vtrùm praelium committi ex vſu eſſet nec nè, eaſq; ita dicere, non eſſe fas Romanos vinci ante lunam nouam, qua re timoris hoſtium conſcius factus Caeſar, poſtridie eius diei inſtructa acie, vſquè ad caſtra hoſtium acceſsit, eoſq́ ad pugnam pertractos deleuit.

1421 verùm & id etiam in loco requiritur, vt aptus ſit ad inſidias tendendas.

CONGRESSVS TERRESTRIS TERTIA PARS ORDO.

1422 ſed neque numerus, neque locus abſq; ordine ad victoriam ſufficientes ſunt, cum confuſio tam grauis ſit aduerſaria, quam numeri paucitas, quam loci cuiuſuis iniquitas, ſic Belgae diſsipati caeduntur à Caeſare, contra quos acie compoſitos dimicare veritus eſt, ſic in praelijs Pharſalico, Pontico, Affricano, Hiſpanienſi ſimulatq; interruptus eſt ordo, nil fuit, niſi pauor, fuga, caedes.

1423 primus autem ordo, quo barbari ſint vſi, fuit forma quadrangularis altera parte duplo longior, & praecipue in equitum turma, cuius quidem ordinis multiplex fuit vſus: nam & decipere potuit hoſtes, cum pauciores in ea eſſe viderentur & per anguſta loca peruadit, & penetrat praeter omnium opinionem, & cum in hoſtes irrueret ordinatim non ſine magno labore, propter denſitatem, & robur aciei profligari ſolebat. Aelianus.

1424 ſed labentibus annis huic turmae oppoſita fuit nō modò equeſtris: verùm etiam pedeſtris acies obliqua (eſt autē acies obliqua, quae maiorem habet latitudinem longitudine) haec illam facile circumuenire poteſt, & cum ſecundùm longitudinem ſe diffundat euenit, vt etiam ſi ab equitibus penetretur, non magna caedes fiat, quòd ipſius latitudo non ſit magna.

1425 vnde post quadratum agmen repertum fuit, quod quidē bifariam diuisum est, cum alterum vultu fuerit, alterum verò loco.

1426 et sanè quadratum vultu est, quod modò hominibus quadratum vocant, conficiturq; si pro serie, iugoq; singulo tot homines apponantur, quot sunt vnitates radicis quadratae illius numeri.

1427 quadratum verò loco est, quod modò terrestre quadratū vocant: non enim arbitrantur quadratum vultu, loco quoquè quadratum esse posse, cum militum in seriebus distantiam VII. pedibus diffiniant, in iugis verò tres.

1428 existimauit itaq; Nicolaus Tartalea loco milites sic posse quadrari, vt scilicet militum numerus multiplex fiat per IXL. productusq; numerus diuidatur per XXI. reliquiq; numeri radix sit numerus militum in vno quoq; iugo:

de ord. ex quaest. 4.

1429 et haec sanè sententia, in hastatis solum (hastatos intelligo, quicūquè gerunt hastam) vel in sclopettarijs solum locum habet, non autem in eo exercitu, in quo & hastati & sclopettarij mixti sunt, si quidem sclopettarij minus requirunt interuallum hastatis.

1430 nos autem dicant quicquid volunt caeteri, arbitramur agmen quadratum loco, & quadratum vultu facile concurrere posse, si quidem agminis ordo fit ob congressum: in congressu verò maximè condensati aeq; vtrinq; milites, agmen vultu, locoq; quadratum reddunt.

1431 hinc & licet videre, cur apud veteres in militum condensatione sex iuga sarissas extra primum iugum prominentes habuerint, si quidem condensatus miles armatus occupabat cubita duo, sarissarum verò longitudo pedum XIIII. fuit, ex quibus duo cubita demebat interuallum, quod est inter apprehensionem vtriusq; manus, reliqua verò sarissae cubitus XII. prominebant ante pugnantis militis corpus, post hos illi, qui collocantur in secundo iugo, si demantur alij duo cubiti propter interuallum phalangis habent sarissas prominentes primas cubiti X. qui verò in tertio iugo eorum hasta superabat Antistites primae seriei cubitis VIII. qui in quarto cubitis VI. qui in quinto cubitis IIII. qui in sexto cubitis II. reliqui

Aelianus

verò

verò deinceps subsequentes non habebant hastas excedẽtes Antistites primi iugi.

1432 sed condensatione tamen non fiebat loco quadratum agmen.

1433 quamobrem cohaerentia opus fuerat, cohaerentia verò Clypeorum fuit, & est cum magis adhuc, quam in condensatione se coarctasset phalanx, adeò vt propter continuationem non reciperent milites vllam declinationem, neq; in dexteram, neq; in leuam.

1434 atq; secundùm hanc cohaerentiam quadratum agmen & vultu, & loco poterat fieri.

1435 et vt omnia summatim, ordinatimquè intelligantur sic dicimus, in aciei statione militem occupasse cubitos quatuor, quae quidem in ordine tantùm exercitus fiebat, in condensatione verò cubitos duos, in cohaerentia demum cubitum vnum, qua vti diximus quadratum simul loco, vultuquè fiebat.

1436 atq; tùm quadratum hoc agmen tùm praesertim ab imperatoribus est adhibitum, cum incertum esset qua parte inuaderent hostes, sic enim visum est ab omnibus partibus tutum aequaliter esse.

1437 et in iugis dempto tantùm vltimo primoq; hunc seruabant ordinem, vt militum fortissimus in dextero cornu collocaretur, illi autem virtute secundus in leuo, huic verò proximus virtute tertius, illi quartus, & sic deinceps; quod quidem & adhuc maximè laudamus.

1438 sic enim & demonstratur apud Mathematicos, cùm inter quatuor magnitudines fuerit analogia, quòd sicuti primum quarto adaequatur, sic secundum tertio.

1439 sed & deinceps aduersus quadratum hoc agmen, cuneata acies caua Coelembolus dicta instructa est: fiebat autem hunc in modum, vt duplex Phalanx aperta cornua praecedentia disiungeret, posteriora verò coniungeret, quasi effingeretur littera .V. sic enim dissoluens haec series suã iuncturam in medio, & vacuum relinquens, inanem hostium impetum reddebat, eosq; praeterea intercipiebat.

1440 contra hanc etiam, sextum agminis genus repertum est, triplex nempè phalanx, ita vt vna aduersus alterum

cornu pugnaret: in alterum verò proueret altera: at media se interim sustineret, vt si necessitas postularit, & ipsa certamen iniret.

1441 quapropter vti tutius aduersus hoc quadratum agmen pugnari posset cuneus septimum nempè agminis genus repertus est, cuius fuit vsus ad aperienda hostium agmina quadrata: sic enim tres Caesaris cohortes ad Varuit ā duo sicambrorum equitum millia perruperunt, & incolumes in castra redierunt, sic Hispani in nouissimo Rauennate praelio hostium aciem penetrarunt.

1442 verùm antiquitus ordo hic equitibus solum tributus fuit.

1443 post etiam peditibus, sed praesertim iaculatoribus, sic enim cum omnia iacula, ad eum punctū deueniant, quem Antistes occupat, hostiū agmen aperire potest vi maiore.

1444 verùm eò pedestrem ab equestri cuneo differre testatur Aelianus, quòd in equestri vnus eques à fronte collocatus satis videbatur aptus ad irrumpendum in hostes, in pedestri verò tres saltem collocari oporteret, quia vnus sic per se non posset in hostes irruere, atquè hoc cunei genere Epaminondas Thebanus aduersus Lacedaemonios pugnans apud Leuctra innumerabiles hostium copias fudit.

1445 huiusce verò triplex fuit species, quarum quidem prima fuit ea, quae nequè seriata, nequè iugata fuit, in qua quidem conuersiones & transuectiones equitum peditumuè faciliores sunt, cum nequè à leua, nequè à dextera, nequè à fronte, nequè à tergo vllum sit impedimentum: verùm haec turma, cum neq; iugum, neq; seriem habeat maxima cum difficultate, in ordine manet.

1446 quamobrem alij secus existimantes, & iugatum, & seriatum cuneum voluerunt, sic enim arbitrati sunt ordinem posse conseruari, at nos in horum quoquè sententiam pedibus imus, si quidem à lateribus tantùm ferire potest haec turma sic instructa.

1447 nobis itaquè is cuneus maximè prae caeteris probatur, qui iugatur tantùm, non etiam ordinatur: sic enim & per se ordinē tueri sat potest, & non modò à lateribus: verū

etiam

etiam ab acie media procul hostem ferire.

1448 sed & rursus contra hanc opposita fuit acies illa, quae anteflexa, seu retroflexa dicta est, quae ab ea parte, quae cuneum habet oppositum, flexionem quandam habet, qua hostes intercipere conatur.

1449 sed hoc anteflexum agmen nihil operabitur nisi prorsus in duas partes distribuatur, secundum eam agminis speciem, quae opposita phalanx nuncupatur.

1450 ex qua re tuebimur fieri posse, vt quadratum agmen cuneatum infringat.

1451 melius autem contra cuneum pugnabimus, si agmen nostrum instar Lunae bicornis instruatur cornua habens ante progredientia.

1452 optimè demum labefactatur cuneus, si duplex illi cuneus opponatur.

1453 tandem contra anteflexam turmam, oppositam phalangem, lunatum agmen vtroquè cornu ab anteriori parte, duplicemquè cuneum, acies opposita est, curua vtens figura, si quidem omnia rotunda extrinsecus parua videntur, nam propter rotunditatem non totam magnitudinem ostentant suam, iam verò si explicata fuerint duplo maiora videbuntur sicut in columnis cerni potest, quae cum rotundae sint, intuentibus dimidium sui tantùm ostendunt, reliquum verò dimidium occultant.

1454 atq; hac orbiculari forma saepius Caesarem vsum fuisse demonstrabimus, tantum abest, vt eam Caesar reprehenderit, dicant alij quicquid volunt. lib. 5.

1455 verum inter hos ordines eligamus iam meliorem, nos itaquè quando fieri posset primo loco sclopettarios postulamus, quod & antiquorum multis probatum est, si quidem tum rectius, maiorique vi hostem ferire queunt, namquè nisi inprimis ordinibus ponantur, vel prorsus hostem non assequentur, vel eum magis naturali, quam ictu violento percutient. Onosãdor cap. 23.

1456 eorum autem ordo sit in triplicem, & melius in quadruplicem cuneum distinctus, adeo vt non rectè ab anteflexa opposita phalange, lunata, orbiculariuè intercipi possit.

1457 sint & quoquè isti cunei iugati solum non etiam ordinati rationibus suprà dictis.

1458 post hos verò, agmine quadrato procedant hastati.

1459 quorum si sit opus Macedonica euolutione duo cunei hinc inde quadratū efficiāt, sinistrūquè & dextrū occupēt cornu, vt in medio possint hastati facillimè pugnare.

1460 primus itaquè aciei status antiquae serrae non absimilis prorsus est, & ad scindendum hostium ordinem eosquè profligandos, eum prae caeteris laudamus.

1461 secundus autem & hastatos in pugnam admittit, & sclopettarios inutiles non reddit, & in quamcunquè aciem absquè confusione facile mutari potest, & testudinis antiquae similitudinem quamdam habet, rideat modò quantum libet ambitiosus, recensq; miles.

1462 ad ordinis verò statum optimum, in primis silentium est indicendum, vt attentè milites obseruent, quod imperabitur, quod Homerus in suis maximè canit.

„ Ast omnes parent taciti, illos si intueris
„ Graiorum dices non claudi pectore vocem.

1463 idem verò secus canit dum Barbarorum incompositum ordinem ostendere vult.

„ Vtquè Grues Cycniue solent volitare Gregatim
„ Prata per & valles medio quas flumine cursu
„ Magna secant, varijs resonat garritibus aer
„ Quos exultantes passim de gutture mittunt,
„ Nec Troes secus ingenti clamore pererrant,
„ Edentes incompositam vocem, confusaquè verba
„ Sed taciti magnum spirabant robur Achiui.

& haec satis de ordine.

COHORTATIO.

1464 cohortatio deinceps requiritur, cuius lex à Caesare laudata, & celebrata, est quaedam ait animi incitatio, atq; alacritas naturaliter omnibus innata, quae studio pugnae incenditur, hanc non reprimere: sed augere imperatores debent, neq; frustra antiquitus institutum est, vt signa vndiq; concinerent, clamoremquè vniuersi tollerent, quibus rebus & hostes terreri, & suos incitari existimauerunt, quod etiam idem Cic. confirmat.

Pharsalico praelio

4. philipp.

atquè

1465 atquè ad hanc alacritatem, fiduciamq; animorum constituendam plurimum valet cùm eloquentia, tùm authoritas.

1466 est & quoquè aliud praelijs genus, quod patentibus locis minimè fit; sed clausis & munitis.

1467 atq; hoc quidem diuiditur in oppugnationem, & propugnationem.

LOCORVM OPPVGNATIO.

1468 et sanè illa quatuor omnia, quae superius dicta sunt in congressu, hic etiam requiruntur, verum cum locus obsessis praesidio sit, caetera copiarum, ordinis, cohortationis obsidentibus maiora debent esse.

1469 oppugnantur autem loca multis, varijsquè modis: sed praecipue circumuallatione, vineis, aggere, Turribus ambulatorijs, Tormētisq; quibus primae partes debētur.

TORMENTA.

1470 fuerunt autem inter Tormenta vetera scorpiones, quibus sagittae, Balistae, quibus saxa iaciebantur, Arietes, è quibus Tigna progrediebantur, cuius capite acuto murum continenter adeo pulsabant milites, vt gradatim lapidū ordines deicerent. Vit. lib. x.

1471 atq; sic paullatim Aries inuentus dicitur, vt primò Carthaginenses ad Gades cum castellum cepissent, idquè demoliri niterentur, cum tamen ferramentis carerent sumpserint tignum, idquè manibus sustinentes, eius capite ictu continuo murum fregerunt, & prorsus ferè dissiparunt, & quod reliquum fuit Tyrius malo statuto, ex eo transuersum alterum vti trutinam suspendit, & in reducendo impellendoquè vehementibus plagis prorsus Gaditanorum murum deiecit, quod sanè rationibus maechanicis factum est.

1472 Cetras deinceps Calcedonius primus basim subiectis rotis fecit, supraq; compegit arrectarijs, & iugis varas, & in his suspendit Arietem, corijsq; bubulis texit vti tutiores essent, quicunq; in ea machinatione ad pulsandum essent collocati, & quod tardos conatus haberet testudo arietaria appellata est.

1473 et propterea non valdè dissimilis fuit haec machina à testu- Vit. lib x. cap. xxi.

testudine, quae muros feriret.
1474 licet & aliae duae fuerint testudines ab hac valdè differentes, quarum altera ad congestionem fossarum reperta est, altera verò ad cuneos faciendos.
1475 et licet vtraq; Arietem haberet, tamen absq; contradictione tueri possumus neutram Arietem habuisse.
1476 deniquè Polyidius Triades & Chereas Turres ambulatorias super Ariete posuerunt, in cuius summa, cacumineq; Scorpiones & Balistas posuerunt, in inferioribus verò partibus congerebatur aquae magna multitudo ad extinguendum ignem.
1477 quaesitum autem video an Helepolis ab ambulatoria Turri differret, nos sic dicimus earum apud Architectos qualem qualem esse differentiam: verum apud milites nullam, vel prorsus paruam.
1478 his etiam Triades ascendentem machinam addidit, qua plano pede transitus ad murum esse posset, quam quidem inter scalas vti primam laudamus.
1479 et haec quidem fuerunt ea tormenta, quibus antiquitas excelluit: sed modò tormentum tonitruum adhibetur, quod quidem in oppugnando, propugnandoquè caeteris horribilius est, & quod in sui natura egregias multas contineat speculationes, ideo de illo quoquè nonnulla sunt perscrutanda.

TORMENTVM TONITRVVM BELLICVM.

1480 est autem Tormentum hoc tonitruum bellicum machina quae igne solet exonerari, concipit autem ignem puluere in qua quidem multa requiruntur: sed prae caeteris Sulphur, vt ignem susciperet, carbo vt ignem seruaret, Salnitrumquè vt glandem expelleret, si quidem salnitrum, cum totum sit frigiditate, humiditatequè refertum, in ventum velocissimum ab igne tactum vertitur.
1481 et propterea quantò maior salnitri quantitas miscebitur in puluere, eò longior etiam erit ictus ideoquè Tormentum idem eadem pulueris quantitate, plus minusquè glandem iacere potest.
1482 vt verò tormenta citò ruinam afferrât, contra debiliora

loca

loca semper apponuntur.

1483 est autem debilis locus, vel ratione suimet ipsius, vel ratione tormenti, & sanè ratione sui debilis est locus, si careat adminiculis illis, quibus muri validi sunt.

1484 ratione verò tormenti debilis est locus, cum proportionata distantia potest oppugnari: non enim ambigimus nos Tormentorum vicinorum ictum debiliorem esse, eorūq; pulsu quae ab oppugnando loco mediocriter distant, nó solú ratione aeris resistētis muros minus laedi.

1485 verum etiam reuerberationis.

1486 quin & vacui quoquè.

1487 sunt & etiam ea loca debilia, ad quae possunt tormenta, super orizontis planum eleuata tendere, nam quò magis eleuantur, eò ferociorē habent pulsum, donex ad xxxxv. orizontis gradum peruenerint, deinceps enim minuuntur ictus ipsi.

1488 sic cum super orizontis planum tormenta deprimuntur, quò magis id fiat eò debiliora sunt, quorum omnium rationes ad maechanicas quaestiones pertinent.

1489 spatium autem quod tormentis ad retrogrediendum cōceditur prorsus ni fallimur est irrationale, quandoquidē tum motus cum super immobili re non fit, vti requirit Aristoteles, pulsum facit debiliorem, neq; tamen tormēti fractionem prohibet, si quidem, neque secus quoquè frangeretur, cum pars debilior semper impellatur. de motione animalium.

PROPVGNATIO.

1490 propugnationis eaedem regulae sunt, quae & ad oppugnationem requiruntur, licet in propugnando tormenta minora adhibeantur, idcirco veteres in propugnationibus Balistis, Scorpionibus, Catapultisq; vtebantur saepius caetera verò ad oppugnandum magis adhibebantur.

BELLVM NAVALE.

1491 nunc ad bellum nauale transeamus, quod etiam & apparatum, & castra, & congressum habet,

BELLI NAVALIS APPARATVS.

1492 atquè sanè apparatus diuiditur iterum in delectum, & commeatum, qui quidem vltimus idem esse debet,

delectus

Veg. lib. 4. c. XLIIII. 1493 delectus quoquè, quòd ad milites attinet, idem est, quòd ad arma verò aliquo pacto diuersus in his praesertim, quibus milites teguntur, si quidem milites hi cataphracti debent esse, quandoquidem de armorum onere nullus potest conqueri, cum stantes omnes pugnent in nauibus.

1494 scuta quoquè validiora, & ampliora propter maiorem propugnandi difficultatem laudamus.

1495 tormenta verò eadem requiruntur, licet nonnulla repererint antiqui naualium praeliorum propria, veluti Asserem, Falcem, Bipennem, similiaquè.

1496 addendae quoquè sunt in hoc delectu naues, de quibus nonnulla modo rimanda sunt.

NAVES.

de insiden. aquae l. 1. pro. 4. 1497 Naues verò ligno confectae sunt, quia ligna sola aquis pondere leuiora in humidum demergi nequeunt, vt Archimedes demonstrat, & aquam satis aptè propellere possunt, ideoquè lignorum etiam delectus est habendus.

Veg. lib. 4. c. XXXIII. 1498 ex Cypresso itaquè vel Pinu domestica, siue siluestri larice, & Abiete contexantur naues: non enim verendum est, materiam hanc vitulibus coriatis, Papyris, Scirpis Arundinibusquè meliorem esse, quae tamen etiam & melior reddetur, si à quintadecima Luna, vsquè ad vigesimam tertiam arbores praescindantur: his enim tantum octo diebus caesa materies seruatur à carie.

1499 nec continuo vt deiectae fuerint trabes secentur, vel statim ac sectae fuerint, adhibeantur, si quidem cum natiuum humorem exsudauerint contrahuntur, & rimas faciunt latiores, quo nihil est periculosius nauigantibus.

Plinius 1500 et quia non vt olim veteres Germani vnica tantùm arbore cauata nauigamus: verùm pluribus simul compactis propterea clauis egemus, qui quidem vtiliores sunt aerei quam ferrei, ferreos enim tempore & humore celeriter rubigo consumit: aerei verò etiam in fluctibus propriã seruant substantiam.

Plinius Valturius in l. vlt. Leo. Albe. lib. 5. 1501 Nauium modò duo sunt genera, onerariae nempè, & fugaces, onerariae longitudo ad latitudinem ne minus tripla sit fugacis ne plus nonnupla,

1502 nauis autem longitudo ad cursus praesertim directos in

primis

primis confert, breuitas ad temonis imperia faciet.

1503 Nauium partes sunt carina, puppis, prora, hinc, atquè hinc latera, temo, & vela.

1504 carinam planam esse oportet, cum caetera omnia curua terminentur linea, quae si latior fuerit ponderum erit tolerantior: cursu verò tardior: extenuata velocior: sed ni plurimum indideris saburrae, vacillabit, haec tamen vadosis est aptior, ampla verò securior alto mari.

1505 prorae ductus, quò erit argutior, eò ad cursum promptior & labilior, puppis verò quò gracilior, eò caeptis sulcis tenendis perseuerantior.

1506 latera verò celsa sint, in hisq; remi collocentur, hos verò tractantes remiges nempè ipsi hoc ordine sunt collocandi, vt fortissimi penes medium sint, alibi caeteri, remiges enim magis mouent in medio, quàm in prora nauis & in puppi, si quidem in medio remus tanquam linea à scalmo tanquam à centro magis distat. Ari.quæst. maechan. quaest.

1507 gubernaculum verò, temoq; ipse in puppi ponitur, quòd motus nauis vti violentus magis in fine regitur, quàm in medio, principioquè. quaest.x.

ΓΑΡΕΡΓΟΝ.

1508 quae quidem quaestio in mæchanicis solui potest absquè circulo, quod quidem admirandum est.

ΕΡΓΑ.

1509 velum verò in Autemna locatur, quae quidem quò sublimior fuerit eodem etiam vento flante eò celerius nauis ferretur: quandoquidem tum etiam velum in antemna tanquam in linea magis distans à centro celerius etiam mouebit. quaest. xi.

1510 quòd si ex puppi ventus non spiret: sed ex transuerso: nauis tamen rectum habere cursum non prohibetur, si quidem veli partem, quae ad puppim est contrahant, ac constringant, illā verò quae versus proram est totis viribus laxent, ac explicent, cuius est ratio, quòd tum gubernaculo nauis aduersus ventum impellitur: quamobrē harum virtutum neutra in obliquum praeualente, cùm tamen ventus vim faciat, tum nauis ex puppi recto cursu quaest.xij.

propel-

propellitur.

1511 hoc autem multo existente vento, gubernaculi virtus tanquam vento inferior efficere non poterit.

BELLI NAVALIS CASTRA.

Veg. li. 4. cap. 43.

1512 Belli nanalis autem castra plerunq; ad gubernatorum solertiam attinent, si quidem ipsorum est, loca in quibus nauigatur, portusq; cognoscere, vt infesta prominentibus, vel latentibus scopulis vadosa, ac sicca vitentur, tāto enim securitas maior est, quanto mare altius fuerit.

BELLI NAVALIS CONGRESSVS.

1513 in congressu quoq; eadem requiruntur, quae in terrestri dicta sunt, vires nempè, locus, ordo, & cohortatio.

BELLI NAVALIS VIRES.

1514 Milites itaq; tot talesq; sint, vt ex eorum numero virtuteq; victoria sperari possit, sed vltra militum praestantiā, summa requiritur quoq; nautarum diligentia, gubernatorum peritia, remigumq; virtus, si quidem naualis pugna tranquillo committitur mari, liburnarumq; moles non ventorum flatibus: sed remorum pulsu aduersarios percutit rostris, eorūq; rursū ītpetus vitat, in quo opere lacerti remigum, & ars clauum regentis magistri, victoriam praestat.

BELLI NAVALIS LOCVS.

Veg. li. 4. cap. 46.

1515 quò ad locum vtile est, vt alto & libero mari tua semper classis vtatur: inimicorum verò semper pellatur ad litus quia pugnādi perdunt impetum, qui detrudūtur in terris.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

l. x. c. 14.

1516 locum verò tanti fecerunt veteres, vt in naui stadilogium haberent, quo semper locum metiendo, callerent quas nā essent in regiones, cuius ratio docetur à Vitruuio.

1517 quod quidem instrumentum licet sit vtilissimum, & à subtilissimo ingenio repertum fuerit: tamen vt facile semper est inuentis addere, putamus nos melius id fieri posse: is namq; praecipit rotas fieri debere extra latera nauis, cum tamen quoties ea in alteram partem inclinatur, vt ratio ventorum, velorumq; exigit, tùm rotarum altera in eandem partem inclinata, atq; prona iacens, nimium immergitur aquae, sicq; nauigationem impedit

nequè

neque ipsa iustam rotationem perficit, altera verò rota ex celsius lata nihil vel parum aquam tangit, minusq; hac diuersitate alteram iuuat, vel ab ea iuuatur, vt non possint quouis modo expeditam, iustáq; perficere rotationé.

1518 quae omnia vnica rota in media Naui posita emendantur, tùm tamen carina in eo medio geminetur, atq; in vtroq; quoq; coeat capite: nam ita nauis facilius fluitat, & quocunq; modo in alteram partem inclinetur rota sine fine rotationem suam peragit.

ΕΡΓΑ.

1519 totum autem Elementum pelagi tertia pars est mundi, quod praeter ventorum flatum suo quoq; spiramine, motuq; vegetatur: nam certis horis die pariter, ac nocte aestu quodam (quod rheuma vocãt) vltrò citroq; percurrit, & more torrentium fluminum nunc exundat in terras, nunc refluit in altitudinem suam, reciprocantis meatus ambiguitas nauium cursum adiuuat secunda, retardat aduersa, quae dimicaturo magna sunt cautione vitanda: neq; enim auxilio remorum rheumatis impetus vincitur, cui cedit interdum & ventus, & quoniam in diuersis regionibus, diuerso lunae crescentis, minuentisq; statu (cuius rei veritas inferius in metheorologicis apparebit) certis horis ista variantur, ideo praelium nauale gesturus consuetudinem pelagi, vel loci ante congressum debet agnoscere. Veg. li. 4. cap. 42.

1520 huic etiam adnectendus est tempus: neq; enim integro anno vis atq; acerbitas maris patitur nauigantes: sed quidam menses apti sunt, quidam dubij, reliqui classibus intractabiles lege naturae. C. xxix.

1521 et sanè aptum tempus est à Phenite decursu, post ortum nempè Pleiadum à vi. Kal. Iunij vsq; ad Arcturi ortum, qui quidem est in die xviij. Kal. Oct. tum enim secura nauigatio creditur, cum aestatis beneficio ventorum acerbitas mitigetur.

1522 post hoc tempus vsq; ad iij. Id. Nou. incerta dubiaq; nauigatio est, discriminiq; propior, propterea quia post septem Idus Arcturus vehementissimus Sydus oritur viiij. Kal. Octob. aequinoctialis euenit acerba tempestas circa

circa ix. verò Oct. haedi pluuiales v. Id. eiusdem Taurus quorum omnium rationes nos profitemur.

1523 sic & à vi. Id. Mart. vsq; in Idus Maias periculosè maria tentantur.

1524 denium cum à Nouembre mense crebris tempestatibus nauigia conturbet Vergiliarum hyemalis occasus. propterea ex die iij. Id. Nou. vsq; ad diem vi. Id Martij clauduntur maria: nam lux minima, noxquè prolixa, nubiũ densitas, aeris obscuritas, ventorum, hymbrium niuium geminata saeuitia, non solum classes à pelago: sed etiam commeantes à terrestri itinere deturbant.

1525 expedit quoq; & prognostica callere, quibus serenitas noscatur & aeris turbatio, quae quidem ad metheorologica cum pertineant, propterea inferius expendentur.

c. xl. 1526 praeterea aliquorum ortus, occasusquè syderum tempestates vehementissimas commouent, in quibus licet certi dies authorum attestatione signentur: quia tamen diuersis casibus aliquando mutantur, confitendum est, quòd coelestes caussas humana conditio ad plenum scire prohibetur, Nauticae igitur obseruationes, quae à prognosticis non emanant trifariam diuiduntur, aut enim circa diem statutum, aut ante, vel postea tempestates fieri compertum est.

1527 et sanè circa dies statutos interluniorum sunt tempestates, quas nauigantibus maximè metuendas esse, non solũ peritiae ratio: verùm etiam vulgi vsus intelligit.

1528 et in postrema Lunae quarta rheumata maximè timeri debent.

1529 ante verò tempus statutum, & post quoq; fiunt tempestates, à magnis illis coniunctionibus, quas veteres portarũ aperitones appellarunt, de quibus in Astronomicis diffusius est dicendum.

1530 instrumentis quoquè proprijs venti sunt cognoscendi quorum discursus inferius erit.

ORDO.

Veg. li. 4. cap. 46. 1531 publico autem Marte liburnarum acies non directae vt in campo instituebantur: sed incuruae ad lunae similitudinem, ita vt productis cornibus acies media sinuaretur,

vt si

vt si aduersarij prorumpere tentassent, ipsa ordinatione circundati deprimentur.

1532 contra hanc demum, ita vt aduersus cuneum cauum terrestrem, triplex phalanx constituta est, qua modo rectéq; vsa est classis CHRISTIANA contra TVRCAS in Naupactea victoria, cui nullam neq; antiquam, neq; recentem aequabimus.

1533 et propterea quemnam alium Imperatorem, Serenissimo IOANNI AVSTRIO comparabimus?

BELLI NAVALIS COHORTATIO.

1534 huiusce verò belli cohortatio à superiori non discrepat.

PROPVGNATIO ET OPPVGNATIO.

1535 ipsaquè paûllò magis propugnatio, atq; haec de militia sufficiant.

MAGISTRATVS.

1536 nunc tertiam & vltimam partem aggrediamur, quae superius in ipsa Republica: tãquam rationalis est appellata eaq; est, quae caeteris praeest, iusquè turbae dicit, quam veteres magistratum appellarunt.

1537 in cuius discursu quaeri solet à nonnullis, an omnes magistratus inter ciues describendi sint, an aliqui peregrinis tradendi, & sanè placet quibusdam magistratus omnes, qui iuri dicundo, quiq; vltionem aliquam in sontes exercent, peregrinos esse, dicunt namq; simultates, inimicitias, atquè odia inter ciues oriri, cùm ciuis in conciuem suum animaduertit, alia veró ex patre longè faciliores esse, & ad gratiam, clementiamq; proniores esse ciues inter se, quàm si res à peregrinis agatur, qua quidem ratione adducti pleriq; Italiae populi eiusmodi magistratus aliunde accersire consueuerunt: nos autem rem non multis absoluendam esse censemus: namq; si optimè constituta Respublica est, longè melius ciues imperabunt quã peregrini, cuius veritatem ex inclita VENETORVM Repub. suscipias, in qua peregrinis nullus est locus: cùm tamen in ea nec iustitia, nec clementia desit.

Patrit. de Republica l. 2. tit. 2.

O deligantur

1538 deligantur veró magiſtratus magis in ſelecto ſenatu, quã in comitijs populi: ambitio namq; illa, & popularis impreſsio, quàm turpis ſit, quàmquè indigna libero homine, nemini debet obſcurum eſſe, faciliusq; arbitramur ambitioſos in ſenatu comprimere, quàm in comitijs, hinc Sillius Italicus de Varrone loquens cecinit.

lib. viij.

„ Hunc Fabios inter, ſacrataq; nomina Marti
„ Scipiadas, interq; Ioui ſpolia alta ferentem
„ Marcellum, faſtis labem ſuffragia caeca
„ Addiderant, Cannaſq; malum exitiale fouebant.

1539 in quò quidem ſenatu dubitatur an omnibus, vel tantùm rogatis liceat ſuggeſtum conſcendere: accidit enim saepe numero, vt qui magiſtratum gerunt, cùm aliquid volunt extorquere, aliquos tantùm interrogent, qui vel cùm eis ſentiant, vel metu perciti, aut ſpe alecti imperata loquantur, tùm ſi alijs non liceret dicta refellere male consultum eſſet ciuitati: ſed ex altera parte, ſi libere dicant omnes ſententiam, vincit plerunquè plurimorum petulantia, quo circa temperamento quodam vtendum eſſe cenſemus.

1540 dicant igitur in primis ſententiam rogati, curentq; magiſtratus diligenter eos rogare, qui aetate, dignitate doctrina, rerumquè experientia plurimum praeſtant, poteſtatem deinde alijs ſenatoribus faciant loquendi, quibus numerum praeſcribere inutile forſan non eſſet.

1541 ſed in hoc ſenatu ſorte nè an electione magiſtratus fieri debent? ſors enim ambitum euitat, & propterea per hanc magiſtratus habuit FLORENTINA SENENSISQVE Reſpubublica, verùm in hac multitudine minus etiam digni conijciuntur, & nonnunquam in rebus aduerſis ſorte ducitur aliquis, vel ſenio confectus, vel alio modo Reipub. prorſus inutilis, & propterea electionem habuit Romana Reſpublica; ſed per eam ambitus maximè viget an ſors electioni miſcenda eſt? qua in re VENETORVM Reipub. praeſtantiam admirari rurſus quis poteſt.

1542 diuidatur verò magiſtratus, vt alter diuina curet vti ſacerdotium, alter autem humana.

Ariſ. 7. pol.

1543 humanus iterum ſit duplex, quorum alter publica, alter priuata

priuata respiciat.

1544 et sanè qui priuatis praeest ius dicere debet, tàm de ciuilibus, quàm de criminalibus, quibus (vt Aegyptiorum more incorruptissimum habeamus magistratum) edicimus publica potius pecunia mercedem aliquam impartiri, quam priuata, ne iudicia fiant venalia.

1545 et aduocatos sanè, qui penès hunc magistratum orare debeant nolumus, Aegyptiorum.n. ritum caeteris praetulimus, qui quidem rectè scriptis tabulis reo, actoriq; defensionem, & offensionem committebant. Diodorus Siculus.

1546 publica verò curent Aediles, Quaestores, Censores annonae, vigilumquè Praefecti, caeteriq; similes.

1547 cùm his quoquè numeretur Imperator ipse militum.

1548 horumquè omnium amplior discursus magis ad facultatem legalem pertinet, quàm ad politicam.

SACERDOTES.

1549 diuina verò curent Sacerdotes, circa quos in primis illud quaesitum video, an quicquam proprij possidere debeant, in qua quidem re paupertatem omnes laudasse videntur: sed modo diuerso: nonnulli namquè quorum princeps Iouianus extitit, quē iure sacrosancta ECCLESIA, crimine deprauatę religionis accusauit, in ea fuere sententia, vt sanè Sacerdotes opes possidere possent, ita tamen vt paupertatem, quam ipsi habitualem appellarūt, prorsus amplectarentur, alij verò, quorum opinio nobis potior videtur, contrà hos prorsus velitantur, actualem tantùm paupertatem commendantes. D. Thom. in opus de pauper. relig.

1550 his itaquè si fieri potest nullam agri partem lex tribuat, vnde more caeterorum in vsum vitae fructus terrae colligant: sed honoris caussa Deum ipsum sortem esse, ac possessionem eorum pronūciet: sic enim primò summus erit honor eorum fieri participes, quae Deo sacrantur à gratis hominibus, praeterea solum circa Dei cultum occupabuntur, vti circa curam, & possessionem propriam. Philo Iudaeus de praemijs Sacerdotū

1551 omnibusquè alimentarijs praecipiatur, vt totius alimenti primitiae separentur in vsum Sacerdotum, nec solum his: sed etiā alijs multis artificibus, atquè sic offerentiū

quoquè pietati prospicitur, dùm enim assuescunt semper alimenti partem Deo decidere, nunquàm in eius obliuionem veniunt, qua re nihil in vita potest homini felicius contingere.

1552 in his autem summum rectae vitae requiritur exemplar, tùm operibus, tùm verbis.

COROLLARIVM.

1553 hinc & lex vetus, ex his, quae viscerationis gratia mactabantur, tria Sacerdoti tradẽda praecipiebat, Armũ nẽpè omentum, & maxillam, quorum primi duo animi fortitudinem, temperantiáq; significabant, vltimũ verò verba.
Exod. 9.

ΓΑΡΕΡΓΑ.

1554 verùm cur Deus armum magis dextrum, quam sinistrum exigebat? an quia quae sunt ex parte dextra gratiora Deo sũt, hinc filius collocatus est ad dexterã patris & in altera vita beati reponentur ad dextrã, & in dextro ipsius sunt delectationes aeternae, sicuti propheta canit.
Apoc. 3. Psal. 109. Mat. 25. Psal. 15.

1555 quòd si cupias allegoriam, nõ erit absonum dicere, quòd sicuti communi lege maior est in dextra vigor, quàm in sinistra, ita tanto magis Deo placere obsequia, quanto maiori feruore, & virtute exhibita sunt.

1556 sed cur nõ solum primitias: verùm etiam decimas Deus per Sacerdotes à nobis exigebat? an quia sicuti Deus prima caûssa, primusq; parens omnium existens primitias exquirit, sic & finis existens decimas exigit? omnis enim denarius finis est omnium numerorum, vltrà quem (vt Arist. inquit) nec ingenium, nec natio aliqua alium reperire potuit.
Leuit. vlt.

1557 et cur non solum apud Hebraeos: verùm etiam apud Gentiles ignis nunquàm cessauit, nisi maximo placulo? an quia allegoricè deuotionis ignem significauit? sed quo modo feruor deuotionis, aut oratio continua potest esse, cùm sit necessarium multis negocijs, & naturae indigentijs cedere? an feruor continuus esse debet in habitu (sicut aiunt) si non potest in actu.
Leuit. 6.

Deut. 16. 1558 sacra verò Sacerdotum apud Gentiles in lucis plerunquè fuerunt

fuerunt, ſecus autem apud Hebraeos, ſi quidem prohibuit Deus plantari lucum, vel aliquam arborem iuxta altare, id verò cur? an (vt myſteria tangamus) quia & ſi multa, & penè omnia vetera eloquia ſacra in figura ſcripta ſint: non tamen cùm figuris, & vmbris, nec ignorantia tecti debebant Sacerdotes ad altare accedere: ſed lumine diuino illuſtrati ad omnia ſibi poſsibilia cognoſcenda.

COROLLARIVM.

1559 atq; hinc in Exodo legitur Sacerdotes Vrim, illuſtrationes nempè ad altaria portaſſe, pro quò communis editio non prorſus rectè doctrinam habet. Exod. 9.

ΕΡΓΑ.

1560 caetera verò particulariora Sacerdotibus pertinentia ad tertium librum pertinent.

REX.

1561 demum omnes hi ſub vnius principis dictione reponendi ſunt: firma enim eſt haec ſentẽtia Homeri teſtimonio, qui rectè canit, non poſſe rem rectè geri multorum imperio, atquè praeter haec accidit naturae imitatio: quẽadmodum enim Deum vnum conditorem omnium rerũ motoremq; cernimus, cuius imperio, reguntur omnia, ſic & nobis aequum eſſe videatur vnius excellentiſsimi principis dicto audire, atq; obſequi. in ſecunda rapſodia. Iliad.

1562 qui itaquè omnes alios ciues excedit virtute, eum quidẽ plena, ac perpetua poteſtate omnibus imperare iuſtum eſt: non enim pars toto anteponi debet, ſi verò ciues virtute aequales eſſent, non eſt aequum vnum regere: aequalibus enim inaequalia tribuerentur. Ariſt. 3. pol.

1563 volenſquè volentibus imperare debet: namquè ſi ſecus eſſet, ſubditos timeret, & ideo illos, nec bonos, nec diuites, nec robuſtos, nec fortes, nec omnino bellicoſos ſpontè vnquàm fieri patietur. Plato 8. de ll.

1564 et quòd ad electionem huiuſce Regis attinet nos ſortem in primis damnamus: nec enim decet dominium, principatumquè integrarum ciuitatum, gentiumq; ſorti cõmittere, lubricae nempè rei à fortuna inſtabili pendente. Philo Iud: de creati. Princ.

1565 ſucceſsionẽ quoq; ob Cambyſem, Xerſem, Commodum,

Domitianum multósq; alios reformidamus.

1566 quapropter ab optimorum electione voluntaria prorsus pendeat.

1567 huiusce verò regiminis formula, cùm aliquo pactò secundum artem fit, propterea optimum erit Regis officium à formula naturalis regiminis assumere, cuius quidē species duplex est, altera vniuersalis, altera verò particularis, vniuersalem diuina prouidentia ob oculos nobis ponit, particularem animae dominium in paruum mundum nobis referat, hoc igitur officium Rex se suscipisse cognoscat, vt in regno sit veluti anima in homine, & in mundo Deus.

D. Thom. de regimine Princi. c. xij.

1568 sunt autem consideranda duo opera Dei in mundo, vnū quò mundum instituit, alterum quò mundum institutum gubernat, quae quidem duo, & anima in homine obtinet: nam & primò ipsius animae virtute corpus informatur, deinceps per animam corpus regitur, & mouetur, ratio itaquè institutionis regni ab exemplo institutionis mundi sumenda est, in quo primò consideratur ipsarum rerū productio, deinde partium mundi ordinata distinctio, praeterea vnicuiquè parti rerum specialium distributio, postremò vnicuicunq; rei secundum indigentium liberalis prouidentia, quam quomodò & ipse princeps imitari debeat, ni fallor ex antedictis liquere potest.

c. xiij.

1569 sed antequàm ad reliqua deueniamus, quaeramus primò num melius ciuitas ex se, vel regnum, vel totius orbis imperium institui possit, & sanè nos in eorum sumus numero, qui vtiliorem caeteris dominijs totius orbis Monarchiam arbitrati sunt: namq; & homo ad sui sufficientem felicitatem domesticam societatem requirit, & sola domestica societas ad sui perfectionem & alias vicinas familias expostulat, ex quibus praeterea, & pagos, & ciuitates oriuntur, quae quoq; ad sui tutelam, optimumquè statum, aliarum ciuitatum fida commercia, certumquè foedus efflagitant, vnde iam regnum oriri palàm est.

Danthes in cōuiuio

1570 sed cùm ardens dominādi libido in dies semper excrescat, propterea fit, vti iam atrociora inter Regna exardeant

deant bella, quae longè, lateq; prouincias omnes, concussis vbiq; vel euersis clarissimarum gentium imperijs, pauci temporis curriculo perturbent, ex quibus absquè dubio, & ciuitates, & familiae, & homines propriam amittendo felicitatem pessum eunt, propterea vt haec prorsus euitentur totius orbis imperium caeteris praeponimus, quod quidem ad sacrosanctũ PONTIFICEM Romanum pertinere, non est quòd dubitemus.

1571 Romam namquè, & Romanam gentem prae caeteris à Deo semper electam ad dominandum fuisse, & multae rationes, & infinita portenta, & non pauca poëtarum vaticinia nobis suadent, hinc illud Homeri. Dionysi. Halicar. Homer. 7. Illi.

„ At postquam Priami gentem iam Iuppiter odit
„ Viribus Aeneas, & maiestate verendus
„ Iura dabit Phrygijs, natiq; & cuncta propago
„ Aeternum accipiet regnum illa in gente vetustum.

quod & Virgilius quoquè dixit.

„ Hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris. 3. Aeneid.
„ Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

1572 è numero autem Sacerdotum eligendum esse Monarchã omnes ferè rationes suadent, hinc & rectè Virgilius 3. Aeneid. & ibi Seruius.

„ Rex Anius, rex idem hominum, Phoebiq; sacerdos

propterea Pontificem rationibus etiam tantùm humanis verum totius orbis Monarcham asseueramus.

1573 quaeritur autem vltrà haec à nonnullis, quid de delatoribus, auricularijs, & adulatoribus Rex statuere debeat, & sanè primò omnes adulatores expellere debet.

1574 licet absquè contradictione nonnullos adulatores in ciuitatibus admittat Plato. in cõuiuio

1575 quàm verò calumniatores falsi sint euitandi, Appellis tabula prae caeteris demonstrauit, in qua vir quidam in solio sedebat maximis auribus erectis, quales Midam Regem habuisse dicunt, cui mulieres aderant duae, quarum altera ignorantiae, altera suspicionis faciem praeseferebat, & ipse venienti contra se foeminae, quae calumnia dicebatur dexteram extendebat, cuius pulchritudo mortalium formas longè anteire videbatur, & sinistra manu accensam facem praeferebat: dextera verò Lucianus de calum.

puerum crinibus praehensum trahebat, manus in Coelum tendentem, Deumquè testantem, hanc anteibat vir quidam toruis oculis, aspectu liuidus, & macilentus, vt diu aegrotasse videretur, quem liuorem esse quispiam facile posset opinari, cui comites aderant foeminae duae, quarum altera fraus, altera proditio dicebatur, ab his nõ longè aberat mulier quaedam moesta admodum, & pannis obsita, quae poenitentia vocabatur, & haec pudore percita, ruboreq; perfusa oculos euertebat, & aduenietẽ post se veritatẽ matronã grauẽ, ac seuerã valde verebatũ, ac formidabat, qua tabula nihil recti excogitari potuit.

1576 peripateticorum tamen sanctam mediocritatem sectabimur, nec faciles nimium delatoribus erimus, nec difficiles nimium, vt enim nimia facilitas illos ad calumniam inuitat, sic nimia difficultas à veritate absterret, monendi in primis itaq; sunt, vt vera loquantur, & increpandi admodum si ambigua, aut ficta comminiscantur: princeps enim qui delatores vanos non coërcet, vltrò eos ad nequitiã impellit, & vt Domitianus Caesar dicere solebat, qui etiam fiscales calumnias magna calumniantium poena animaduertit, in se ipsum iniurius est.

Patricius de Mon. l. 4. tit. 5.

1577 eodem modò & auriculatores nonnullos optamus: optimum enim erit, si omnes ciues intelligant se Regem neutiquam posse celare, vt qui solers, & industrius sit, & rebus omnibus vel per se, vel per alios adsit, deterrimae namq; sunt ciuium actiones, quas occultas Regi esse studẽt: nã ea omnia quae rectè agũt, ad illũ perferre cupiũt tanquã ad spectatorẽ, ac iudicẽ clarissimarũ actionum.

Patricius l. 9. tit. 12.

ALTERA POLITICAE PARS ANIMI RELAXATIVA. LVDVS.

1578 cum aũt nõ semper homines operari possint, ꝑpterea fit vt interdũ relaxationẽ appetãt, eãq; in ludo reperiunt, si quidem ludus vt dicit Aristoteles est ab opere cessatio quaedam animi gratia.

x. Ethic.

POETICAE DIVISIO.

1579 verùm inter caeteros ludos eminet poëtica, quam non est haesitandum imitationem esse, quod & suprà quoquè dictum est, reliquum est, itaq; vt breuissimis videamus

quotuplex

quotuplex esse possit haec imitatio, & sanè omnis ars quae imitatur repraesentat, & agit aliquid, quod quidem ad cogitationem nostram transmittitur.
1580 non potest autem aliter actio trāsmitti quàm per sensus duo verò sunt sensus, qui omnem actionem ad phantasiam transmittunt, visus nempè, & auditus.
1581 prior actionem mutam habet, in qua repraesentatio, vel est ob aliud, vel ob se.
1582 ea, quae ob aliud est, transmittit repraesentationē quantitatis, & qualitatis, quae ad materiam attinet, & huius expensio ad eam partem est reseruanda, quae vltrà visum auditum quoquè requirit.
1583 ea verò quae ob se est, fit per saltatoriam gesticulationē, & haec sola rithmis imitatur.
1584 quae verò auditum postulat, fit, vel actione pura, quae sermone, rithmis, harmoniaquè imitatnr.
1585 vel narratione, quae rithmis metroq; solum imitatur.
1586 exordiamur itaquè à saltatione, quae cū rithmis tantùm imitetur, propterea rithmorum expensionem postulare videtur, & cum metrū quoquè ad illius naturam referādā valdè conferat, ideo & de hoc quoq; ratiocinabimur.

RITHMVS.

1587 est autem rithmus proportio temporis vnius motus in loco ad tempus alterius motus in loco numerata, quò fit vt duas temporis partes, duosq; motus in quouis rithmo reperiri oporteat: in vnico verò motu nisi potestate (quoniam motus continuorum est, continua verò dissecari possunt) rithmum reperiri, fieri nequit. Philopon. 2. de anima cap. de sono

COROLLARIVM.

1588 hinc & rectè dixit Plato rithmum ex veloci, tardoquè prius discrepantibus, postea verò conuenientibus, constitui: velox enim & tardum motus differentiae sunt. in cōuiuio

EPΓA.

1589 cùm autem rithmus in diuersis naturis reperiatur, vt in saltatione, pulsu, cantu, sono, carmine, soluta oratione, in his omnibus motus gratia rithmus inerit.

METRI RITHMIQVE DISCRIMEN

1590 sed forte quaerat quis in quo distet rithmus à metro, dicimus

cimus nos metrum quid esse magis generale: metrum verò rithmi speciem: nam si quid metrum est id etiam rithmus: sed non è contra. rithmus enim in plaudentiũ pedibus, manibusquè conspicitur: nam cum velox & tarda pedum eleuatio, positioquè sibi vicissim proportione respondeant, rithmus efficitur, hincquè per horum translationem eiuscemodi syllabarum complicatio: quæ ad metrorum generationem accipitur pes nuncupata est.

in Rhet. 3. & Rhet. in 1. tomo de Ideis in oratore.

1591 sed cur Dionysius Halicarnasseus rithmum, ac pedem vnam eandemquè rem esse credidit? alij verò à rithmo pedem differre existimarunt, sicut Hermogenes, Cicero, & Quintilianus? an hae veterum sententiae quanquam diuersae videantur, fortè tamen quoniam ad diuersa diuersi respexere, mutuo non pugnant, ac primũ à pedibus, & à toto carmine rithmum, veluti totum à parte differre liquido constat. si quidem Aristoteles metra, rithmi partes esse dicit.

1592 si verò vt carmini applicatus est perpendatur idem erit cùm carmine, perinde autem distabit à pede, vt quod compositum est distat à partibus, quae ipsum componũt, cõstituuntquè, ex simplicioribus enim rithmis, rithmus magis compositus efficitur.

Madius par. 4. in poëticis.

1593 verùm si rithmus vt pedi admotus atquè applicatus consideretur, idem erit quod pes sola ratione differens: pes enim tantùm ad carmen respiciet: nam vt animal, ita & carmen suis pedibus incedit: at rithmus, qui est in pede sillabarum inter se pedis eiusdem habitudinem dicit, atq; ita habitudo ea non extrinsecum quippiam: sed intrinsecum tantùm respicit.

concordia Rhetorũ

1594 et ob haec discrepantes Rhetorum opiniones quo ad hoc attinet, facile conciliari possunt.

HARMONIA.

in 1. de musica.

1595 Harmonia verò est vt inquit Boëthius cõsonãtia, quae nõ sine sono, sonus non sine percussione, percussio non sine motu, motus autem omnis, aut velox, aut tardus, velox acutũ facit, tardus verò sonũ grauẽ, ex quibus verbis possumus colligere consonantiã nunquam esse sine rithmo.

verùm

1596 verùm reperitur nè harmonia in carminibus ? & sanè reperiri Aristoteles non solum fatetur : verùm etiã Plato. in 3.Rhet. & i primo poët. in Gorgia.
1597 sed quò pactò hi duo in philosophia illustres viri harmoniam in carminibus fatentur ? cùm non satis constet quonam modò harmonia esse posit, vbi plures refractae voces non sint, an quòd duplex est harmonia? altera enim ex vocibus pluribus simul refractis efficitur, quae quidem apertior, & harmoniae nomine digna magis videtur: altera vero est cùm graues, & acutae voces ordine se certo consequuntur, atq; hoc posterius harmoniae genus in carminibus, non autem primùm reperitur.
1598 dubitabit rursus aliquis an id ꝙ Italico Idiomate rima dicitur, idẽ quod rithmus sit, an potius harmonia? Danthes .n. Aligerius, ac Antonius de tempore, qui de carminibus Hetrusca lingua confectis latina oratione scripserunt, rithmi voce, cùm rimam nominant, vtuntur, perinde quasi Latinis, Graecisquè idem sit rithmus, quòd Hetruscis rima, & si dici posset rimam omnem rithmum esse. in lib. de vulg. eloquentia.
1599 alij vero rimàm consonantiam esse dicunt, cuius sententiae PETRVS BEMBVS Cardinalis fuit. in sua Grãmatica.
1600 huic autem dubitationi per ea, quae prius dicta sunt respondemus : nam sicuti carmini vniuerso tàm harmonia, quàm rithmus inest (si quidem in carmine & longum, & breue perpenditur, penès quae rithmus habetur, acutum item & graue, penès quae harmonia) quid vetat? quò minus itidem in rima nunc vnum, nunc aliud perpendamus.
1601 quòd si quis obijciat in vulgaris nostrae linguae carminibus pedes non reperiri, respondemus pedes quidem eã non habere, quales Graecorum, ac Latinorum carminum sunt, acentum tamen, tùm grauem, tùm acutum pedibus proportione respondere, quòd alias diximus, cuius sententiae Georgius Trisinus Vir eruditissimus fuit, cùm quo tamen vt & alias non consentio prorsus. in libello de diphtõgis.
1602 habet autem ortum poësis à duabus rebus maximè nobis secundum naturã insitis, imitatione nempè & harmonia.
1603 imitationem verò naturalem esse, signum est quod imitationibus

part. xviij. poëti. par. xxx. probl. v.

tionibus omnes aequè delectamur: nam & animalia fera, atquè hominum cadauera, quae molestè inspicimus: tamen exquisitè depicta, nos plurimũ delectant: gaudẽt autem homines in imaginum inspectione: quoniam imitationem agnoscendo addiscunt, quod quidem inde patere potest, quod si nõ notam imaginem conspiciãt: quoniam cuius imitatio sit non adiscunt, multò quoquè minorem voluptatem percipient.

1604 harmoniam autem, & homini satis naturalem esse Dionysius declarauit, quandò quidem si quis Musicae ignarus eorum quippiam, in quibus nonnulla iure, veluti peccantibus artificibus obijcebat, aggressus sit facere, non vtiq; poterit. curnam? quod hoc quidem scientiae, cuius non omnes participes sumus, illud autem passionis, quam omnibus tradidit natura.

1605 est autem poëtae munus delectare simul, & prodesse: vtilitatem enim nos ex poëtis sumere posse Aristoteles ipse testatur, dum propriam poëtis esse dicit, vt non quales aliqui fuerint: sed quales esse debuerint ab ipsis referantur, ex quibus apertè indicat munus hoc illis assignatum esse, vt varias in suis poëmatibus ciuilis vitae species, & officia complectantur, quod nihil aliud esse putandũ est, quam idonea vitae dicere.

1606 quin non modò hominibus priuatis prosunt solum poëmata: verũ etiã, & ciuitatibus, si quidem seditiones quae vrbes perturbant, à desperatis, & à potentibus oriri palam est, vnde illos Comoedia ob spem imitatam in officium continet, horum verò perturbationibus Tragedia medetur: licet etiã Timocles comicus secus apud Atheneum sentire videatur, quem nos sine cõtradictione tuebimur.

l. vi. c. i.

1607 hinc Sophocles in singulis ferè Tragedijs insignem semper locum ex morali philosophia adhibet, vt in Antigone an ius diuinum humanis .ll. sit anteponendum, in Philoctete vtrùm Reipub. caũsa aliquando fraus & mendacium committendum sit.

1608 interdum etiam inserit naturalia, sicut in Electra, in qua num Deorum prouidentia mortalium res gubernentur disputat

disputat, licet hoc minus propriè factum sit.

1609 hinc & reprehenditur etiam Menalippes sapiens Euripidis, licet aliam ob caussam eam reprehēderit Aristoteles propriū enim est (vt inquit Dionysius) Comoediae philosophari, hinc & iure Danthes in suo poêmatè philosophatus est. Dionysius Halicarn. d'oratione formata.

1610 sed delectabile quoquè cùm inspiciant poêtae, dubitari posset, an magis sibi delectationem, vel vtilitatem proponant, nos equidem per se finem vtilitatem credimus, cui delectatio deseruit, quod etiam Lucretius his carminibus testatus est.

„ Nam veluti puêris absynthia tetra medentes,
„ Cùm dare conantur prius oras pocula circum
„ Contingunt mellis dulci, flauoq; liquore
„ Vt puêrorum aetas improuida ludificetur.

1611 et propterea cùm poêtica delectabile sibi prius in tempore vti finem proponant, hinc factum est, vt nisi excellētissimi sint poêtae, nō maereātur audiri: artes enim quę ad iucundum diriguntur praestantes expostulāt artifices.

1612 non ita verò res se habet in necessarijs, vtilibusquè.

POETICAE MATERIA.

1613 est verò poêticae materia id omne, quod versibus appositè dici potest; verùm quia triplex est rerum materia, cùm aliae sint permagnae, tenues aliae, aliae mediocres, indecorum erit sanè, nisi singulis rebus ratio sua tribuatur.

SALTATIO.

1614 haec omnia prius in ipsa saltatione perspecta sunt quae prae caeteris prior nobis occutrit, quae rithmis tantùm imitatur, & haec quidem poêtica, primum per se fieri caepta est; mox in choros translata, demum in palaestras deducta. Atheneus lib. xiiij.

1915 fuerunt autem apud antiquos plura saltationum genera velut concitatum, furiosum, vinolentum, ridiculum, & similia: sed hystrionicum maximè, & lyricum ad poêsim pertinuisse videntur.

1616 poêsis scenicae saltationes, Tragicae fuerunt, comicae, & satyricae.

1617 in lyrica verò numerabantur pyrricha; satyricae persimilis

milis Gymnopoedica Tragicae simillima, & Hyperchimatica, quae comicae comparata fuit.

1618 dubium autem esse potest, vtra motio pedum nè, an manuum in saltatione prius inuenta fuerit, & pedum sanè, si quidem antiqui pedes magis exercebant, hinc & Homerus Achillem pedibus velocem saepius vocauit.

POESIS, QVAE RITHMIS, HARMONIAQVE IMITATVR.

1619 poësis verò, quae rithmis harmoniaq; imitatur narratiuam, actiuam, & mixtam ambit.

NARRATIVA.

1620 narratiua nostro quidem iudicio triplex est, hystorica, quae genealogias, & priscarum rerum monumenta canit, moralis, quae vitae praecepta continet, vti poëmata Theognidis, Phocillydisquè, Dogmatica, quae aliquid docet, sicuti videre licet in operibus Lucretij, Oppiani Manilij, Arati, & similium.

1621 quòd autem asserunt nonnulli in eodem numero reponi debere Virgilij Georgica, nobis non probatur.

ACTIVA.

1622 actiua verò est in qua poëta prorsus silet, loquuntur autē solum imitatae personae, sunt autem eius partes Mimica, Satyrica, Comoedia, & Tragoedia.

MIMICA.

1623 Mimica poësis, est sermonis, & actus, cuiusquè imitatio citra reuerentiam vllam, & factorum cùm lasciuia repraesentatio, & ideo ab honesta Repub. abesse debet.

1624 sed cur hanc admiserunt Aegiptij Sacerdotes in sacrificijs? an quia oscillorum erectio foecundae virtutis signum praesetulit? arbitrabantur enim per oscillorum erectionem vim fecunditatis ad mundi genituram prouocari, quod saepè multa vere nouo consecrarentur ad Venerem pertinentia, quando mundus vniuersus à Dijs īmortalibus totius foeturae partum suscipit, quod quidem à multis dictum est.

Iambl. de myst. Aegiptiorum lib. I. c. X.

1625 turpiloquentia verò penuriam, priuationemq; pulchrorum in ipsa materia, & priorem turpitudinem rerum ornandarum significare potuerunt, quae cùm indiga sint ornamenti

ornamenti, hoc magis expetunt, quanto amplius deprehenditur, & damnatur indecora deformitas sua.

1626 an melius dicemus, humanarum affectionum vires nobis innatas, si comprimantur omnino, acrius insurgere, & vehementius instar flammae compressae risusq; cohibiti verùm si in lucem erumpant breuiores esse, & vsq; ad modum, mensuramq; productas, suadela quadam, ac consilio, non vi conquiesci.

SATYRICA.

1627 Satyrica ob conuicium reperta fuit, quemadmodum & hymnographia ob laudes, quapropter excepta hymnographia, conuiciosum poêma primum omnium prodit.

1628 atq; cùm multae conuiciosorum poêmatum species sint, omnium antiquissima est Satyrica, quod affirmat Aristoteles, dum testatur senarium metrum ex octonario sibi fecisse fabulas, quandoquidem hoc vterentur prius, cùm Satyrica magis, & saltatoria poêsis esset. in poëticis

1629 maledicendi verò consuetudo antiquissima apud rusticos fuit, quod & canit Horatius. l. 2. epist.

„ Agricolae prisci fortes, paruoquè beati
„ Condita post frumenta, leuantes tempore festo
„ Corpus & ipsum animi, spe finis dura ferentem
„ Fescenina per hunc inuenta licentia morem
„ Versibus alternis opprobria rustica fudit.

atq; haec sanè origo fuit contentiosi poêmatis rustica, & villica.

1630 post res vt venustius ageretur, ac maiore cum risu, atquè imitatione introductae sunt Satyrorum personae quorũ Deorum forma syluestris, ac planè ridicula fuit, ideoquè poêma illud mordax lasciuum, ac ridiculum, vt quoquò pactò nobilius fieret, sub lasciua petulcorum Deorum persona optimè, ac maximè conueniẽter recitari potuit.

COROLLARIVM.

1631 ex qua re videre licet recentes Satyricos, ipsius Satyricae poêsis naturam non satis calluisse.

ΕΡΓΑ.

1632 sed quaesitum video, an haec poêsis imitatio sit actionum humanarum, & sanè quomodo res humanas imitabimur?

si Satyros

in Porphirium. ſi Satyros, Faunos, Silenos, Priapoſq; ſcimus ab antiquitate exiſtimatos, mediam quandam naturam habere inter Deos,& homines? vnde & Nicephorus teſtatur à Platonicis in hominis definitione,additum diſciplinae capax, tanquam hominis proprium, cum ſeparet illius naturam, à Satyris,Faunis, & huiuſcemodi Deis.

1633 verùm ſi res humanas non imitatur, quomodo poēſis erit? ſed haec nos enodabimus.

Παρέργων.

1634 quaeſitum autem eſt inter doctos de Satyris an eſſent in rerum natura, & ſanè Lucretius multis probat rationibus has formas fabuloſas eſſe, dum cecinit. lib. 5.

» Quoniam eorum diſcordia membra videmus,
» Quae,neq; floreſcunt pariter, nec robora ſumunt
» Corporibus, neq; proficiunt aetate ſenecta,
» Nec ſimili venere ardeſcunt, nec moribus vnis
» Conueniunt, neq; ſunt eadem iucunda per artus.

ΕΡΓΑ.

1635 ſed cum comoedia ridiculum ſectetur, quemadmodum & Satyra, quò pactò obiecti ratione diſtinguentur? an quod ridicula ad Comoediam,tanquam obiectum adaequatum verè pertinent, ad Satyram verò turpia, quorum nonnulla riſu, nonnulla verò digna ſunt odio.

1636 et ideo non eſt verè comicus Ariſtophanes.

1637 licet abſq; contradictione verè comicus fuerit.

1638 ſed quaerat aliquis cur poētis prae caeteris delegatū ſit hoc maledicendi genus, nos quidem nobis videmur illius rei probabilem afferre poſſe rationem, ſi dicamus poētas caeteris hominibus meliores, diuinioreſq; viſos, & ideo illis, tanquā bonis in alios deteriores maledicta fuiſſe permiſſa, hinc & adagio dictum eſt, poētā ne tibi reddas infeſtum: nihil enim id aliud eſt, quàm cicadā ala tenere.

Vitr. li. 5. cap. 8. 1639 ſcaena verò Satyrica arboribus, ſpeluncis, & reliquis agreſtibus rebus in topiarij operis ſpeciem deformetur.

1640 dubitaret autem aliquis an Tragica Satyra reperiatur apud antiquos, quod nos ob Euripidis Ciclopem affirmandum credimus.

ſaepius

1641 ſaepius tamen in tenui rerum genere verſata eſt Satyra.

COMOEDIA.

1642 Comica verò imitatio in eo genere verſatur, quae non Illuſtre, non Heroicum eſt: ſed cùm mediocre, tùm attenuatum, quod & res iocoſas, & perſonas in communitate quadam vitae poſitas continet, ſiue vrbanae illae ſint, ſiue ruſticae, ſiue militares, vnde non male forſan ſic diffiniri poteſt, vt ſit Drammatica hominum peiorum imitatio, ſecundùm turpitudinis particulam ridiculum videlicet.

1643 diuiditurquè ſummè in partes, tùm quales, tùm quantas, quae diuiſio vniuerſae poëticae conuenit, propterea hanc diuiſionem vt vniuerſalem prius expendamus.

VNIVERSAE POETICAE PARTES QVALES.

1644 vniuerſae itaquè poëticae partium alterae naturam, formamquè poëmatis comprehendunt, alterae verò molem perficiunt: nam quemadmodum homo corpore, & animo continetur, ita ex hac partium varietate conſtat poëma, partes itaquè quibus tota ſpecies, formaq; poëmatis comprehenditur quatuor à ſummis authoribus numerātur, fabula nempè mores, verba ſententiaequè, quae ad abſolutam operis perfectionem ſpectant.

1645 Tragici verò, & Comici apparatum, cantumquè extrinſecus adiunxerunt.

1646 harum autem fabula potiſsima eſt, ſi quidē ſine hac poëſis extare non poteſt, licet ſine moribus poſsit, plures .n. Tragoediae repertae ſunt, quae moribus vacarent, quod & de Zeuxis pictura dici ſolet, ac tantùm abeſt vt poëmatis pars princeps nō ſit actio, vt ſi quis moratum opus confecerit, ac ſententiarum, verborumquè figuris aptiſsimè conformarit, ſine hac rerùm imitatione, is longè minus poëtae proprium munus exequatur, quàm qui caeteris partibus neglectis fabulam, rerumquè contextū probè adhibuerit, demum quae maximè capiūt animos, oblectant, permouent, in admirationemquè trahunt, agnitiones, euentuſquè inopinati, fabulae partes dicuntur.

1647 poſt hanc mores primi ſunt, qui quale ſit animi propoſitū

declarant: cùm enim perſpectum non eſt, quòd vel ſequatur, vel fugiat is, quem loquentem inducimus, poëma illud moratum non eſt.

1648 poſt hos ſententiae ſunt, quae quid ſit, aut quid eſſe oporteat, aut quemnam in modum quidquam ſe habeat oſtendunt, ſiue ad dicendum acutae ſint, ſiue ad delectandum quaſi argutae, ſiue ad commouendum graues: nam earũ virtus eſt, vel ciuiliter, quae in ſuſcepto negotio conſiſtunt, vel oratorium in morem, quae extra cùm ſint rebus tamen propoſitis conueniunt dicendo indicare.

1649 deinceps verba ipſa, quibus tàm colligatis, quàm ſolutis, quae quiſquè ſentit explicantur.

1650 in reliquis duabus partibus, Muſica prima eſt poëticae magis affinior apparatu, nanq; apparatus non ad poëtã: ſed ad opificem ſpectaculorum attinet, quandòquidem poëſis extrà ſcenam, facile conſiſtit.

FABVLA VNIVERSIM EXPENSA.

1651 Fabulam autem rectè quis finxerit, qui probè quandam totam actionem imitabitur, quae perfecta cùm eſt aliquã habebit magnitudinem, non tamen immenſam, ſi quidẽ tùm ſpeculatio ſimul fieri non poterit, nequè paruam, quòd in inſenſibili magnitudine diſtinctio nõ appareat, decens autem magnitudo quemadmodum pulchrum facit animal, ſic & reliqua.

1652 abſoluta verò erit fabula, ſi principium, medium, finemq; habuerit, quod & Horatius quoq; animaduertit.

„ Primo nè medium, medio nè diſcrepet imum.

in poëtica. dicant alij quicquid volunt, ex cuius viri ſententia (licet hoc alijs forſan admirabile videatur) ab initio Fabulas debemus incipere, & ideo nihil officiunt huic opinioni carmina illa.

„ Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
„ Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.

FABVLAE POETICAE, ET HISTORICAE DISCRIMEN.

1653 vt verò intimius naturam Fabulae poëticae ſciamus, operae praetium erit breuiſsimis diſcrimen hiſtoriae, & poëticae

poëticae fabulae, ob oculos ponere, differunt itaquè primo, quòd historicus vera: sed poëta verisimilia narrat, poëtae namquè proprium est non narrare res gestas: sed vt fieri debuerint atquè possibiles fuerint: secundùm verisimile, vel necessarium, si quidem duorum alterũ efficere debet poëta, vel enim actionem veram narrabit, non quidem vt acta fuerit: sed vt agi debuerit, vel eam confinget secundùm possibile necessarium, aut possibile probabile, historicus verò res gestas, vt gestae sunt narrabit.

1654 oritur autem hic nonnulla dubitatio, quandòquidem M. Tullius ostendit multis rationibus pertinere ad oratorẽ conscribere historiam, quód quidem verum affirmat esse tùm propter ornatum dicendi genus, & elocutionem politam, ac nitidam, tum propter probabilia, ac verisimilia quae historicus, quoq; sicuti orator arrippit Aristoteles, tamen historicum ait res gestas narrare, vt gestae fuerint, repugnant itaquè sibi Ciceronis, & Aristotelis sententiae an magis dicendum est, historicum duo in suis narrationibus explicare, res nempè gestas, & orationes, seu sermones hominum? & in rebus sanè gestis narrandis, nihil historicum immutare debere: sed prorsus ita narrare, vti gestae fuerunt: quatenus autem homines diuersorum morum, ac nationum facit loquentes, potest eos pro suo arbitratu effingere secundùm probabile, ac verisimile, non quidem vt locuti fuerint: sed vt loqui debuerint.

2. de oratore.

1655 controuersum tamen à scribentibus video, num historici Drammaticos, vel exegimaticos homines loquentes effingere debeant, in qua quidẽ quaestione multi in ea sunt sententia, vt totum fore artificium historiae in sermonibus Drammaticis exprimendis sit positum, quandòquidem nulla in re magis desudarunt antiqui, historici quã in sermonibus, concionibusquè effingendis, quod licet intueri, quòd Thucydidem, Dionysium Halicar. Herodotum, Liuium, Salustiumquè, existimantquè Caesarem commentarios se scribere dixisse, quòd conciones omiserit, qui tamen Ciceroni adeo videntur vberes, vt non reliquerint locum alijs, si qui interpositis oratorio more

concionibus, voluissent amplificare, & exornare, atquè ex illis historiam describere, putarim tamen ego eam historiam magis amplexandam, quae conciones exegimaticas habet, si quidem tùm historicus, munere suo magis fungitur, quòd est ab vniuersali se abiungere, qua in re Polybius caeteros antecellit.

1656 differunt quoquè quòd historicus actiones multas, absq; vitio recensere potest, secus autem poëta; vnam namquè fabulam sibi semper proposuisse oportet, quod quò pactò accipiendum sit satis, ac superquè diximus in Danthis tutela.

1657 verùm quomodò versatur poëta circa vniuersale, si vnam vnius personae actionem arripit, ex qua suum conficit poëma? sed nulla est haec quaestio, cũ vtrùmq; verùm sit, poëta namquè & in vna vnius personae actione describenda versatur, & in ea describenda vniuersale quoquè attingit, vt si sit effingendus prudens in rebus agendis Vlysses, non qualis ipse sit considerandus est: sed relicta circunstantia, transeundũ est ad vniuersale, vt eum, qualis prudens, callidusquè, & ab omni parte absolutus describi solet à philosophis, effingamus.

COROLLARIVM.

1658 verè igitur dictum est poëticem, historia, philosophiae magis similem esse, cum circa vniuersale versetur ipsa philosophia.

ΕΡΓΑ.

1659 differunt etiam, quòd historicus à laudibus, & praecipue magnis Imperatorum suorum abstinere se debet, si quidẽ historicus tùm, cùm se à perturbationibus deuictum ostendit, obstruit luminibus veritatis historiae suae, cuius rei maximum est indicium saepius propriam interponere sententiam, tùm laude, tùm vituperatione, in qua re iure, Philinus Cartaginensis, Fabiusquè pictor à Polybio coarguuntur, secus verò apud poëtas, quapropter non videmus, cur nonnulli summum reprehendant poëtam in illis carminibus.

Lucianus de cõscrib: historia.

„ Fortunati

,, Fortunati ambo si quid mea carmina possunt. 8. Aeneid.
& in similibus, si quidem & authoritas, & ratio illum in tutela
tuentur, quod & aliàs diximus. Danthis.

1660 nequè tamen ob hoc totum demõstratiuum genus ab historico auferimus.

1661 differunt demum, quòd historicus in episodijs haud multum versari debet: nec enim Clypeus Imperatoris ab historico longis verborum ambagibus est describendus, quandòquidem episodia haud illi conueniunt, qui multas actiones pertractare potest: sed secus poëtis euenit, qui cùm vnam tantùm fabulam imitentur, eam episodijs multis augere queunt.

1662 quaesitum autem illud à multis video, nùm & ea etiam inter eos sit differentia, quòd poëta metris, historicus verò soluta oratione vtatur, in qua re sciendum est (quod & alias diximus) poësim ex duobus propriè conflari debere, ex imitatione scilicet, & metro, si dicas igitur metrum efficere poësim, refelli quidem, ac negari id potest, si rursus asseras imitationem efficere poësim, hoc quidem verùm fuerit: nam est aliqua poësis, quae caret metro, & imitatione tantùm constat: sed verius, magisquè propriè appellatur poësis, quae & imitatione, & metro conflata fuerit, proinde colligere poterimus, eò historicum proprium, à poëta proprio differre, quòd ille soluta oratione, hic metris vtitur, propterea haud male prorsus Marcelinus in Thucidide, eos refellit, qui Thucididem, ideo censebant debere poëtam vocari, quòd vsus esset multis dictionibus, ac poëticis metaphoris: inquit enim poëtã non esse appellandum, quia metro non est vsus.

1663 in proemijs verò similes prorsus sunt, si quidem vtriquè à duabus tantummodò rebus, non vt oratores à tribus initium sumunt: beniuolentia namquè praetermissa, attentionem tantùm, & docilitatem expostulant.

COROLLARIVM.

1664 ex his omnibus iam satis ni fallor, apparet, eos male existimasse, qui historiam ad duo respicere dixerunt, vtile nempè, & iucundum: vnum est enim opus historiae, vnaq; vtilitas, quae ex sola veritate eruitur: sed iam speciales,

& distinctas partes, vnius cuiusquè poësis aggrediamur: nec enim de moribus, de sententia, & de dictione, quemadmodum & de fabula, vniuersim quoq; rimandum est.

ΕΡΓΑ.

COMOEDIAE FABVLA.

1665 est autem Comica fabula multiplex, si quidem & simplex & connexa, & motoria, & stataria, & mixta, & duplex esse potest: omnes autem moratae sunt.

1666 simplicem quidem illam appellamus, quae vnam actionē illamquè sine vlla agnitione, sine vllo euentu opinato absolutam comprehendit, talemquè Asinariam Plauti, Mercatorem, Stichum, Aristophanis Pluton, Ranasquè existimamus.

1667 connexa verò est, in qua vel agnitio, vt in Hecyra, in Menaechemis, vel error opinionis, vt in milite, vel vtraquè res vt in Andria, in Eunucho, in Heautontimorumeno adhibetur, tàm appositè colligata, vt ex his, quae ceciderunt euenisse videatur.

1668 et in Comoedijs quidem illa nobis agnitio, prae caeteris placet, quae cum inopinatis coniuncta est, idcircò in Comoediarum agnitione maximè nobis Heautontimorumenos, Rudens, Phormion, & Eunuchus probantur, licet non absolutè.

1669 Motoriae verò fabulae rixas, iurgia, contentiones, plerosquè deniquè motus excitant, & ipsum exitum insedatum habent, vti Heautontimorumenos, & Phormio Terentianae, & Aristophanis Aequites, Nubesquè.

1670 Statariae quietiores, placatioresquè sunt, vt inter Comoediae veteris argumenta Irene, in his quae noui sunt generis Captiui, Mostellaria, Pseudolus, Trinummus.

1671 his interiectae, atquè vtroquè modò coniunctae mixtae appellantur, quarum aliae plus quietis habent, quàm motus, quemadmodum Aulularia, secus aliae veluti Eunuchus, ac caeterae complures Terentianae, quas maiore ex parte turbidas esse comperiemus.

1672 vniusquè modi sunt, quae nullo alio personarum genere, quod comicū nō sit adhibito ad festiuum, iucundumquè finē deueniunt, vt Plutos, Hecyra, Cistellaria, ac maxima pars

pars comicarum fabularum.

1673 duplices verò sunt, quae praeter humiles personas, atq; priuatas, diuinas, heroicasquè miscent, vt Amphitryo, quam ipse author, quòd eiusmodi esset, nouo quidem verbo Tragicomoediam appellauit.

1674 inter has simplicibus connexae pulchriores habentur.

1675 statarijs, cùm turbulentae, tùm mixtae praeferuntur.

1676 duplices minimè omnium probantur.

1677 et cùm Comicae fabulae finis iucundus esse debeat, dubium est an turba nulla in ipso fine admitti posit, nos quidem in eo turbam tantùm festiuam, ac ridiculam nō reprehendimus.

MORES.

1678 secunda qualitatis pars mores sunt, in quibus quidem effingendis intuendum est qua sit quisquè conditione, qua fortuna, quo statu, quo studio, quo instituto, qua aetate, quo genere, qua gente, quo deniquè natus loco sit educatus, quae omnia sic expresit Horatius.

» Intererit multum Dauus nè loquatur, an herus — in poëtica:
» Maturus nè senex, an adhuc florente iuuenta
» Feruidus, an matrona potens, an sedula nutrix
» Mercator nè vagus, cultor nè virentis agelli
» Colchus, an Asirius, Thebis nutritus, an Argis.

SENTENTIA.

1679 Sententia vero in rebus Oecconomicis priuatis versari debet.

DICTIO.

1680 in dictione verò prorsus sequamur Horatium ita canentem.

» Versibus exponi Tragicis res Comica non vult
» Indignatur enim priuatis, ac propè socco
» Dignis carminibus narrari coena Thiestae
» Singula quaequè locum teneant sortita decenter,
» Interdum tamen, & vocem Comoedia tollit,
» Iratusquè Chremes tumido delitigat ore,
» Et Tragicus, plerunquè dolet sermone pedestri.

1681 quapropter in idaeis asperitas Tragoediae maximè est propria, vehementia vero Comoediae. — Hermoge. l. 1. de id.

APPARATVS.

1682 Apparatus autem, tùm in scena, tùm in personis cōsistit.

PERSONAE.

1683 personas quidem Cratinus instituit in scena, quibus eorum ora effingebat, quorum vitam, moresquè exprimeret vt antequàm actores pronunciarent, quibus obtrectabatur in scena, hi similitudine vultus agnoscerentur, postremò hac licentia repressa extinctaquè, qui mediam, & qui nouam scripserunt Comoediam nouum genus tegendi, deformandiquè oris, quòd magis riderentur excogitarunt.

1684 at verò in Latio quibus integumentis initio vultum alienum assimularent his versibus Maro docuit.

„ Nec non Ausonij Troia gens missa coloni
„ Versibus incompti ludunt, risuquè soluto,
„ Oraquè corticibus sumunt horrenda cauatis,

1685 sed dubium est à quonam simpliciter ortū habuerit personatus, nos quidem ab Arcadum principe Pane tuebimur.

1686 persona verò, & indumentum sit, vti aetas, status, fortuna, conditio, sexus, patriaquè postulat.

1687 et cùm in scenam is introducatur, cuius alter omnem imaginem sumat vt prorsus idem ipse videatur, ad internoscendum insigne adhibeatur aliquod, quod quidem in Amphitryone docet Plautus.

„ Nunc internosse, vt vos possitis facilius
„ Ego has habeo vsquè in petaso pinnulas
„ Tum meo patri autem torulus inerit aureus
„ Sub petaso id signum Amphitryoni non erit.
„ Ea signa nemo horum familiarium
„ Videre poterit: verum vos videbitis:

SCENA.

1688 Scena verò Comica aedificiorum priuatorum, communiumquè specie perficitur. (Vitr. lib. v. cap. viij.)

PARTES QVANTAE.

1689 partes autem quantae sunt prologus, episodium, chorica, exodus:

1690 atquè sic melius in partes quantas diuiditur Comoedia, quàm

quàm si in prologum, epitasim, protasim, catastropheq́; diuidatur, quādoquidē tres vltimae, potius sunt qualitatis particulae, tanquàm fabulae partes, quàm quantae.
1691 protasis enim initia fabulae, quae vel periculum, vel cruciatum, vel curam aliquam continent comprehendit, epitasis quasi rerum earumdem incremento progrediens turbarum plena est, catastrophe fortuna in melius commutata argumenti exitum explicat,
1692 itaquè protasis, quae fabulae iacit fundamenta primum actum interdum alterum quoquè complectitur, epitasis secundum, ac tertium interim etiam quartum, vt in Hecyra, & Amphitryone, catastrophe quintum, preterea interdum quarti partem, vt in Adelphis, interdum etiam totum hunc, vt in Heautontimorumeno, & in Cistellaria vendicat.

PROLOGVS.

1693 Prologorum autem multa fuerunt genera, si quidem & in his argumentum explicatur, vt plerūquè est apud Plautum, & poëta defenditur sicut apud Terentium, & poëta fabulaquè comendatur, vt in Hecyra, & populo gratiae aguntur, est & etiam quod ex his omnibus coniunctum est, quemadmodum in captiuis.
1694 quid autem si de hoc non intellexerit Aristoteles: sed tātùm de illo, in quo fabulae narratur argumentum?

CHORICA.

1695 nulla verò pars ineptius introducta fuit in Comoedia choro, optimè igitur cùm ab illa expulsus sit, propterea silentium maeretur.

EPISODIA.

1696 Episodia praeter fabulam sunt: sed aptissimè tamen cū ea colligata, quae quidem duplicia sunt, aut enim extrà fabulam agens persona introducitur, aut persona minimè ab argumento aliena.
1697 atquè primum sit, vel ad argumenti explicationem, vel vt fit, cui res exponatur.
1698 posterioris huiusce exēplum est in Antiphonte, & Chaerea, de coenae collocutione. in Eunuco
1699 primi verò exemplum est in Phormione, dum Dauus, & ipse

ipse secum, & cùm Geta loquitur, in Hecyra, dum Philotis, ac Syra inter se, & cum Parmenione colloquuntur, atquè sic in alijs similibus.

1700 cùm autem persona non ab argumento aliena inducitur vel agit, vel acta narrat.

1701 in Heautontimorumeno cùm coenam exhibuit Chremes agit.

1702 acta verò narrat, vt cùm explicat Menedemus cur adeo se se excruciaret.

1703 quòd autem in praeceptis est, vt episodijs ante fortunae mutationem sit locus, id fortasse Tragicis praecipitur.

1704 hinc & liquet falsum id esse, quod nonnulli dicunt, Terentium nempè singulis argumentis, praeterquàm in Hecyra nusquàm non duplex negocium, duorumquè amantium curas comprehendisse, si quidem vna tantùm, cùm fuerit actio, caetera tanquàm episodia adiuncta sunt.

1705 cùm enim Philumenam Pamphilo, Chremes despondisset, ei tamen deinde, quàm ille vnicè adamabat Pasibulam vbi suam agnouit esse filiam nuptum dedisset, cōsequens erat, ne quid incommodi accideret, quod est praeter Comicum institutum, vt eam eandem Philumenam cum Carino, à quò vxor petebatur coniunxisset, etiā si praeter fabulam id esset.

Andria

1706 nonnè etiam, quae de Trasone, ac de Phoedria finguntur adscita sunt ad argumentum explicandum, non sine spectantium voluptate? ac nè quid ex his, quae extrinsecus afferuntur iniucundè cadat, postremò militem fratribus conciliat, deludendúq; praebet, licet poëta id tantùm ad effingendum suscepisset, quod ad Chaeream adolescentem attinebat.

Eunuchus

1707 vt etiam & fabulae nomine significasse visus est.

1708 in Phormione quoquè, & si fabula posit omnia illa continere, quae agit Parasitus, à quo nomen Comoediae ductum est, tamen si illud vnum sibi exprimendum poëta, quòd planè ad amores, ac nuptias Antiphonis spectabat, proposuit, consentaneum est, quae de Phoedria sunt, quae de senibus mirum in modum elusis, quae de Nicostrata ad poëma perbelle variandum, ac delectandi gratia

Phormio

gratia quaesita esse,

1709 et huiuscemodi similia, tùm in Adelphis, tùm in Heautontimorumeno demonstrabimus.

1710 quaesitum autem video num rectè Danthes poêma suum Comoediam inscripserit, de qua re nos dubitamus.

1711 in cuius rei defensione, quicquid adhuc ab alijs dictum est malè dictum est, quod & alibi diximus. Danthis tutela.

TRAGOEDIA.

1712 diffinitur autem ab Aristotele Tragoedia, vt sit imitatio actionis illustris absolutae magnitudinem habentis sermone suaui, separatim singulis generibus in partibus agentibus, non per enarrationem, per misericordiam verò, atquè terrorem perturbationes huiusmodi purgās. par.xxxiiij

1713 obquam definitionem, non video ego, quomodò Tragoedia interuentu misericordiae, & terroris, vt nōnulli malè dixere animū expurget à misericordia, & terrore: idem enim esset caûssa se ipsum destruendi, quod intellectus capere non potest, praeterea cur voluerit Tragicus animum humanum à terrore, & misericordia expurgare? quibus si careret humanum genus, multa pateretur incommoda, namquè si misericordia careremus, quomodò indigentibus opem praestaremus?

1714 proinde longè melius dicendum erit misericordiae, & terroris interuentu expurgari animum ab ira, qua tot neces fiunt, ab auaritia, quae infinitorum penè malorum est caûssa, à luxuria cuius gratia nefandissima scelera saepè patrantur.

1715 verùm differt nè in hoc Aristoteles à Platone, quemadmodum Proclus asserit? ob duas enim caûssas Plato Comoedias, & Tragoedias improbasse videtur, tum ob ποικιλίαν, quà tàm bonos, quàm malos, & continentes, & incontinentes simul imitamur, tùm ob immoderatam perturbationum concitationem. in quaesti. poëticis 3. de .II.

1716 an si ex Aristotelis quoquè sententia malos non imitatur Tragoedia, in idem assentire videntur? xlviij concordia.

1717 quòd si neq; bonos etiam, vt Aristoteles dicit imitatur Tragoedia, id ex eo forsan est ne imodicè pturbaremur.

sed cùm

1718 ſed cùm apud Platonem maximè τὸ ἓν excellat, oportebit eum qui iuxta platonica dogmata conficere poëmata voluerit, prorſus ποικιλίαν effugere, vnde & prae caeteris LODOVICI ARIOSTI poëma alienisſimum eſt à Republica platonica.

xlviij. concordia. 1719 nec tamen differt Ariſtoteles à Platone, qui perplexum antepoſuit ſimplici, ſi quidem perplexum, & ſimplex iuxtà fabulam non iuxtà perſonas intellexit.

TRAGOEDIAE PARTES.

1720 habet autem & Tragoedia eaſdem partes, quas & habet Comoedia quoquè.

TRAGOEDIAE PARTES QVALES

1721 et forſan in partibus qualitatis dubitaret aliquis quomodò partes ſint Apparatus, & Melodia, ſi quidẽ ſuaptè natura Tragoedia etiã ſine his cõſtat: ſed cũ duplici modo imitatio Tragica cõſideretur, quatenus nẽpè fit à poëta ſcribente, vel quatenus ab hiſtryone recitante, priore ſanè modo partes illae non ſunt, poſteriore verò ſecus.

FABVLA.

par. xlij. 1722 prae caeteris autem fabula delectat ob peripetiam, & agnitiones, cum enim in admiratione diſcendi ſtudium

1. Rhet. quoquè contineatur: diſcere verò ſit naturae perfectionem, ac numeros aſſequi, propterea fit, vt in peripetijs, & agnitionibus maximè delectemur, cùm in his tùm diſcere, tùm admirari contingat.

1723 ſed quomodò delectabit Tragoediae fabula, ſi quidem eam pulcherrima cenſetur, in qua adeo vehemens excitatur miſericordia, vt ſpectatores à lachrymis ſe ſe neque ant abſtinere? an forſan id fit ob imitationem? dicant quicquid volunt alij.

par. li. 1724 cùm autem praecipiat Ariſtoteles, partes fabulae adeo inter ſe compactas eſſe debere, vt vna dempta corruant caeterae, dubitabit aliquis an hoc, & in epiſodijs habeat locum: at cùm extra fabulam ea ſint, quid mirum ſi & modico negocio tranſponi, demiquè poſſunt, quod & Ariſtoteles credidit.

COROLLARIA.

1725 hinc & apparet nullam in epiſodijs ſubire reprehenſionẽ Virgilium.

Virgilium.

EPΓA.

1726 sed cur veteres in fabulis tragicis agendis, veras saepius eas, vel saltē ab alijs narratas acceperunt? an quia sic magis verisimile attingebant? si quidem cùm verisimile nō sit Regios miseros casus latere posse, propterea qui nouos, & inauditos casus in Tragica scena agunt, prorsus non assequuntur verisimile.

1727 atquè hoc intelexisse videtur Aristoteles.

1728 quamobrem non prorsus Aristotelis Scopum assequuntur illi, qui Tragicum ob id veras fabulas agere dixerunt, quia cùm sibi propositum habeat duas maximas animi perturbationes commiserationem nempè, & metūm mouere, difficiliusquè sit has assequi, quàm reliquas quae iucundius perturbant, propterea vera debuisse narrare Tragicum, quandòquidem verisimile ob verum commouet. par. liij.

1729 quorum tamen sententia simpliciter est vera.

1730 sed dubium est an, & nouae fabulae agi posint in Tragica scena? & Aristotele teste possumus: sed quae magis delectabunt? nobis sanè iudicibus veteres, & verae, dicant alij quicquid volunt. par. liiij.

1731 quód & forsan in dubium vertere licebit: licet enim in pictura ne lato quidem vngue à verò non recedamus, namquè secus parua esset delectatio: quondòquidem minimè disceremus, nec hoc, aut illud esse tatiocinari possemus: attamen quia poëtica vniuersale imitatur, si rectè id expresserit, spectatores omnes probè ratiocinabuntur de illa imitatione, secus autem de pictura, quae vt diximus singulare sectatur.

1732 cùm autem terribilia, & miserabilia prae caeteris Tragoedia spectet, propterea illa seligere debet Tragicus admiranda, quae per se ipsa accidunt, quam si à casu, vel à fortuna proficisci appareant. par. lvij.

1733 cùm enim admiratio Tragica sine horribili non sit, quis veretur maiorem horrorem à fato, quàm à casu minari? si quidem metus est tristitia quaedam, vel perturbatio ex imaginatione futuri mali. 2. de Rhet.

sed

1734 par. lvij. ſed repugnat ne ſibi Ariſtoteles, qui fatum in humanis etiam actionibus miſcere videtur, quod & alias ſaepius negauit? an ex poëtarum tantùm opinione locutus eſt, quibus viſum eſt vna hac ratione poſſe audientium animos cieri ad commiſerationem, & obſtringi religione, metuquè Deorum.

COROLLARIVM.

1735 ex his omnibus apparet prae caeteris illas fabulas laudari, quae & admirabile, & miſerabile, & terribile ſimul habent.

ΕΡΓΑ.

FABVLAE TRAGICAE DIVISIO.

1736 par. lviij. Fabularum autem aliae ſimplices, aliae ſunt implexae, ſimplices ſine peripetia, & agnitione ſunt, implexae verò tenent vtrãq; , quae quidẽ ita collocari debent in fabula, vt quemadmodum dicit Ariſtoteles, non poſt haec; ſed per haec enaſcantur.

PERIPETIA.

1737 peripetia verò eſt eorum, quae aguntur in contrarium mutatio, quae fit dum aliter hominibus aliquid inquirentibus, & haec quidem vel in vna perſona tantùm fit, quae à felicitate in infelicitatem cadit, vt in Oedipode Tyranno, vel in duabus, quarum altera felix infelix euadit, altera ſecus cuius exemplum, & optimum ſanè affert Ariſtoteles in Linceo.

AGNITIO.

1738 par. lx. Agnitio eſt ex ignoratione in notitiam ad amicitiam, vel inimicitiam illorum mutatio, qui ſeu felices, ſeu infelices determinantur, pulcherrima verò fit, ſi cùm peripetia fuerit.

1739 par. lxi. ſed cur Ariſtoteles ab hac inanimatorum agnitiones ſeparauit, cùm per inanimata ſaepius à poëtis agnitiones fiant, an quod Ariſtoteles agnitionem inanimatorum exiſtentes per ſe tantùm damnauit, non autem eas quae propter aliud ſunt.

1740 cur etiam & coniecturales, à poëticis diſtinxit, cùm tamen in Tragoedijs interdum illae locum ſibi vindicent, vt in Oedipode, cũ quaeritur occiderit ne patrẽ Laium,

concubuerit

concubuerit ne cùm matre, an id ex eo eſt, quod diuerſo modo quaerunt oratores, & poëtae? primùm enim perſona de qua quaeritur apud poëtas ignorat ſe feciſſe, apud oratores non ignorat: ſed inficiatur, in Tragoedia reus inquirit rem ſponte, apud oratores inueſtigationem facti ſubterfugit, in Tragoedijs reus ſignis conuictus admiratur, apud oratores aegrefert, abſquè vlla admiratione, in Tragoedijs commiſeratione dignus eſt, quòd imprudens fecerit, in iudicijs poena dignus.

PERTVRBATIO.

1741 diximus adhuc de partibus fabulae, quae illam perplexã reddunt, ſupereſt modò, vt illam perpendamus, ex qua pathetica fit fabula, eſt autem illa perturbatio, actio nẽpè laetifera, & dolore plena, veluti cùm naeces, cruciatus, vulnera, caeteraq; hoc genus palàm fiunt. par. lxiij.

MORATVM.

1742 praeter perturbationem moratum quoquè requiritur, moratum autem appellamus id, quod Ariſtoteles φιλάνθρωπον dixit, eſt autem id cum in Tragoedijs perſonas ſeligimus aptas commiſerationi. par. lxviij.

1743 et in primis minimè decet bonos, & aequos viros ex felicibus infelices factos in ſcenam afferre, cum in hoc ſceleſtum quid magis appareat, quàm miſerabile terrori coniunctum, quod iuxta poëtas à recta religione pendere debet. par. lxvi.

1744 praui quoquè ab aduerſa fortuna, ad bonam prouecti magis indignationem, quàm miſerationenm cient.

1745 ſed dubitabit aliquis cur Ariſtoteles in ennumeratione ſua, id membrum reliquerit, quod ad bonos felicitatem aſſecutos pertinebat, cùm apud Tragicos extare videatur ſimilis actio, vt apud Sophoclem in Electra, in qua cum ipſamet Electra proba effingatur, ſimulquè Oreſtes bonus exprimatur, vterquè tamen felicitatem aſſequitur, cùm hic regno paterno potiatur perẽpto Aegyſtho, illa è teterrima ſeruitute vindicetur, an quia alieniſsimus eſt iſte modus à Tragoedia? cum enim res lugubres tractet poëta, nunquàm ſibi ſolam felicitatem proponit, quod & in eadẽ Tragoedia liquido cõſtat, in qua Aegyſthus, &

Clytemnestra ex altera parte infelices exprimuntur, & Electra, Orestesquè boni minimè sunt appellandi, quod & Platoni placuit.

9. de .ll.

1746 nec etiam prorsus improbi ex aduersa fortuna in improbam lapsi misericordiam ciebunt, cũ misericordia sit tristis quidã sensus ob apparẽs malũ eius, qui nõ maeretur.

2. de Rhet:

1747 reliquum est igitur vt incontinentes, qui nec prorsus boni, nec prorsus mali sunt ad Tragoediam admittantur.

1748 quin etiam, & immane quid, potest in Tragicis actionibus locum sibi vindicare, si tamen id per imprudentiã patretur, vt ex Ethicis manifestabimus.

1749 quaerat autem aliquis cur hoc medium hominum genus ad ciendam misericordiam adeò sit aptum, an quoniam homines plerunquè tales sunt: rarissimi sunt enim homines prorsus immanes: nascitur autem misericordia ex similitudine quadam.

1750 sed quid erit tandem si & in scelestis quoquè commiserationis locum inueniemus? id enim erit si maiori poena plectãtur, quàm peccatum fuerit: nequè enim misericordia ex similitudine patientis, & nostra nascitur absolutè: sed quia ijsdem casibus subijcimur, ob iniustitiam illatam ipsis in quibus & ipse versatur.

1751 quis itaquè reprehendet Virgilium, dùm in Mezentio misericordiam mouet?

1752 quis coarguet Danthem, dùm & idẽ in Vgolino Comite seruat? licet etiam & is proditor fuerit.

1753 quamobrem in huiuscemodi fabulis maximè elucescit artificium Poëtices.

1754 quaesitũ autẽ video cur Tragica fabula Illustres requirat viros, quod quidẽ licet ratione obiecti superius dictũ sit à nobis: tamẽ si rẽ intimius perscrutemur, id ab eo emanare videbimus, quod sic maior cõmiseratio, metusquè cieatur, cũ maior adsit mutatio felicitatis in ĩfelicitatẽ.

par. lxxiij.

1755 post hanc autem sequitur composita duplici personarũ genere fabula, quae sanè Tragoediae Scopum non attingit quemadmodum prima, quòd in illius exodo felicitas, & tranquillitas appareat, quemadmodum ex Orestis, Aegysthiquè exemplo sumi potest.

sed dubium

1756 sed dubium est an ex Aristotelis sententia huiuscemodi fabula tota in tranquillitatem cadat, vel potius partim in felicitatem, partim verò in infelicitatem, verùm si illã, voluptatem Comoediae propriam habere fassus est, cur non & hanc fabulam Comoediae propriam dicemus, quod etiam & exemplum allatum valdè suadet.

1757 sed vt miserabilis Tragici naturam intimius perscrutemur, actiones sic summatim diuidamus, vt aliae sint, coniunctorum inuicem, aliae hostium, aliae neutrorum. par. xxiiii.

1758 et sanè si hostis hostem obtruncat, nequaquam illud incutitur miserabile, quod nos quaerimus.

1759 idquè sequitur, si inter neutros id accidat.

1760 consequens est itaquè vt coniunctos tantùm accipiamus, qui vel natura, vel voluntate coniuncti sunt.

1761 et in hoc vltimo amici sunt, quod quidem diuisionis membrum nonnulli praetermittendum arbitratur, quòd si amici ad inuicem se perimant non amplius amici: sed inimici sunt, inimicos autem inuicem atrocia perpetrantes minimè misericordiam excitare asserimus: sed si nihil prohibet amicum ob inscitiam, ab amico perimi, cur non & membrum hoc suscipiemus.

1762 verùm si alibi Aristoteles de commiseratione loquens atrox à miserabili distinxit, quod illud inter consaguineos, hoc autem inter amicos cadat, cur & modò commiserationem Tragicam requirens, atrox quoquè miscet? an quia idem ad diuersa comparatum, & atrox, & miserabile nuncupari potest: nam si ad consanguineos sibi vicissim caedes inferentes respiciamus, atrocia vocabimus eorum facta, si autem ad spectantes, miserabilia nominabimus. 2. de Rhet.

1763 et sanè inter hos omnes modos deterrimus est is, in quo quis prudens facinus aggreditur, minimè verò perficit: hoc enim perturbationis ferè est expers, & omnino scelerosum praesefert.

1764 proximum huic erit scelus patrare, quò sanè potius est imprudentem quidem patrare, patrantem verò agnoscere: etenim & à facinore, tùm scelus abest, & ipsa planè agnitio stuporis est plena.

1765 vltimus modus omnium praestantissimus est, supremoq; gradu collocandus, estquè tùm, cùm aliquis patraturus caedem, antequam patret agnoscit, & ideo non patrat: atquè hic sanè tertio praeponimus, quia cum perturbationem habeat, non adeo tamen in ea redundat vt ille.

lib. xxvi.

1766 quamobrem videre licet, & Aristotelem quoquè redundantiam illam affectuum, quam poësis interdum mouet, non prorsus probasse, quod & Plato iam dixerat.

I. concordia. 3. de Rep. Proclus in 3. & 4. quęsti. poë.

1767 sed cur affectus in primò modo non mouetur, cùm tamē periculum in eo aequè sit ac in vltimo? an quia contra scelestos id semper fit, vt apparet in Haemonis facto contra Creontem.

in Antigone.

MORES.

1768 Mores autem primo probitatem praeseferre debent, qua in re errauit Euripides, dum Menelai personam introducit, ob Tindari verba Oresti in iudicio aduersantem.

in Oreste.

1769 praeterea conueniens, vtroquè ficto decens esse debet qua in re rursus errauit Euripides in Menalippes persona.

1770 Homerus in eiulatione Vlysis

1771 et Ariostus in Roggerio Angelicam perquirente.

1772 debent & praeterea sibi constare, qua in re errauit rursus Euripides in Iphigenia in Aulide, cui posterior supplicatio priori non consonauit.

1773 si verò inaequabilis mos seruari debet, id tamen fiat cum aequalitate.

SENTENTIA.

1774 Sententiae verò partes sunt obscura demonstrare, contraria, & repugnantia soluere, perturbationes ad animos auditorum referre, exilia, & tenuia augere, magna & grandia minuere & propterea magis eam ad oratorem, quàm ad poëtam pertinere credimus:

1775 sed cur Rhetori magis est proprium agere de sententia? an quia proprium Rhetoris est loqui vt persuadeat? quāobrem potissimum circa sententiam versabitur, probando, refellendo, perturbando, amplificando, & imminuēdo: poëta verò imitationem omni studio sibi proponit, eaquè quantum imitationi opus est vtitur.

1776 de dictione verò aliàs comodiore loco dicemus, & de

Musica

Musica.

APPARATVS.

1777 Apparatus autem Tragicus deformatur columnis, fastigijs, signis, & reliquis regalibus rebus. Vitr. li. 5. cap. 8.

PARTES QVANTAE.

1778 partes quantae sunt Prologus, Episodia, Choricum, & Exodus.

PROLOGVS.

1779 Prologus sanè est apud Aristotelem narratio quaedam ante chori ingressum, quae fabulam aperit, qua quidem in re: nimis enim amica nobis veritas, μνημονικὸν ἁμάρτημα, videre licet Aristotelis, qui quidem in Rhetoricis 3. de Rhet: & ibi Pet. Vict. carmen id Sophoclis.

„ ἐμοὶ πατὴρ ἦν πόλυβος.

inter prologum contineri dixit, quod tamen carmen nō est ante ingressum chori: sed multò post, circa medium, nempè illius fabulae.

1780 sed non leuem posset alicui dubitationem afferre, magnumquè scrupulum inijcere, quod legitur apud Aristotelem vbi loquitur de proemio: ait enim in oratione oratorum idem esse proemium, quod est in poëtis prologus, & in Lirae pulsatione praeludium, quod si haec vera sūt, patet prologum eodem modo sumptum fuisse apud latinos, & Graecos, an quia proemia ab oratoribus in forensibus causis, adeó cùm reliquis partibus coniungi debent, vt è caūssa ipsa enasci videantur? hinc & Cic. inter vitiosa exordia collocat illud, quod discinctum, separatumquè vocatur. 3. Rhet. lib. 1. de inuent.

EPISODIVM.

1781 Episodium verò nuncupauit Aristoteles totam illam Tragoediae partem, quae inter cantus choricos est, ex qua re dubitabit aliquis episodium ipsa fabula maius esse, cùm inter choricos cantus tota contineatur actio: sed si Aristoteles episodium totam illam partem nuncupauit, quoniam portio maior partis illius ex episodijs constat, cur est locus dubitationi?

1782 haec verò sic disponere opus est, vt alterū ex altero oriatur, aut secundum verisimile, aut secundum necessarium.

CHORICVM.

1783 Chorici partes sunt parodus, stabile, & commus.

1784 et in ipsa sanè parodo, loquebatur tantùm chorus, quae quidem res semper, fuit ante cantum.

1785 sed cur in Oedipode Sophoclis, in ipsa parodo statim non loquitur chorus: sed cantat? an quòd chorus ille non est chorus proprius illius Tragoediae: sed puerorũ chorus, qui vnà cùm Sacerdote iussu Oedipodis recedunt ab aris.

1786 quamobrem nec in hoc etiam, vt nonnulli dixere legem est praetergressus Sophocles.

COROLLARIVM.

1787 hinc & apparet parodum finem esse prologi, si quidem in ea primum loqui incipit chorus.

ΕΡΓΑ.

1788 in stabili verò versatur chorus dùm cantat, qui eo quòd lentus, ac fere stabilis est cantus, propterea anapaesto, & Trochaeo caruit, qui frequẽtes erãt in cãtibus comicis.

1789 commus autem est tanquam chorici exodus, in quo luctus versatur.

1790 subeat chorus vnius histrionis vicem, & multa quoquè loquatur: cùm enim semper chorus ab ingressu ad finem vsquè permaneat in scena, turpe admodum videtur tot histriones ociosos tamdiu manere: cùm enim personis opus sit, quibus mutui sermones fiant, cur si in scena chorum habemus eo potius non vtimur, quàm noua persona?

par.xcvi.

1791 et in hac sanè re Sophocles est Euripidi praeferendus.

1792 optimè verò de chori elocutione sensit Horatius in his carminibus.

de arte poët.

„ Auctoris partes chorus, officiumquè virile
„ Defendat, neu quid medios intercinat actus,
„ Quod nõ proposito conducat, & haereat aptè
„ Ille bonis faueat, & consilietur amicè,
„ Et regat iratos, & amet peccare timentes
„ Ille dapes laudet mensae breuis, ille salubrem
„ Iustitiam, legesq; & apertis ocia portis.
„ Ille tegat commissa, Deosq; precètur, & oret,

„ Vt redeat

„ Vt redeat miseris, abeat fortuna superbis.

1793 in quorum carminũ interpretatione non est quod eorum sententiam probemus, qui auctoris, actoris legunt, actorem intelligentes per excellentiam hypocritam, qui primas partes agit, cuius partes choro defendendas aiunt Horatium intellexisse: namquè quomodò bonis faueat, & peccare timentes se amare ostenderit, si Medeam defenderit omnium, qui vnquam fuerunt, & scelestissimam, & immanissimam.

EXODVS.

1794 Exodus autem est post quem non est chori cantus.

1795 in cuius quidem natura quaesitum video an in scena mortes patiatur, nos quidem in ea sumus opinione, vt id non satis bene fieri liceat: nequè enim tùm à poëtarum ingenio, & iudicio terror, & misericordia proficiscitur: sed ab ipso spectaculo.

POESIS MIXTA

1796 est autem poësis mixta, in qua tùm personae introductae, tùm & ipse poëta loquitur, suntq; illius partes, Epopoeia Melopoeia, Elegiaca, Dithyrambica, Iambographa, Epigrammatographa, Hymnographa, Epitalamiographa,

EPOPOEIA.

1797 multa sanè quae in Tragoedijs dicta sunt, habent & locũ in Epopoeia quoquè, si quidẽ easdem habet partes praeter Musicam, & Apparatum.

FABVLA.

1798 longior autem esse potest Epopoeiae, quàm Tragoediae fabula, si quidem Epopoeia ob plurimarum rerum varietatem, quae in ea inest satietatem, fastidiumquè tollit, relaxatquè saepè, ac renouat animos audientium, & suo iure dissimilibus Episodijs, cùm vti possit, propterea magis, magisquè semper excrescit, quod quidem in Tragoedia non licet, in qua cùm imitemur homines quasi tunc agentes, propterea longioribus Episodijs actio Tragica non amplificatur, cùm ipsa longè repeti nequeant, verum sumenda sint è proximis rebus. ca. xxix.

1799 sed cur Tragoedia, quae tamen gratior Aristotelis sententia solet esse, si in Epopoeiae modum extendatur,

taedio ob similitudinem afficit? an sicuti in gustu dulcia caetera sapida excellũt, tamẽ citò satietatem pariunt, ita quoquè Tragoedia longè quàm Epopoeia (vt Aristoteli placet) iucundior, modum tamen requirit ne satietatem pariat.

cap.xxxiij. 1800 mirabiliora verò requirit Epopoeia quàm Tragoedia, cuius rei rationem reddit Horatius his carminibus.

„ Segnius irritant animos demissa per aures,
„ Quamquè sunt oculis subiecta fidelibus.

1801 licet & interdum Tragoedia ad Epicum mirabile extendi possit.

1802 cùm autem mendacium ipsum poëticum saepius cum mirabili connectatur, animaduertendum est ne mendacium sit nisi ex parte antecedentis rei, cùm illud facilius pro vero admitti possit. cap.xxxiij.

1803 sequaturq; illa falsa potius poëta, quae probabilia sunt, atquè ab hominibus recepta, quàm vera, quae probabilia non sunt: propositus est enim poëtae finis bonos mores instituere, quos siue veris, siue falsis narrationibus si in hominum animos inducit, voti compos efficitur: cum autẽ id praestare non possit nisi adhibeatur illi fides, idcirco vulgi opinionem sequitur. cap.xxxiiij

MORES.

1804 circa mores sufficiant quae diximus.

SENTENTIA

1805 idem & de sententia dicimus.

DICTIO.

1806 quòd autem attinet ad elocutionem id prae caeteris animaduertere debet Epicus, vt paucissima ex se loquatur, si quidem tùm imitator minimè est. cap.xxxi.

1807 circa dignitatem verò Epici, & Tragici poëmatis non differunt Aristoteles, & Plato. 11.concordia.

MELOPOEIA.

1808 est autem Melopoeia poësis absolutae cuiusdam actionis, & plerunquè grauis, & honestae, interdum etiam iocosae, ac leuis imitatio, quae versibus non vtiquè nudis: sed numero, & harmonia ornatis fit periucundè, vt delectet pariter, & prosit.

et sanè

1809 et sanè in principio Melici in rebus tantùm diuinis versati sunt, quod & Dauidea cantica testatur, deinde cùm ad res hominum deflexissent, ad amatorias quoquè voluptates, & ad leuiores vsus deuenerunt, & propterea Melici facultas, tùm in laudatione, tùm in praecatione versatur, quae materia praecipue quidem in Deos, atquè homines cadit.

1810 hoc idem annuit Horatius in illis carminibus.

„ Musa dedit fidibus Diuos, puerosquè Deorum,
„ Et pugilem victorem, & equum certamine primum in poëtica
„ Et iuuenum curas, & libera vina referre.

ELEGIACA.

1811 Elegiae materiā declarauit itidē Horatius his carminib⁹

„ Versibus impariter iunctis, quaerimonia primum,
„ Post etiam iuncta est voti sententia compos.

1812 sed cur omisit hic bella à Tyrtaeo his carminibus decantata? an quòd eas tantùm numerauit res, quae Elegiaco versui consonae, & pares essent.

DITHYRAMBICA.

1813 Dithyrambica verò à Lyrica valdè differens est, si quidem illa circa Bacchi laudes ad Tibiam decantatas versatur, & propterea Phrygium prorsus redolet modum, hinc & Philoxenus, qui ad Doricam harmoniam aptè facere Dithyrambum molitus est, tantùm abfuit, vt id tentauerit feliciter, vt etiam & natura cogente ad Phrygiam redierit.

1814 quaerat autem aliquis, cur haec poësis adeo cum eo conueniat modo, qui mentem ferè ex sede, ac statu dimouet, vehementioresquè in animo motus concitat? an quia haec poësis cum ad Bacchum tota spectaret eum Rythmorum, sonorumquè sibi vindicauit concentum, qui Bacchantibus maximè conueniret.

IAMBOGRAPHA.

1815 Iambographa verò versatur in primis in vituperatione, & propterea Iābicus poëta ita debet insectari, vt moueat, & emendet, quod & Horatius quoquè annuit.

„ Archilochum proprio rabies armauit Iambo.

EPIGRAMMATOGRAPHA.

1816 Epigrammatographa materiam habet multiplicem, nam cum sit particula quaedam exigua singulorum generum poëtices, propterea fit vt qualis in singulis generibus sit materies, talis quoquè sit in epigrammate.

HYMNOGRAPHA.

1817 Hymnographa Deorum hymnos canit, atquè hanc poësim omnibus alijs vetustiorem credimus.
1818 dubium autē est quo genere versuū prius hymni cōscripti sint, & nō desunt qui cū Iābicos versus, caeteris antiquiores existiment (si quidem Iambi crebrius, quàm caeteri versus in loquendo se propensius offerunt, quasi ipsi potius à natura: caeteri verò ab arte proficiscantur) propterea illos hymnis adiudicaruut: quod nobis tamen minimè placet.

EPITHALAMIOGRAPHA.

1819 Epithalamiographa nuptiarū solēnia carmine celebrat,
1820 et propterea Hymaeneum quoquè continet ab Epithalamio aliquo pacto diuersum

MONEDA.

1821 Moneda vnicam tantùm personam insignem reddit.
1822 huiusquè fuerunt species Noniae, Epicedium, Epitaphium, & Epithalamium.

BVCOLICA.

1823 Bucolica Pastorū, & agrestiū mores, & sermones imitaē.
1824 nihil demum prohibet, quìn & Georgicam quoquè Virgilij inter mixta poëseos genera referamus.

OECONOMICA.

1825 sed iam Oeconomicam aggrediamur, si quidem post totum partes expendendae sunt, nam sicuti in logicis prius Syllogismi principia, eorumquè accidentia communia tradita sunt, deinceps vniuersi Syllogismi, postremò partium discursus susceptus est, sic & in Ethicis prius virtutum theoriam descripsit Aristoteles, quarum in omni vitae genere, tàm Politico, quàm Oeconomico vsus sit futurus maximus, deinceps communissima societas, posterius illius pars expensa est. 1. pol. c. 1.

Corollaria

COROLLARIA.

1826 eliciatur hinc eam diuisionem Ethicae Philosophiae, quam plerique Latinorum, & Graecorum attulerunt, quòd scilicet vel hominem per se instruat, quam partem Graeci Monasticam dixere (idquè in Ethicis libris fieri) vel quatenus cum alijs viuit, siue in eadem domo, quod in Oeconomicis praestatur, siue in eadem vrbe, quod in Politicis docetur, veram haud esse, tùm quia finis practicae philosophiae perfectissimus in conuersatione positus est, nequè illum is qui solitarius viuit vnquā attinget, quoniam occasione agendi destituitur, tùm quia in Ethicorum libris Aristoteles veluti colophonem imponit virtutibus iustitiam ipsam, quae non hominis est, vt solus viuit: sed vt cum alijs conuersatur.

1827 possumus tamen absquè contradictionem illam triplicē philosophiae moralis diuisionem tueri.

ΕΡΓΑ.

1828 diffinitur Oeconomica vt sit societas natura constituta in vnam quamq; diem, proinde rectè illos, qui tali societate iunguntur Charondas Compenuarios, Epimenides verò Cretensis contubernales vocauit, quòd eodem vtantur diuersorio. 1. pol. c. 1.

1829 conuenit autem haec cum Politica: nam vt Reipublicae est ciuitatem ab initio constituere, & ea constituta bene vti, ita quoquè & rei familiaris est domum parare, & illa parata bene vti: nec enim simile est, vt in quibusdam artibus, vbi haec officia parare inquàm, & vti diuiduntur: namquè non est eiusdem parare, efficereq; fistulam, & ea vti, si quidem illud ad Fabrum: hoc verò ad Tibicinem spectat. 1. Oecon. cap. 1.

OECONOMICAE DIVISIO

1830 secatur autem haec trifariam, in maritalem nempè, paternam, & herilem partem.

PARS MARITALIS.

1831 est verò pars maritalis, quae ex viro, & vxore constat quorum societas, & secundum naturam est, & necessaria, & multa continet commoda, huiuscemodi nāquè necessitudo, in caeteris Animalibus, absquè rationis vsu fit

prolis

prolis gratia solum: sed in mansuetis animalibus articulatius id declaratur: nam in talibus magis apparent auxilia mutua, & dilectiones: maximè verò omnium id in homine conspicitur, si quidem ad bene viuẽdum mutuo vir, foeminaquè coniunguntur, & filios procreant non solum vt inseruiant naturae, verùm etiam vt commoda inde percipiant: nam quae ipsi potentes, ipsis impotentibus exhibuerunt, rursus ipsi ob senectam impotentes facti, eadem ab illis potentibus reportant.

1832 sed est nè aequius, quòd vxor det dotem marito, an maritus vxori? sed nonne vir, qui est caput mulieris regere, & alere debet vxorem, & filios, & non è conuerso? quia debitus ordo peruerteretur erubescere itaquè debent viri, qui eas ducunt vxores, quarum praesidio victitent, & familiam pascant, hinc & rectè Theophrastus, verè virum non existimauit, eum qui non audeat se, vxorem, filiosquè alere.

in lib. de nup.

1833 et propterea rectè nõnulli mulierẽ, & virum Diametro, & costae compararunt: vir enim cùm Deo impari numero semper gaudet: mulier autẽ numero pari est addicta, & sicut quadratus ex Diametro deductus, habet duplam proportionem ad quadratum ex costa deductum, ex qua dupla proportione perfectissima consonantia diapasonica resultat, sic ex deducta prole per Diametrum, & costam, idest per marem, & foeminam, resultat in coniugibus Symphonia, & delectatio maxima.

Rab. in 1. Gen.

1834 dispofita verò est vtriusquè natura quibusdam contrarijs in eundem tamen finem tendentibus, si quidem virum robustiorem fecit, mulierem autem imbecilliorem, vt sicut ille ob fortitudinem ad ocia deterior foris parare debet, sic & isti iure naturalis mollicies artes tradidit, quibus intra parietes domesticos cum vtilitate exerceatur parata conseruando.

MARITI MVNVS

1835 meminerit itaquè primo maritus ex optima, & laudabilissima vxore filios procreare, nihilquè praetermittat, quod ad vxoris prrtineat disciplinam nam si agricola nihil quidem omittit, quò semen in optima terra, atquè optimè

optimè exculta ferat, quid pro liberis, & matre educatrice agendum erit?

1836 et cùm timoris duplex sit species, vna cum reuerentia, & pudore, qua modesti ciues vtuntur cum beniuolis gubernatoribus, & filij bene morati cũ parentibus, alia verò cum inimicitia, & odio, qua vtuntur serui cum domi nis, & ciues cum Tyrannis contumeliosis, & iniquis, vir non incutiat vxori metum sine verecundia, & pudore, nequè in eam liberè saeuiat pro voluntate, nam haec Meretrices à Moechis pati solent.

1837 praeterea societas maris, & foeminae ab ea, quae est serui, & domini distat, si quidem foemina generationi apta esse debet, ac natura imbecillis, seruus verò ad labores idoneus, propterea reprehendẽda est barbara cõsuetudo, quae foemina, pro serua, & vxore simul vtitur. 1. politic.

1838 natura namquè semper vnum ad vnũ dirigit, quod quidem non est ita intelligendum vt id verum sit si vsus instrumenti in operibus multis inpedimentum reciperet, vt puta si oporteret vtrumquè opus simul frequenter exercere, quod credidit Diuus Thomas; sed ita est declarandum, vt ad vnum primo dirigatur, ad aliud vero accessione: sic enim apud Aristotelem lingua dirigitur ad gustum, & locutionem, respiratio ad Thorax refrigerandũ, & ad odoratũ, & sic de hoc genus alijs, in quibus semper verbo abuti vtitur Aristoteles, quod sanè D. Thomam non animaduertisse mirum est.

COROLLARIA.

1839 hinc apparet imperium viri in vxorem, si tamen vllum est esse Aristocraticum.

1840 Symbolumquè illud Plutarchi nuptiale verissimum esse, plus nempè potuisse Boream quàm Solem.

ΕΡΓΑ.

1841 ad virum autem vti diximus cùm acquisitio pertineat, propterea de ipsa acquisitione iam est pertractandum.

ACQVISITIO.

1842 acquiruntur autem res, vel cum permutatione, vel sine.

ACQVISITIO SINE PERMVTATIONE

1843 acquisitio sine permutatione alimenta parat sibi, haec vel est 1. politic.

vel eſt Venatoria, vel Agricultoria, vel Nummularia.

VENATORIA.

1844 venatoria verò animalibus vitam alit, quae vel eſt in ſpecie Venatoria, vel Piſcatoria, vel Aucupium.

VENATORIA SPECIALIS.

1845 et in Venatoria quidem ſpeciali, ſicut in alijs rebus adeſt efficiens cauſſa, vti Canes, & materialis vti Ferae, & finalis, vt homo, & formalis, vti modus,

CANES.

1846 Canes verò alij indagatores ſunt, alij curſores. ſed quia de indagatoribus inferius dicemus, ideo nunc de curſoribus ſolum agemus.

1847 horum autem duo fuerunt genera, Caſtorium nempè, & Vulpinum, & Caſtorium quidem ex eo cognomē habuit, quòd eo genere Caſtor delectatus ſit, Vulpinum verò fuit quod ex Canibus, & Vulpa natum erat, quarum ſpecies temporis ſpacio confuſa eſt.

1848 ſed vt bonas deſcribamus malas primò docebimus, deteriores itaquè puſillae ſunt, quae inter venandum ob breuitatem operam perdunt.

1849 ſic & Grypae: ſunt enim hac ſine roſtro, & propterea Leporem tenere nequeunt.

1850 hilares etiam, quae plerunquè murinos gerunt oculos hebetiorem indicant aciem.

1851 ſtrigoſae quoquè tanquàm laboris impatientes.

1852 ſic & puſillanimes, quae ſub vmbra ſe à Sole recipiunt, vt recubent.

1853 nec non & infirmae tenues, & procerae, quae ex eo dignoſcuntur, quòd vagis oculis grauiter incedunt.

1854 inter has numeramus deniquè deformes, quòd ipſo vitio turpes ſint.

1855 dubium autem eſt in venatione maximum, an curſores Canes ſagaces eſſe debeant, idquè prorſus nonnulli abnuunt, quòd qui optimè odorant, dùm odorem ſequuntur à curſu deſiſtant: nos verò contrariam partem magis tuemur: perfectior enim tùm eſt Canis, & Leporem in latibulis per ſe reperiet, & cùm ab obiectis praeſertim certis aſſuetiſquè ducatur, propterea ab incertiori, minuſquè

visitato obiecto retardari non poterit.

1856 sed iam optimi Canes formam prae oculis ponamus, primùm itaquè magnum esse oportet, leueque habere caput, simas articulosas, sub fronte venosas, elatos oculos, nigros, praefulgidos, magnam frontem ac latam, caua discrimina, breues aures ac tenues, posteriora gracilia ceruicem mollem, ac longam, teretemquè, pectus latum, & ab humeris non macilentum, humerorum interualla parum distantia, anteriora crura breuia, recta, teretia, solida, articulos rectos, latera non valdè caua: sed coherentia in obliquum, spinam carnosam, magnitudine mediocrem, ilia nec mollia valdè, nec dura inter magna, & parua, clunes obesas, & posterius carnosas, superius verò aptas, interius contractas, inferiora ventris, cum ipso ventre inania, caudam longam, rectam, & acutam, posteriora crura prioribus longiora, pedes rotundos, siquè tales Canes fuerint, erunt agiles, celeres, alacres, rostroquè validae, quod & Xenophon ad vnum dixit. in lib. de venatione.

1857 atquè tales forma magnanimae sunt, quòd saltus aestu incumbente non deserunt, sagaces, quòd Leporem nudis in locis, aridis, & apricis austro imminente praesentiunt, duri pedes, quòd non è vestigio dùm montes superāt pedibus fatiscunt, nitidae, quòd tenui ac denso molliquè pilo vestiantur.

1858 colore verò Canes esse oportet, nec penitus fuluo, nec nigro, nec candido: primi enim ferini sunt, secundi verò ignobiles, minimequè generosi. Eusth. 1. Illiad.

COROLLARIVM.

1859 hinc Homerus Canes albos, ociosos simul vocauit. 1. Illiad.

ΕΡΓΑ.

1860 si tamen fului, & nigri fuerint, villos habeant candidos, si candidi fuluos circum ora fluentes.

FERAE.

1861 Ferae verò, quae venationibus subijciuntur sunt illae, quae domesticam minimè redolent naturam.

VENATORES.

1862 oportet autem rei venatoriae studiosum aetate in quinto esse lustro, statura agilem, & validū animo verò patientē,

vt laboris

vt laboris victor re laetetur ipsa.

MODVS.

1863 atquè cum neglecta, tenuiquè veste, & calceo venatū exeat manu baculum gerens, atquè cum silentio saltum adeat ne lepus si proprius fortè fuerit audita voce moueatur, atq; si frigus fuerit, vestigatores soluat Canes oriente Sole, alijs autem temporibus inter auroram Solisq; ortum.

AVCVPIVM.

1864 Aucupium trifariam scinditur; vel enim retibus solum, vel Canibus, & retibus, vel accipitribus percipitur.

CANES INDAGATORES

1865 Canes verò qui indagini deseruiunt caput magnum, nares latas, aures oblongas, & aequalia crura habere debēt pilum verò ad albedinem quidem declinantem: sed nigris maculis vbiquè, seu etiam flauis conspersum.

1866 boni verò ita vestigent, vt tramitibus celeriter excedant capita terrae admouentes, ad vestigiaquè aures admittant, faciles oculos per singula voluant, & vbi ad feram deuenerint, tùm venatori planum id efficiant.

1867 nequè tamen vnum habent id demonstrandi signum, si quidem alijs auribus solummodo micant: cauda verò immoti manent, alij verò auribus immotis summum caudae vibrant, alij demittunt aures, & caudam, frontēq; contrahunt, alij deniquè & hi pessimi sunt, nihil mouentes ambulant tantùm, vt cognoscere non possis, an amplius inuestigent.

ACCIPITRES.

1868 Accipitrum duo sunt genera: namquè vel à nido desumuntur, vel à volatu, & sanè primi faciliori modo nobis praebuntur, secundi meliores sunt.

PISCATIO.

1869 piscationum modi sunt diuersi: nā retibus, hamo, nassa, iaculis, rastro, veneno, quot quot sunt Pisces capiuntur.

1870 mirabilis autē prae caeteris fuit Icthynophagorū piscatio qui ex eodem Pisce cibum, domum, nauem, vas, & lectum sibi parabant. (Diodorus Siculus.)

1871 quaerat autem aliquis vtra nobilior venatio: nobis autē iudicibus non est ambigendum venationem specialem (Plato in fine 7. de ll.)

debere

debere praeferri, ociosa namquè nimis est piscatio, seruilequè aucupium, quod & Plato asserit.

AGRICVLTVRA.

1872 Agricultura verò diuiditur in culturam, & pastionem, quare tota pastio, quae coniungitur à plerisquè cum cultura, genus quoddam ex nostra quidem sententia est diuersum, hinc & apud veteres earum principes diuersi sunt appellati nomine, cùm alter villicus vocaretur, alter verò Pecoris magister. Varro de re rustica lib. 1.

1873 verùm cum quaedam pecudes Agriculturae sint propriæ vt agrum quo cultior sit adiuuare queant, quomodò pecus remoueri potest ab agro? cum stercus, quod plurimum prodest greges pecorum ministrent.

CVLTVRA.

1874 ob Culturam autem rectè exercendam quatuor animaduertere debemus, Soli nempè, partiumq; fundi qualitates quibus opus sit, quid faciendum, quouè tempore.

1875 atquè haec quatuor singula in binas diuiduntur species, & prima solum terrae, ac villae continet, secunda homines colentes, & reliqua instrumenta comprehendit, tertia rem, & locum ambit, quarta tempora, quae ad Solis circuitum annuum sunt referenda, & quae ad Lunae mẽstruum cursum, complectitur.

PRIMA PARS.

1876 primùm igitur de solo fundi proponimus, in quo duo prae caeteris sunt consideranda, cuius nempè generis sit, quamquè per se tutum.

1877 naturalis verò generis tres simplices sunt species Campestre, Collinum, & Montanum.

1878 et ob haec fiunt etiam sationum discrimina, si quidem segetes aestimãtur meliores campestres, Vineae collinae, Fructus verò montani.

1879 debetquè rus circum circa tutari septis, quorum quatuor sunt genera, naturale, agreste, militare, fabrile.

1880 sed quia solum, vel ad rus, vel ad Villam pertinet, ideo cùm iam de primo dictum sit, de secundo dicamus.

VILLA.

1881 Villam autem sub radicibus montis, & in colle ponendã

esse

Varro lib. 1. cap. 12. esse iudicamus: nimbi enim repentini, & fluuij, ac torrentes periculosi sunt illis, qui in humilibus, ac cauis locis aedificia habent, & repentinae etiam praedonum manus, quòd improuisos facilius opprimere possunt, à quibus vtrisquè superiora loca tutiora.

1882 si verò quis quaerat, quam versus mundi partem aedificanda sit, nos illi ita satisfacimus, vt ad exortus aequinoctiales aptissimam esse dicamus: tùm enim habet vmbram aestate, hyeme verò Solem.

1883 verùm si secundùm flumen ponenda sit, ne Eurum aduersus ponas: hyeme enim fiet vehementer frigida, & aestate non salubris.

1884 remouendaquè semper erit à locis palustribus, in ijs enim crescunt animalia quaedam minuta, quae non possunt oculi consequi, & per os ac nares in corpus interdum ingrediuntur, ex quibus difficiles efficiuntur morbi.

SECVNDA PARS. INSTRVMENTA.

1885 secunda pars circa instrumenta versatur, quae quidem trifariam secantur, in vocale nempè semiuocale, & mutū, vocale Seruos, semiuocale Boues, mutū Plaustra notat.

1886 Iuuenes autem prorsus si fuerint Boues, sunt ita subigendi, vt non triones simul: sed Iuuencus adiungatur cum veterano: imitādo .n. facilius domātur, vt inquit Varro. L.1.de Rus.

TERTIA PARS, REI ET LOCI CONVENIENTIA.

Varro lib. 1. cap. 26. 1887 in tertia parte sit haec vniuersalissima regula in tenuiore terra ea esse serenda, quae non multò indigent succo, in pingui quae succi sunt maioris.

QVARTA PARS, TEMPVS.

1888 vere terrā rudem proscindere oportet, & quae sunt ex illa enata, priusquàm ex ijs quid seminis cadat eradicare, Aestate fieri messes, Autumno siccis tempestatibus Vindemias, ac Syluas excoli commodissimè, tuncquè arbores praecidi secundùm terram oportere: radices autem prioribus imbribus effodiendae sunt, ne quid ex his nasci quaeat: Hyeme putari arbores duntaxat, his temporibus cùm gelu cortices, & imbribus careant.

1889 sunt autem qui Solis cursus quosquè in octo diuidant partes

partes, in Fauoniales nempè dies, Aequinoctiales, Vergiliales, Solstitiales, Caniculares, Autumnales, Hyemales, & Brumales, quae diuisio, quòd ad hoc attinet prima melior est,

1890 quòd attinet autem ad dies lunares, id est obseruandum, vt quae augumentum desiderant, fiant crescente Luna, quae secus senescente.

RES PECVARIA.

1891 deueniamus modò ad rem pecuariam, secundam nempè Agriculturae partē, est autem illa scientia pecoris parandi, ac pascendi, vt fructus, quàm possunt maximi capiantur ex ea, à quibus ipsa pecunia nominata est, nam omnis pecuniae pecus fuit fundamentum. Varro. l. 1. cap. 3.

1892 ea partes habet nouem discretas ter ternas, vt sit vna de minoribus pecudibus, cuius genera tria sunt, Ouis, Capra, Sus, altera de maiori pecore, in qua sunt item aliae tres species natura discretae, Boues, Asini, Equi, tertia pars est in pecuaria, quae nō paratur, vt ex ea capiatur fructus: sed propter eam, aut ex ea sunt, vt Muli, Canes, Pastores.

1893 harum vna quaequè in se generales habet partes octo, nō nouem vti dixit Varro.

1894 harum verò tres in pecore parando sunt necessariae.

1895 quarum prima est aetas: cauendum est enim vt minoris emamus vetulas, & prorsus iuuenes, si quidem omnis prima aetas, & extrema sterilis est.

1896 secunda versatur in forma vniuscuiusquè Pecoris: ob hoc enim potius emitur Bos cornibus nigrantibus, quàm albis, & ampla Capra, quàm parua.

1897 in tertia quaeritur progenies: hoc enim nomine Asini, Arcadici in Graecia nobilitati, in Italia Reatini.

1898 alterae quatuor partes obseruandae sunt post emptionem, pastio, nempè faetura, nutricatus, & sanitas.

1899 in pastione haec omnia tria consideranda sunt, Regionis bonitas, pastionis varietas, & quantitas. cap. 4.

1900 foetura admissionem, & foeturam considerat.

1901 nutricatus fiat semper sub matre, nisi lactis necessitas secus disponat. cap. 5. cap. 6.

1902 sanitatis cuius consideratio ad Pastorem pertinet triplex

est ratio: animaduertendum est enim quae sint vnius, cuiusquè morbi caussae, quae signa, quaequè deceant.

1903 ferè morborum erunt caussae, quòd laborant propter aestus: aut propter frigora, nec non etiam propter, nimium laborem, aut contra propter nullam exercitationem, aut si cum exercueris, statim sine interuallo cibum, aut potionem dederis. cap.7.

1904 signa autem sunt, vt eorum qui siue ex aestu, siue ex labore febrem habent, adapertum os humido spiritu crebro, & corpore calido.

1905 curatio verò fieri debet secundum morbi genus.

1906 est & alia communis pars, quae versatur circa constitutionem numeri.

1907 et licet adhuc octo fecerimus partes possumus, tamen & decem absquè contradictione tueri, quod in additione lactis, & tonsurae apparet. cap.8.

ALIA PARS REI PECVARIAE RESPONDENS QVAE AD VILLAM PERTINET.

1908 est alia pars ad Villam pertinens, quae rei pecuariae respondet, ob quam aluntur animalia, quae in Villa, vel circa illam ali possunt.

1909 eiusq; rei genera sūt tria Ornithones, Leporaria, Piscinę. Varro.l.3. cap.2.

1910 Ornithonas dicimus omnium alitum, quae intra parietes Villae solēt pasci, Leporaria Villae affixa, quae habēt animalia inclusa, quae pascantur, Piscinas quae in aqua dulci, aut salsa inclusos habent pisces.

1911 horum singulum genus in binas partes diuiditur.

1912 vt sint in Ornithonum prima parte, quae terra solum contenta sunt, vti Pauones, Turtures, Turdi, similiaquè: in secunda verò parte ea sint, quae non solum terram: sed et aquā requirūt, vt sunt Anseres, Querquedulæ, Anates.

1913 sic alterum genus illud venaticū duas habet diuersas species, vna in qua est aper, Capra, Lepus, altera item extra Villam, quae Apes contineat, Cochleas Glires.

1914 tertij generis aquatilis item species duae, quarum altera pisces habet in aqua dulci, altera verò in marina.

1915 ex istis generibus tria illa artificum genera nati sunt,

Aucupes nempè Venatores, & Piscatores.

ACQVISITIO CVM PERMVTATIONE.

1916 duplex autem cùm rerum vsus existat, quorum alter proprius est, vt caloris calefacere, alter verò necessitatis gratia, vti est rei commutatio, vt per eam his traditis, quibus abundamus, ea quibus egemus contra nobis tribuãtur, propterea rei commutatio ad naturae commoditatẽ inuenta est, cũ in his versetur, quae naturae subueniũt. 1. polit.

1917 nummulariae verò ortus ex eo fluxit, quod cùm commutatio interdum in distantibus multum locis sit facienda, quo graue, difficileque satis erat aduehere res commutandas, propterea inuentio pecuniae emanauit, quam commodè possemus defferre.

1918 nummularia verò duplex est: altera enim Oeconomicae deseruit, & naturalis est, ac finita, quaedam verò augendis solum pecunijs intendit, & haec infinita est, cum illius finis sit pecuniae multiplicatio.

1919 et vtraquè potest exerceri Foeneratione, Mercenaria, & Mercatura.

FOENERATIO.

1920 Foeneratio est ea quae apud Aristophanem τόκος appellatur, nempè bellua quaedam, quae ex processu temporis argentum semper numerosiore foetura progenerat.

1921 eius duae sunt species Vsura, & Foeneratio, prima ad id quod interest constituta, secunda ad lucrum ex nudis nummorum corporibus sine vllo labore, & periculo faciendum excogitata.

1922 harumquè plures fuerunt species: sed maxima centesima extitit, quae biceps erat: vel enim perpetuo foenore ducebatur, & duodenos quotannis nummos maerebat, quos Plinius duodenos asses appellat, vel cũ renouatione foenoris anniuersaria, quam vsurarum vsuram appellant. Plinius ad Traianum.

1923 sed perscrutatione dignum est an iure reprehendi possit Iustinianus, qui vsuras in Codice suo exerceri permiserit, & Rubricam tùm ibi, tùm in Pandectis adscripserit, cum tamen scriptum sit, in sudore vultus tui pane vesceris, & mutuum date nihil indi sperantes? & magis est vt coargui nequeat: namquè qui Ecclesiae interpretationẽ Cic. lib. 5. ad Att. 1. Genesis. Lucae 6.

ſequitur haud quaquã improbari merito poteſt, cum ergo Euangelicum id dictum aliter tempore Iuſtiniani intelligeretur, quàm poſtea factum ſit, nihil eſt, quod ei rectè obijci poſsit: etenim veteres ea verba vti conſilium ad perfectiorem vitam interpretabantur, & ideo Nicena Synodus non de omnibus: ſed de Clericis tantùm loquitur: non ergo reprehendendus Iuſtinianus, qui ſeculi ſui ſapientia contentus non vltrà cogitans conuenientes tempori leges propoſuit.

in Nicena Synodo c. xxv.

C. quod debetur xxiij. q. 1. C. 1. ex de vſuris.

1924 rectè tamen Gregorio, Clementi, alijſquè Pontificibus placuit dictum Euangelicum ad praecepti neceſsitatem trahere: qui enĩ eius operationes probare poſſumus, qui naturam, & artem ſummi Opificis, Filiam, & Neptem, vt rectè cecinit Danthes, ſpernit, & labefactat?

1. cantica c. 11.

COROLLARIVM.

1925 hinc etiam illud Pythagorae circumfertur, Chenici ne inſideas.

Iamblicus

ΕΡΓΑ.

MERCENARIA.

1926 Mercenaria verò duplex eſt, altera ſeruilis artium miniſtra, altera quae ſine arte ſolo corpore lucrum comparat.

1927 errant igitur illi, qui triplicẽ illã aſſerũt aulicã addẽtes.

1928 quam tamen interdum ſub Mercenaria comprehendi nõ negamus, quod & Lucianus teſtatur.

MERCATVRA.

1929 Mercator autem eſt, qui negociationis exercendae quaeſtuſquè faciendi cauſſa merces emit, vt vendat: quapropter qui ſemel emit pannos, vt venderet mercator non eſt cum in eo defuerit exercitium.

1930 idemquè cum quis poſſeſsiones conducit, & locat: haec enim merces non ſunt.

1931 Vſurarij quoquè Mercatores non ſunt, cum pecunia non ſit in merce.

1932 caeterum & qui patrimonium amplum habens in re modica negociatur, licet eius reſpectu Mercator ſit, nõ tamẽ ſimpliciter Mercator cenſendus eſt, neq; mirum ſi quidẽ vnuſquiſq; vel ex eo nomen ſortitur, quod agit primò, non verò Mercator videtur, qui talis primò non ſit, &

ampliorem

ampliorem rei partem in Mercimonijs non habeat.

1933 Venalitiarij quoquè, quos vulgo reuéditores appellamus Mercatores haud sunt appellandi, sic & propolae, & annonarij, quiquè à rusticis esculenta emunt, vt deinde vendant, nec non & mangones, qui seruos expositos emere praeocupant, vt carius praeterea venales sint, non Mercatores: sed venalitiarij sunt.

1934 longequè alia est Mercatorum nostri temporis conditio, qui in vtilitatem sui rationes tantùm conficiunt a veteribus argentarijs, quorum publicum erat ministerium. Cicer. 3. offic.

1935 tribus autem mercatura perficitur partibus nauigatione oneraria vectione, & statarià negociatione.

V X O R I S M V N V S.

1936 cura rei familiaris intra domesticos parietes solis vxoribus conuenit, iniquum namquè esset, vt vir, qui quaerendi studio foris laborat, & domum se recipit, quasi in portum tranquillitatis post difficilem nauigationem, etiam domi vexaretur, cum relicta omni cura ocium, requiéq; desiderans ad domesticos penates confugerit, proinde sedulitatem praestet vxor, curamquè suscipiat omnium rerum, quae domi sunt secundum praescriptas leges mariti, cui omni ex parte parere debet. 1. Oecon. cap. 1.

1937 quapropter temeraria prorsus nobis videtur illa lex, in qua iubebatur in priuatis rebus, vt mulier viro dominaretur, viriquè omnes intra penetralia ad arbitrium vxoris se victuros mutua stipulatione pollicerentur. Diodorus Siculus.

1938 caueat praeterea vxor ne quid ficti, ne quid simulati, aut fucati admittat in se: quid turpius enim quàm ostendere aliam, quam ipsa sit, quod histriones faciunt, qui alterius sexus saepè numero personam gerunt, quidquè est aliud poenitere sui ipsius, & se ipsam odio habere, quàm aliam faciem induere?

1939 existimetquè mulier bene composita mores viri legem esse suae vitae sibi à Deo pèr coniunctionem matrimonij & fortunarum consortium impositam: sic enim & facile semper aberit omnis ira.

1940 hoc idem veteres vt praeciperent, consueuerunt cum Iunoni Matrimonij Deae sacrificarēt, hostias sine felle quasi

significantes à re coniugali bilem, atquè iracundiam auferre oportere.

1941 coniugisquè sui parentes omni beneuolentia complectatur, ne in eam id iure optimo dici posit, quod iam est in prouerbio, omnes nurus socrus suas odio habere, malè si quidem de viro merita est vxor, cuius parentes ab ea malè habentur, & probro, ac iurgijs assiduè vexantur.

1942 lini quoquè vsus in foeminis magnae semper laudis extitit, quod Isidis, Arachnes, Penelopes, Lucretiae, Caiaeq; Encomia declarant.

COROLLARIVM.

Plutarcus. 1943 hinc apud Romanos nouae nuptae ante mariti ianuam rogabantur, quod nomen profiteri vellent, quae omnes respodebāt se Caias esse, vt lanificij peritiam, sedulitatēq; in primo etiam maritalis liminis ingressu ostenderent.

ΕΡΓΑ.

1944 solet verò plerunquè disputari an optima matrona mortuo primo viro alteri nubere debeat, qua quidem in re facile dicere possumus ingenui esse animi non nisi vno viro coniungi, & hac in re Turturis naturam imitari, quam diligentissimi naturae indagatores, asserunt si parem amiserit nunquam alterius congressum quaerere.

COROLLARIVM.

1945 hinc vetustissimi Romani eam foeminam pudicitiae corona honestabant, quae vno contenta matrimonio tantum fuisset, perpetuaquè viduitate incorrupti animi sinceritatem ostendisset.

ΕΡΓΑ.

946 sed in hac re ea prae caeteris peccat vidua, quae liberos abet matrimonij pignora, & mortuum virum facie, ac omine exprimentes, quam quidem sententiam Elissae rbis elegantissimè exprimere videtur Maro, cum se viuam, ac desertam quaereretur,

4. Aeneid.

„ Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
„ Ante fugam soboles, si quis mihi paruulus aula
„ Luderet Aeneas, qui te tantum ore referret,
„ Non equidem omnino capta, ac deserta viderer.

quae enim liberos deserit in eos est impia, quos orbatos patre,

patre,& ab õnib' destitutos, quasi in limine vitę negliget.

PARS PATERNA.

1947 pars paterna est quae circa patris, filiorũq; munus versat.

PARENTVM MVNVS

1948 in liberis autem educandis duae rationes in primis considerãdae sũt, quarũ vna ad patrẽ spectat, altera ad matrẽ,

MATRIS MVNVS.

1949 et in primis postquàm in lucem venerit is, quem mater in aluo abditum gerebat, vberibus suis, & eo fonte nutriet, quem prouida natura tanta vbertate in eius pectore praeparauit: pessimè namquè admodum de liberis maeteri mihi videntur illae, qui filios quo tempore magis materna ope indigent aliò mittunt, & ancillis, rusticisquè nonnullis eos alendos tradunt, quibus ne catellã quidem quam in delicijs habent tutè crederent. Patric. de Rep. lib. 4. tit. 6.

1950 quid? quòd nec integrae matres: sed dimidiatae esse videntur illae, quae illum suo sanguine in vtero alunt, quem deinde à lacte statim depellunt, an sibi persuadent mammarum vbera à natura illis tradita ad pectoris ornamentum, & non ad liberorum alimoniam?

1951 degenerant enim à parentibus, qui alienae nutrici traduntur, nec medius fidius ab re est: sanguis enim ille opifex humani generis in penetralibus nato puero maternũ irrigat pectus, ac spiritum calore fouet alimoniamquè similem illi lactenti puero praebet, quem paûllò ante in visceribus tradiderat.

1952 quibus ex rebus similis plerunquè matri partus oritur, licet propter semen ipsum, in quo maior est potentia patris similitudinem ducat.

COROLLARIA POETICA.

1953 hinc & praeclare Virgilius, cum Homeri versus imitaretur, in quibus ille duritiam Achillis à genitura, partuq; contractam exprobaret, addidit,

„ Hircanaequè admorunt vbera tigres. 4. Aeneid.

vt nutrice truculenta maiorem argueret saeuiciem, quod ille de solis dixerat parentibus.

1954 qua in re felicior sanè Virgilius est.

1955 sic etiam & Theocritus Cupidinem incusans laeenae

mammas eum suxisse dicit, & Ouidius.

„ Natus es ex scopulis, eductus lacte ferino,
„ Et dicam silices pectus habere tuum.

EPTA.

1956 ob has caussas beneficium materni lactis tanti meriti fuit apud Veteres, vt imperaturae durius quippiam à filijs matres per lac quod illis praebuerant semper poscerent, nefasquè habebatur nisi filios exorassent, vnde Antipater Macedo crudelior habitus est, quòd matri mortem per vbera materna deprecanti non pepercit.

1957 quòd si per fortunam detur, vt docta primas saltem literas mater sit, quod sūmopere optādū est inter blandicias muliebres à tenera admodū aetate pueros docere īcipiat.

PATRIS MVNVS.

1958 cùm autem ad septimum annum peruenerit puer, suscipiat prorsus pater illius curam, qua in re parentum est officiū liberos in ea deliberatione adiuuare, quae totius vitae cursum instituit, & omnium actionum vna deliberatione fundamenta iacit, ne diutius liberi ancipites sint, vel mala electione oppresi ad vltimum praecipitium rapiantur.

1959 et prae caeteris rebus cauendum est à nimia illa erga filios indulgentia, quam locupletissimis verbis execratur Plato, cùm & animos frangat, & ingenium hebefaciat, & corpus effoeminet. (in Gorgia.)

1960 sed pluribus nè rebus, ac diuersis studijs eodem tempore pueri indulgere possint quaeri solet, & quanquam stoicus fastidientis stomachi dicat esse plura degustare, & multitudine librorum animum distrahere, vtile tamen putamus, vt duabus disciplinis simul erudiantur: nequè enim verendum est ne binis praeceptoribus diuersarum artium, pueri ingenium oneretur: non enim crescit labor: sed diuiditur industria, & satietas tollitur. (Seneca epist. 2.)

FILIORVM MVNVS.

1961 liberos parentibus obtemperare debere qui neget arbitror esse neminem: cum enim nos genuerint, educauerint, instruxerint, conferantquè quantum in ipsis est omnia ad victum, cultumquè & alios vitae vsus necessaria, (Pont. li. 2. de obedientia.)

innume-

innumerabilesq́; labores ſponte ſuſcipiant ad res comparandas non modò nè egeamus in vita ipſorum : ſed poſt mortem, vt ijs etiam affluamus, quam pro tot, tantiſqu è beneficijs referre eis gratiam poſſemus non haberemus, niſi nobis obedientia illam ſufficeret.

1962 quaeri autem ſolet patri nè, an matri plura debeamus: ſed me iudice primae partes patri conceduntur, & propter naturae excellentiam, & propter magnitudinem, atq́; vbertatem beneficiorum: nam quòd matres filios nonum ferant menſem, & cum vitae enitantur periculo naturae hoc eſt propagationi conſulentis, & non muliebris electionis.

1963 ſed quoniam molles ſunt earum animi, & ad iram, ac dolorem faciliores, danda eſt propterea à liberis opera, vt vel libentius obire earum iuſſa videantur, & reuerentius interdum cum eis agere.

1964 et quoniam obedientia has ſecum habere debet comites diligentiam, & attentionem, duo in primis obſeruanda ſunt à liberis, vnum vt & ſtatim, & ſtudioſé imperata efficiant, alterum vt non ſemper expectent dum à parentibus quod factu opus ſit iubeatur: ſed illud animo, & cogitatione praecipiant.

1965 et cùm duo maximè liberos videri poſsint impellere, cur obſequantur parentibus, metus, & vtilitas, illum nos filium mirum in modum probamus, qui patri ſit obſequẽs non metus cauſſa, vel vtilitatis ſpe: ſed quia patrem amet & officium ſuum facere per ſe ſtudeat.

1966 ſed tamen cùm difficile dictum ſit, liberos patrem non debere metuere, eum liberis metum concedimus, qui ſit minimè ſeruilis, ducatq́; ortum ab amore, & reuerentia.

1967 quòd verò ad vtilitatem attinet, nolim ego dari mihi filium, quem obſequendi mihi moueat vtilitas: ſed qui tũ cùm pareat intelligat ſe ipſum maximè ſibi prodeſſe, & rebus ſuis optimè conſultum ire: debet enim vtilitas ſequi officium, non officium ſeruire vtilitati.

1968 videndum quoquè vt creſcat cum aetate ſimul, & augeatur obedientia: licet enim ſemper ſit inobedientia deteſtabilis: deteſtabilior tamen eſt in iuuene, quam in adoloſcente,

loſcente, & in hoc quàm in puero, in quo propter peccatum non datur tantum loci contumaciae, & peccatum ipſum facilius promeretur veniam.

1969 aegris quoquè quam valentibus, & ſenio confectis quàm in media aetate conſtitutis obſequendum ſtudioſius eſt: tùm enim non ipſis modo parentibus: ſed morbo quoq; & aetati multa tribuenda ſunt.

1970 admonuit autem hic locus quaeri debere faciẽda ne ſint, quae parentes iubeant, & in hac re nonnulli nihil eſſe neceſſe patri obſequi arbitrati ſunt, quòd quae pater imperaret ea aut aequa eſſent, aut iniqua, ſi iniqua fieri non oportere, quia nequaquam liceret, ſi aequa non quod ille imperaret: ſed quod ea fieri ius eſſet facienda eſſe: ſed haec qui aſſeuerant, ij mihi videntur nullum rerum humanarum delectum nullam ortus, educationis, inſtitutionis ſuae habere rationem.

1971 à quibus diſſentientes alij contrariam protulere ſententiam, videlicet omnia quae pater imperaſſet ea fieri oportere. ſed haec ſententia ſi non falſior eſt, quàm ſuperior longè certè improbior, ac deteſtabilior videtur, nullum patriae, nullum religioni, aut honeſtati ius relinquens.

1972 eorum igitur vera ſententia eſt, ac rebus hominum maximè accommodata, qui nunc parendum patris imperio nunc nihil omnino parendum eſſe cenſent.

1973 et in iniuſtis ſanè ſemper parendum non eſt.

1974 et in his interdum, quae contra honeſtatem non ſint non cogitur filius prorſus obedire: namquè vt in coelibatu viuat, aut vt Monachum profiteatur, hortari quidem filium pater poteſt, cogere non poteſt.

1975 in medijs quoquè non eſt parendum quando malis applicantur rebus: namquè cauſſam orare, vxorem ducere tũ, licet nec in bonis, nec in malis numerentur, efficiuntur tamen ſtatim inhoneſta, ſi aut Catilinae patrocinium ſuſcipiatur, aut Thais ducatur in matrimonium.

PARS HERILIS.

1976 ſupereſt vt partem haerilem expendamus, quae habitudines Domini, & Serui expendit: hanc verò ad Oeconomum quoquè pertinere demonſtrauit Heſiodus, qui & bouem

1. Oecon. cap. 2.

bouem aratorem quoquè ad Oeconomiam adiunxit.

1977 seruitus verò duplex est: altera namquè est legalis, altera verò naturalis. 1.polit.

1978 et seruitus legalis, qua bello capti, serui efficiuntur victorum, & haec quodammodo iusta est: sed non simpliciter, partim quia bellum contingit plerunquè iniustum esse, partim quia contingit sapientes ab insipientibus superari, quodam tamen modo iusta est, cum ad victi, & victoris bonum conferat, vt victus seruetur, & seruiat.

1979 seruitus verò naturalis prorsus iusta, & expediens est: in omni enim multitudine naturale est quoddam imperare, quoddam parere, & illud etiam expedit, vt patet maximè in animalibus, in quibus anima praedominatur corpori, & ratio appetitui, nisi aliquid praeter naturam accidat.

1980 et propterea hi debent esse secundum naturam serui, qui tantùm distant à caeteris, quos dignum est dominari natura, quantum corpus ab anima, & bestia ab homine: hi autem sunt, qui imbecilles mēte, & robusti corpore (quibus certè expedit regi) ad exequenda iussa apti sunt.

1981 vnde & natura differentiam posuit inter liberorum corpora, & seruorum, vt illorum molle sit contemplationi idoneum, horum verò solidum exercitationi corporeae commodum, nisi quid praeter naturam accidat.

1982 est autem seruus vt summatim dicamus instrumentum animatum, actiuum, separatum, homo, alterius existens.

1983 sed inter seruos naturali seruitute, & dominos amicitia esse potest: communicant enim in suis, quae vtrisquè conducunt: sed inter seruos, qui lege, ac violētia subsunt eorumquè dominos, non potest esse amicitia, cum non communicent in expedientibus cuilibet: etsi enim eos seruari expediat, non tamen seruire expedit.

DOMINI MVNVS.

1984 in primis autem videat ipse dominus, quibusuam seruis sordida operā, quibus verò liberalia sint committenda, vt eos efficiat praepositos hos autem opifices.

1985 circa seruos Aristoteles tria haec necessaria duxit opus, castigationem, & cibum, si quidem cibus sine opere, & castigatione

castigatione seruos insolentes reddit, opus verò, & castigatio sine cibo res est violēta, & impotētes reddit seruos.

1986 addamus autem nos ob diuersam consuetudinem mercedem.

1987 est autem seruorū recta educatio, vt nulla ipsis contumelia inferatur, iniuriaquè illis multò minus, quam (si fieri possit) aequalibus inferenda: nam hoc pactò cognoscitur, qui suopte ingenio, & non fictè iustitiam colit, oditquè re vera iniquitatem.

1988 castigandi verò iure sunt semper serui, nequè ita monendi, vt liberi ne molliores fiāt, verum allocutio omnis ad seruos imperium praeseferre debet, nequè iocus vllus cū ipsis seu masculis, seu foeminis habeatur, alioqui dominus ipse difficiliorem sibi viam ad imperandum praebet.

SERVI MVNVS.

1989 serui verò bello capti ob metum hero seruient suo (vt .n. illum amet difficile est) ad quem necesse est, vt multae virtutes tanquam comites subsequantur, diligentia, taciturnitas, fides, studium, solertia, sobrietas, parsimonia, cura, quod & de seruis natura dicimus.

Pont. de obe. l. 3.

1990 modò tamen serui sunt semper liberi: sponte tamen obligati, horum ergo prima virtus erit fidelitas eaquè omnia quae in prioribus à nobis requisita sunt: maiora tamen, siquidem in eo qui liber est virtus omnis solidior esse debet, quam in seruo.

PARS LEGALIS PHILOSOPHIAE MORALIS MAGIA QVAEDAM.

1991 aggrediamur demum partem legalem, quae ipsius philosophiae moralis est tanquam Magia quaedam, circa quam cùm multae sint opiniones ideo operae praetium erit eas distinctim expendere.

ARISTONIS STOICI OPINIO CIRCA LEGES.

1992 et in primis Ariston stoicus, illiusquè sectatores partē legalem prorsus inutilem dixerunt: existimarunt enim nihil aliud esse leges, quam illam philosophiae partem, quam

Seneca li. 14. epist. vlti.

quam veteres praeceptiuam dixerunt: quemadmodum enim si quid oculis oppositum eorum moratur aciē, remouendum est, si quidem eo non expulso operam perdidit, qui praecipit, eodem modo ex eorum opinione, vbi aliqua res obcaecat animum, & ad officiorum ordinem aspiciendum impedit, nihil agit qui praecipit: sed mentis error discutiēdus est (quod ad alteram philosophiae moralis partem pertinet) vt appareat statim, quid agendum sit, praeterea lex vel manifesta, vel dubia praecipiet, manifesta monitores non desiderant, praecipienti dubia non credentur, superuacuum est ergo legis praecipere:

HORVM EXPVGNATIO.

1993 sed Ariston stoicus valdè quidem labitur, falsum est enim praeceptiuam partem inutilem, & superuacaneam esse: adijcit enim & ipsis remedijs medicina consilium, quod non minus, quàm medicamentum proficit: namquè nō est inquit, quod protinus imbecillem aciem improbo lumini committas, à tenebris primò ad vmbrosa procede, deinde plus aude, & paullatim claram lucē pati assuesce.

1994 et licet quae praecipiuntur dubia sint, praecipientis tamen authoritas ea clara reddit: quis enim non videat aliud esse ingenium hominis mobilis, & recti, aliud tardi, & hebetis, postremò cum leges nihil aliud sint, quàm minis mixta praecepta, cur impios minis à scelera non deterrebunt, bonos verò: sed inscios praeceptis, tanquàm luce quadam ad veram rationem manuducent?

ALIORVM STOICORVM OPINIO.

1995 dixerunt autem ex aduerso alij praecepta legum sola ad beatam vitam sufficere, quandòquidem haec vita constat ex actionibus rectis, ad quas praecepta solum ex eorum opinione perducunt.

HORVM EXPVGNATIO.

1996 non tamen semper ad actiones rectas praecepta perducunt: sed tum solum cùm obsequens est ingenium, aliquandò namquè pertinaces homines frustrà admonentur, praeterea nonnulli licet rectè faciant, nesciunt tamē

ſe rectè facere: quapropter abſquè decretis praecepta nō ſufficiunt.

SENECAE OPINIO

1997 exiſtimauit inter hos Seneca hanc legum paraeneſim accipienda quidem eſſe, & pro malis, & pro inſcijs hominibus, adiecitquè eam non ſolum praecipere, verum etiā docere: praecipiet enim aliquis, vt prudentiam magni extimemus, vt fortitudinem complectamur, temperantiam amemus, iuſtitiamquè paremus: nihil autem agetur ignorata virtute, proinde vna & eadem facultas, & decreta, & praecepta docebit.

HORVM EXPVGNATIO

1998 labitur autem iſte vir, ſiquidem decreta ſunt, vt ſubalternantia praeceptis, praoinde haec ſua principia ab illis ſumunt.

VERA SENTENTIA CIRCA LEGES.

1999 arbitramur itaquè leges ſolam philoſophiae paraeneticē partem ſibi aſſumere, circa quas alibi forſan ratiocinabimur diſtinctim.

VNIVERSAE PRIMAE PARTIS EPILOGVS.

2000 Haec ſunt itaquè ea omnia, quae laborioſiſsima opera è varijs Philoſophorum moralium doctrinis à nobis decerpta ſunt, quorum & dogmata vaſta reiecimus, & ambigua declarauimus, & controuerſa diiudicauimus, & modò vt praeclarum colophonem huic primae parti imponamus, audaciter dicimus, Platonicorum, Peripateticorum, Stoicorum, Epicureorum, Cyrenaicorumquè placita in morali Philoſophia adinuicem nullibi diſſentire, licet Cyrenaicus voluptatē primum bonum ſtatuat & animi motiones ab obiectis pendere affirmet, licet Epicurus indolentiam contra Cyrenaicum magis laudet licet Stoicus contra vtramquè virtutē, vt ſummum bonū amplexetur, & primum appetibile non voluptatem, aut indolentiam: ſed ſuimet tutelam dicat, arbitreturquè veram virtutem in Ἀπάθεια conſiſtere, & proinde animae perturbationes rationi prorſus aduerſari, nec egere

vniuerſalis concordia Philoſophorum moralium.

felicem

ſelicem bonis fortunae, & corporis, licet Plato, & Ariſtoteles, quorum ſententiam adhuc vnanimem eſſe multis in locis patefecimus, contra Stoicos felicitatẽ in actione locent, corporis, fortunaequè bona ad perfectam beatitudinem poſtulent μετριοπαθίαν tueantur, & perturbationes rationis diſcurſus ſuſcipere poſſe exiſtiment, quibus cũ Menedemum Eritrienſem, & Ariſtonem ſtoicum componemus, qui virtutum multitudinem ſuſtulerunt, & docebimus Plotinum ab Ariſtotele minimè diſcrepare: quamuis ille credat tempus felicitatem haud augere poſſe: cum tamen iſte ad vitam perfectam tempus concupiat, atquè vt etiam ad ſpecialia magis deſcendamus indicabimus eos peripateticos, qui triplicem Philoſophiae moralis partem, Monaſticam nempè Oeconomicam, & Politicam aſſeuerant ab aliorum Peripateticorum ſententia non recedere, qui vnicam tantùm partem, ciuilem nempè ſolam reperiri putant, & circa leges demum Ariſtonem cum Seneca, & cum alijs ſtoicis, & cum nobiſmet quoquè conciliabimus, ad quam ſanè vniuerſalem concordiam veritatis tantummodò amor nos excitauit, cuius ſplendorem quouis nomine chariorem habuimus.

VITAE ACTIVAE
METHODI FINIS.

IACOBI MAZONII CAESENATIS VITAE CONTEMPLATIVAE METHODVS.

2001 PHILOSOPHORVM Deus Plato in ipsa animae compositione optimè admodùm idem in latus ad dextra, alterum verò per Diametrum ad laeua circumagi dixit, quibus Mathematicorum inuolucris duplex animae rationalis munus, contemplationem nempé, & actionem tacitè subindicauit nobis: quemadmodum .n. lateris est ipsa rectitudo, dicibilis proportio, comprehēsibilitas, angulorum continentia: Diametri verò contraria obliquitas, ignota proportio, quòd contineatur, quòd angulos diuidat, sic & contemplatio simplicitati, terminoquè, & fini dicitur esse cognata, actio verò varietati, & multitudini, nec non infinitae potentiae naturae affinis esse censetur, rursusquè illa complectendi sortita est dignitatē, haec verò complecti, contineriquè sortē, meritò itaquè illa circumagi, secundum latus dicitur, vt indeclinabilis, vt vnita, vt vniformis, haec autem secundum Diametrum, vt processu multiplicationequè gaudens, & vt diuersarum rerum productiua. post cuius discursum tempus expostulat, vt Theoriam aggrediamur: nam sicuti nec corpus aegrum optimas operationes exercere, illasq; sibi parare potest, nisi prius morbum expellat sic & mens ipsa vitijs tanquam aegritudine propria laborans, principem suimet ipsius actionem, contemplationē nempè promere minimè potest, nisi prius actiuis virtutibus fulcta, ab omni vitiorum (ex quibus proprius animae innascitur morbus) labe denudetur.

Plato in Timeo, & ibi Procl.

Plato in Gorgia.

2002 tendit autem ad verum omnis contemplatio, quis enim nesciat verum à mente nostra auidissimè cōcupiri? hinc Rachelem, quam speculationis Symbolum ponunt, principij visionem interpretantur Hebraei.

SCEPTICORVM CIRCA VITAM CONTEMPLATIVAM OPINIO.

2003 et in hoc quoq; sicut, & in Ethicis, diuersa à Dogmaticis

Sex. emp. in 1.

senserunt Sceptici, si quidem cum illius acquisitionem, disciplinas nempè semper abnegarint, & habitus mentis sustulerint prorsus, imperfectam, & mutilam Theoriam solum reliquerunt.

2004 disciplinas autem sustulerunt, eo quod, & rem quae trã-datur, & eum qui doceat, & eum qui discat, modumquè docendi nullo pactò reperiri posse asseruerint.

HORVM EXPVGNATIO.

2005 sed horum argumenta vana, nulliusquè ponderis esse facillimè demonstrabimus.

DOGMATICORVM SENTENTIA.

2006 melius itaquè Dogmatici Contemplatiuae Vitae acquisitionem, habitum, & exercitationem affirmarunt, eaq; ab acquisitione, habitu, & exercitatione actiuae vitae seiunxerunt, si quidem contemplatiuae vitae exercitationem, theoriam. habitum, dianoeticum. acquisitionẽ Μάθησιν statuerunt, actiuae verò vitae acquisitionem Ἐθισμὸν habitum Ἦθος exercitationem verò actionẽ dixerunt, ex quibus colliget quis rationem (si diligenter attendat) diuisionis nostrae circa vitas.

2007 sed vt contemplatiuae vitae acquisitio, habitus, & exercitatio facilius à nobis comparari possint, occurunt vltro Artes liberales, quae nobis maximas pollicentur suppetias.

ARTES LIBERALES EA-
RVMQVE NECESSITAS.

2008 si quidem ne contemplari possimus vltrà morbum animi, cuius medelam superiori libro absoluimus, nonnulla quoquè opponuntur, quae quidem ad tria reducuntur capita: vel enim mens obtenebratur per ignorantiam, vel per affectum, vel per ineptitudinem, quas quidem omnes imperfectiones prorsus tollunt disciplinae illae liberales, quae solae inter philosophiae partes ideo censentur artis nomine, quòd earum est operationes tantùm humanas corrigendo ad perfectionem ducere.

2009 et sanè mentis aspectus primò aspicit, deinceps aspecta dijudicat, dijudicata demùm, vel tanquam bona amplexatur, vel vt mala euitat, aspectum Grammatica rectè

informat

informat, quale ſit Dialectica ſine errore demonſtrat, vt iudicatum, vel tanquàm bonum appetendum, vel vt malum euitandum Rhetorica perſuadeat: ineptudinem verò Mathematicae expellunt, de quibus inferius ratiocinandũ erit: modò enĩ in primis tribus immorandũ eſt.

2010 officium itaquè Grammaticae eſt rectè intelligere, & intellecta rectè pronunciando alteri impertire: officium verò Dialecticae eſt quod formatum eſt in intellectu ſecundum rationem ſui, quale ſit iudicare, & diſcutere, Rhetorica demùm poſt Dialecticas, & proprias argumẽtationes, affectum aufert, & mouet. mentis ergo aſpectum & affectum hae tres artes rectè dirigunt.

GRAMMATICA.

2011 inter has prior caeteris occurrit Grammatica, cui quidẽ ab infantia tradimur, ſi quidem ea eſt veluti quidam carceres, è quibus emittimur ad alias diſciplinas addiſcendas, circa quam diuerſae ſunt opiniones particulatim expendendae.

SCEPTICORVM GRAMMATICA.

2012 et Sceptici ſanè nullam eſſe Grammaticam, tùm in ſimplicibus elementis, tùm in verborum, & nominum analogia, & anomalia pro virili conantur oſtendere.

HORVM EXPVGNATIO.

2013 quorum rationes ſi oportuerit diſſolaemus.

EPICVRI, CRATETISQVE GRAMMATICA.

2014 Epicurus verò, & Cratetes eam ſolum eſſe Grammaticã dixerunt, quae profitetur ſe docturam elementa, eorũq; connexiones, caetera verò profundiora, in quibus literarum, verborumquè natura, & orationis partes expenduntur non admiſerunt, ſi quidem cum in his catholica praecepta minimè dari ex eorum opinione poſsint, proinde ſunt ea vti per accidens ab arte reijcienda. Varro l. 8. de ling. lat.

2015 et primò ethymologiam catholicam haud eſſe ſic probant, quòd tandem neceſſarium ſit in nominibus ſiſtere, eaquè prima propterea nõ admitti, quia ſint ethyma: ſed quia ſint trita conſuetudine.

2016 nequè etiam analogiam catholicam eſſe ex eo deducunt,

quod nequè in sexu, nequè in multitudine, nequè in casu nequè in deriuatione, nequè in auctione, nequè in diminutione seruatur analogia, & primò in sexu habent alia nomina formas ternas, vt humanus humana humanum, alia binas, vt Ceruus Cerua, alia vnicam, vt Aper.

2017 et quòd ad multitudinem attinet habemus pater, & patres: & tamen Cicer, & siser solum, sic & in plurali habemus salinae solum.

2018 sic & alia habent casus rectos solum, vt Iuppiter Maspiter, alia obliquos solum, vt Iouis, alia vtrosquè, vt Iuno Iunonis, praeterea alia vnum tantùm habent casum, vt vna quaequè litera, alia tres vt praedium, alia quatuor, vt mel, alia quinque, vt quintus, alia sex, vt vnus.

2019 cumquè deriuatio triplex sit à vocabulo nempè, à nomine, & à verbo, in horum nullo analogiam seruari videmus: cùm enim dicatur ab oue, & à sue, ouile, & suile, cur non itidem à boue bouile: sed bubile dicitur? & cũ similes sint auis, & ouis, cur ab aue auiarium, ab oue verò ouile deducitur, quod idem patet in nominibus, si quidem à Roma, Bononia, & Parma, Romani, Bononij, & Parmanij dicendum esset, & in verbis etiam aequè non dicitur, à metendo, & ferendo messor, & fertor.

2020 sic & in his quae augendi dicuntur analogia nulla apparet, si quidem quemadmodum dicitur doctus doctior doctissimus, non etiam dicitur bonus bonior bonissimus, & sic in alijs.

2021 idem quoquè & in his, quae minuendi sunt apparet: nec enim sicut dicimus cista, cistula, cistella, dicimus macer, macericulus, macellus, niger, nigricolus, nigellus: media namquè in his duobus vltimis nullibi reperiuntur, sic & vltima in quibusdam non sunt: nec enim dicimus auis, auicula, auicella, nec caput, capitulum, capitellũ.

HORVM EXPVGNATIO.

2022 sed quàm procul isti à veritate recedant: palàm est enim nomina deriuatiua necessario ab aliquo primo nomine emanare, & propterea Ethymologiam dari, atquè dum affirmant primò Ethymologiam consuetudinem esse, eo quòd prima nomina nõ admittũtur ob ethymũ, prorsus

à verò

à verò recedunt, siquidem ex primis nominibus multa non casu, & consuetudine; sed ex natura ipsorum literarum composita sunt, quod & Plato dixit. in Cratilo

2023 sed dicet aliquis, cur iubet Plato, eum qui doceri velit linguam in multitudinem mittendum esse, si verborum naturam alias à populari locutione separauit? an quod in Alcibiade de vocis significatione loquitur, in Cratilo verò de vocis natura, caussaquè? idcirco licet ex consuetudine vocis significationem calleamus: non tamen illius naturam habemus. in Alcibia de de natura homi

2024 quòd verò ad analogiam attinet, dicimus, illam iuxta declinationes, & coniugationes seruari, quod si tamen in his interdum Anomalia reperitur, Analogia, Anomaliae coniuncta, catholica efficiet praecepta, nec ob aliquam Anomaliam, idcirco debemus perimere Analogiā, sicuti nec ob aliquos mutilos Boues, totam speciem mutilam appellamus.

PYTHAGORAEORVM GRAMMATICA, QVIBVS NONNVLLI STOICORVM ASSENSERVNT.

2025 Pythagoraei verò Grammaticam totam in Analogia naturali prorsus posuerunt, quod dictum prius ab Hebraeis, Brachmanis, Sauanaeis, Magis, & Gymnosophistis emanasse dicitur, quod & praeterea apud Graecos Heraclitus valdè tutatus est, cum enim vox vti genus naturalis sit, cur non & nomina, vti species? Origenes l. 1. contra Celsum. Plato in Cratilo.

2026 praeterea si vera oratio, verae etiam illius partes, & particulae, vera itaquè nomina: sed hoc quo pacto fiet, nisi nomina ita res vti sunt, magis quam vt arbitrio placet nostro significanter res declarent?

2027 deinde sicut rerum essentias natura ipsa existere certissimum est, ita earum instrumenta naturales esse procul dubio censendum est.

2028 caeterum quoniam ex Nigidianis commentarijs, quòd naturalem, & non arbitrariā analogiam, rerum habeant nomina, lepidam sanè & festiuam refert Gellius rationē non erit malum vt arbitror hanc etiam pro istis in medium adducere: vos enim inquit cùm dicimus motu

quodam oris conueniente, cum ipsius verbi demonstratione vtimur, & labia sensim priora, & spiritum, atque animam porrò extrà, & ad eos quibuscum ratiocinamur intendimus, secus autem cum dicimus nos, quod idem fit in eo, quod dicimus tu, & ego.

COROLLARIA.

2029 hinc est quòd ab his, qui reconditas calluere literas memoriae proditum est, non esse transferenda, aut immutãda vocabula: sed vt sunt suis characteribus, veluti diuinis quibusdam notis religiosé conseruanda, quod Magi etiam diuinorum periti praeceperunt in vna quoque lingua: vniuersam enim Zoroastris sapientiam, quam Plato in Alcibiade diuinam appellat, & in Charmide animorũ, corporisque curatricem, non alia re magis quam nominibus constare dicunt. Hebraeos quinetiam diuinorum quorundam nominum nationes omnibus alijs praetulisse scientijs, & mira saepius horum prolatu opera ab eorum factitata Prophaetis memoriae proditum est.

Origenes ibidem, & Ficinus in Cratilo.

2030 hinc & in vrbium oppugnationibus, obsidionibusq; ea euocari, elicique consueuerunt nomina, in quorum tutelà vrbs illa posita esse crederetur, vt loco scilicet eo relicto ad se volentes, & propitij migrarent Dij, neque alio vnquam modo obsessam vrbem, quam praesidum abscessu Deorum capi, aut posse, aut fas esse creditum est: quamobrem antiqui vrbium fundatores, alterum quidem tutelaris Dei nomen manifestum esse, alterũ verò sanctius semper latere voluerunt.

EPIA.

HORVM EXPVGNATIO.

2031 contra verò & rectè Aristotele Duce nituntur Peripatetici: quatuor enim sunt, quae ordinem inter se quendã, & continuatam habent seriem, res videlicet ipsas extrinsecus existentes, animi notiones, eaq; quae vocibus proferuntur, & vltimo loco illa, quae characteribus notantur, horum porrò quatuor duo illa prima natura constãt, cùm in omnibus semper eadem existant, duo verò reliqua hominum inuenta sunt arbitrio, cùm ea quae voce dicuntur nomina, nec non illa, quae characteribus perscribuntur

1. Periher.

scribuntur

scribuntur, apud alios alia, & semper fuisse, & nunc esse perspicuum sit.

2032 nec vox nominum genus est: sed materia.

2033 nec veritas in nominibus simplicibus attendi potest, nec rectè infertur à veritate orationis orationē naturalē esse.

2034 nec nomina naturae sunt instrumenta: sed ἀποτελέσματα idest affectiones, instrumenta namquè vocum sunt pulmones, palatus, & illa quam asperam arteriam Medici vocant, è quibus vocem effici clarissimè apparet, cùm ex vniuerso Thorace emissus spiritus congestim asperam illam vocalem arteriam gulamuè percusserit, & ab illa in uicem repercussus fuerit, simplicis itaquè vocis instrumenta sunt haec: nominum verò, & verborum quae iam dearticulatae, & distinctae sunt voces, alia propria, & peculiaria magis sunt instrumēta, quae nō φωνητικὰ ὄργανα: sed διαλεκτικὰ nuncupantur, vti lingua, dentes, & labia, nec absonum est opera naturalia in artem plerunquè desinere, quod cùm ex alijs compluribus naturae operibus, tùm ex ipsa saltandi peritia manifestissimè patet.

2035 caetera verò in nominibus forsan quibusdam opinionem contrariam veram indicant: sed de huiusce discordiae compositione in logicis ratiocinabimur.

CICERONIS, ET QVINTILIANI GRAMMATICA.

2036 Grammaticam verò Quintilianus, & Cicero eam crediderunt esse, quae tùm circa loquendi scientiam, tùm circa authorum ennarrationem versaretur, & ideo duas illius proposuerunt partes, methodicem nempè, & historicam. lib.1.c.11.

HORVM EXPVGNATIO.

2037 verùm quomodò historica pars erit Grammaticae, si per se Grammaticae non inest: nam si in poëtis tropos, & figuras, si argumenta, enunciationes, Syllogismos, methodumquè interpretere, id Rhetoricae, Logicaequè facultate, non Grammaticae artificio facies, idemquè & in reliquis artibus erit, de quibus poëtae pertractant.

VERA GRAMMATICA EX
ARISTARCHI SENTENTIA.

2038 erit ergo vera Grammatica, quae circa rectam locutionem tantùm versatur, quod & Aristarchus animaduertit.
2039 cuius essentiales sunt partes, Ethymologia, & Syntaxis.

ETHYMOLOGIA.

2040 Ethymologia verò omnem nominis, & verbi caussam continet: sed prae caeteris Ethymologiam in specie (quā pro distincta doctrina notationē dicimus) & Analogiā.

NOTATIO.

2041 notationis principes sunt partes compositio, & flexio.

COMPOSITIO.

2042 et compositio, vel est literarum, vel verborum:
2043 et in compositione literarum artificium quoquè requiri demonstrauit Aristoteles ipse, qui nos docuit literas differre interse, figuris, crassitudine, leuitate, longitudine, & breuitate, item acumine, grauitate, & medio, ob quarum rerum temperiem optimè praeterea componerentur nomina, & ideo ex Aristotelis quoquè sententia nomina naturae rei adaptantur. in poëtica
2044 sed quaeri solet à Grammaticis: quousquè liceat simul verba componere, in eamquè vertuntur sententiam, vt nunquàm tria verba simul coeant, quibus tamen & aliqui refragantur, cùm & Cic. teste capsis fit ex cape si vis, & lupercalia ex luere per caprum, an verò melior est prima sententia, cum non tàm haec ex tribus, quàm ex particulis trium coeant? durè namquè nimium ex praepositione, & duobus vocabulis vocabulum fecit Pacuuius.

„ Repandirostrum incuruiceruicum pecus.

FLEXIO.

2045 Flexio verò diuiditur juxta verborum genera, quorum alterum foecundum est, alterum autem sterile, foecundum dicimus, quod multas ex se dispariles formas gignit vt lego legis legam, & similia, sterile verò quod ex se nihil parit, vt etiam, vix, magis, & huiusmodi.
2046 nam quod Varro cras inter sterilia ennumerat ad crastinum non videtur animaduertisse.
2047 Flexionum verò à foecundis genera sunt quatuor, vnum quod

quod adſignificat tempora; neque caſus habet, vt ab lego legis, alterum quod caſus habet, neque tempora adſignificat, vt à lego lectio, tertium quod habet tempora, & caſus, vt à lego legens lecturus, quartum quod neutrum habet, vt à lego lecte lectiſsime.

2048 quae putat Varro à decem praeuerbijs multiplicari poſſe quemadmodum do, à cedo, recedo, accedo, incedo, ſecedo, decedo, concedo, praecedo, excedo.

2049 ex quibus aemulatus admirabilem illam Democriti philoſophiam ex infinitis atomis naturas rerum conſtituentis, affirmat quingenta verborum millia declinationibus fieri poſſe, ſuppoſitis tamen prius Coſconij principijs, qui linguae verba primigenia mille collegerat, à quibus ſingulis exiſtimat quingentas flexiones emanere, quod tamen nos nullo pacto admittimus.

ANALOGIA.

2050 Analogia vel in nominibus, vel in verbis conſideratur, vel in vocibus ſine numero.

ANALOGIA NOMINVM.

2051 Analogia vero in nominibus magis in obliquis caſibus, quàm in rectis attenditur: illi naturales ſunt, hi voluntarij.

2052 ſed quaeſitum video à quo caſu praecipue debeat diſtinctio Analogiae ſumi, & eam Grammatici communiter à Genitiuo ſumunt: ſed melius à ſexto caſu Varro, ſi quidem is latinis eſt proprius. lib. 9. de ling. lat.

2053 et in ſexu quoque ſeruari Analogiam demõſtrauit Amonius in quibuſdam nominibus, ſi quidem Graeci mare, & paludes foeminino ſexu nuncuparunt, fluuios verò, & flumina maſculino, ſi quidem ea, veluti amnium, & fluminum quaedam receptacula foeminino protulerunt genere, haec verò vt illa intrantia, ſeq; illis immiſcentia maſculina generis proportione nominate voluerunt. 1. Periher.

2054 defendemus tamen latinos, qui mare neutro genere nũcuparunt.

2055 et linguam quoque vernaculam, licet mari maſculinum ſexum adiudicarit.

2056 quin licet hoc multis admirabile ſit futurum demonſtrabimus

ſtrabimus in lingua vernacula florere magis analogiam, quàm in Graeca, & in latina

2057 ſic & intellectum nomine dixerunt maſculo, animam verò foeminea terminatione ſignarunt, quoniam ille quidem huic lumen infundat, haec verò id excipiat.

2058 parique generis analogia in Sole, & Luna vſi ſunt, cùm ille quidem lumen huic affatim ingerere, haec verò ingeſtum accipere planè animaduertatur.

2059 tuebimur tamen Aegyptios, qui Lunam genere maſculino appellant.

ANALOGIA VERBORVM.

2060 Analogia verborum apud Grammaticos per coniugationes cognoſcitur, ea vera quae in modis conſiſtit interdum confunditur, ita vt indicatiuus ſit coniunctiuus, & coniunctiuus indicatiuus, & cùm vtroquè imperatiuus, & optatiuus permixtus.

2061 nam cùm Tullius ait ſi vales bene eſt, ſi me audiês, numquàm labere, verbis vtitur ad iſtã Grãmaticorum doctrinam indicatiuis, & tamen vt res ipſa demonſtrat coniunctiuis.

9. ad Att. 2062 idem de triumpho tibi aſſentior, quem quidem totum facile, & libenter abiecero coniunctiuis vtitur, cùm tamen re vera indicet.

2063 ſic & in verbis coniunctiuis frequenter optatur, praecipue tamen facultas quaedam, vel officium abſolutè indicatur, hinc & illa verba, inuentus eſt quidam Gneus Flauius, qui cornicum oculos confixerit, & ſingulis diebus ediſcendos faſtos populo propoſuerit, & ab ipſis incautis Iuriſconſultis eorum ſapientiam compilarit. — pro Mur.

2064 nec verò minor eſt imperatiui, & optatiui modi cõfuſio: nec enim Solis verbis imperatiuis, & optatiuis, imperatur, & optatur: ſed etiam rogatur, meritò itaquè ſeu Protagoram, ſeu Zoilum deridet Ariſtoteles, à quò reprehendebatur Homerus, quòd Dijs imperaret, cùm vellet praecari: — in poëtica

1. Illiad. „ Iram cane Dea.

illic enim praecatur Homerus nôn imperat, & Protagoras non catholicis Grammaticorum regulis indoctus eſt ad corrigendum

ad corrigendum Homerum: habemus enim & in simili: sed tu hoc nobis da Sceuola, & perfice. Iuno Lucina Fer opem, & similia. 1. orat. Ter.i nec.

2065 fatuè verò prorsus in indicatiuo modo dicuntur esse amabam, & amaueram, si quidem vt sententia absoluatur, coniunctione egemus.

ANALOGIA VOCVM SINE NVMERO.

2066 vocum autem sine numero duo sunt genera, alterum singulis verbis, alterum coniunctis inseruit, primum genus aduerbium est, quod Varro partem adminiculãdi vocat, lib. 7. cuius duas species interiectiones, & praepositiones latini in sui generis complexu, non satis legitima caussa seiunxerunt.

SYNTAXIS.

2067 Syntaxis ex partibus orationis coalescit, quae quidem bifariam scinduntur, si quidem altera pars est cum numero, altera sine, quam diuisionem & Varro probat. labuntur itaquè illi, qui tres, quatuor, octo, & vndecim illas dicunt.

2068 versatur autem Syntaxis, vel circa proprium, vel figuratum sermonem.

ORTHOGRAPHIA.

2069 est autem veluti totius Grammaticae spiritus, & sanguis Orthographia, quae quidem summè consistit in quantitate, qualitate, & partitione.

LOGICA.

2070 post Grammaticam ad eam facultatem accedamus, quã Graeci λογικὴν latini rationalem dixere, circa cuius nomen id prius dubitandum occurrit, cur cum omnes artes ratione vtantur, inter caeteras tamẽ logica à ratione nomen sortita sit, an id ex eo quia ratio non solum dirigere potest inferiorum partium actiones: sed etiam suas, si quidem mentis proprium est in se ipsam reflecti, quandòquidem se ipsam intelligit, & de suis actionibus ratiocinari potest, proinde rationalis haec facultas appellata fuit, non ex eo quod secundum rationem agat: id enim omnibus artibus cõmune est: sed quod circa ipsam Thomas i 1. textu 1. posteriorũ

rationis

rationis directionem versatur, propterea à nonnullis haud malè ars artium appellata fuit, cùm rationem dirigat, à qua suscipiunt ortum omnes artes.

LOGICAE DIVISIO.

2071 diuiditur autem in Dialecticam, & Rhetoricam.

SCEPTICORVM CIRCA DIALECTICAM OPINIO.

2072 Sceptici Dialecticam quoquè è medio prorsus tollere conati sunt, si quidem nullum Syllogismum esse dixere, alioquin Syllogismi, Syllogismus daretur, atquè sic in infinitum.

Sextus Empir.

HORVM EXPVGNATIO.

2073 sed quid prohibet ratiocinium artificiale, per ratiocinium naturale reperiri?

2074 proinde eos illudens Plato à quo se ortum habere profitentur, referente Dauide philosopho sic dixit, si quidem philosophate philosophandum est, si verò non philosophate, philosophandum est.

1. Priorū.

ANTHISTENIS CYNICI, ET EPICVRI OPINIO CIRCA DIALECTICAM.

2075 Anthistenes Cynicus, Epicurus, & istis prior Democritus Dialecticam prorsus spreuerunt, & in eius loco, eam philosophiae partem, quàm ipsi Canonicam dixere amplexati sunt.

Aristot. 7. Metaphy. Diogenes laertius in vita Epicuri.

HORVM EXPVGNATIO.

2076 sed qualiscunq; sit haec eorum philosophia Canonica, constat illos ob Dialectices ignorationem in maximos lapsos errores, hinc Anthistenes definitionem negauit, quem rectè praeterea coarguit Aristoteles, hinc Epicurus conclusionem saepius è propositionibus haud elicit, vt in eo, quod non sentit nihil ad nos, dissolutum nihil sensit, mors ergo nihil ad nos, hinc & idem Epicurus cū disiunctionem ex contrarijs veram esse negaret, omnem efficientiam praeterea fortuitis causis attribuit, proinde rectè illum stoicus tardum, rudem, & hebetem in Dialecticis dicere solet.

7. Metaph

Menedemi

MENEDEMI DIALECTICA.

2077 Menedemus, Platonis atquè Stilponis auditor Dialecticam solum in simplicibus, & affirmatiuis propositionibus cōstituit, sustulit .n. axiomata negantia, & cōposita. Diogenes

HORVM EXPVGNATIO.

2078 sed temerè ea sustulit, cum magnus vsus negationis, & positionum compositarum sit in Dialecticis.

STOICORVM DIALECTICA, IN QVA RECENSENDA TOTA FERE CHRISIPPI DIALECTICA RESTITVITVR.

2079 Stoici verò multum in ipsa Dialectica retexenda elaborarunt, quam cùm sub facultate logica sine dubio reposuerint proinde illam sub ea philosophiae parte contineri dixerunt, quam ipsi logicam ab actiua, & contemplatiua distinctam nuncuparunt. Philopon' 1. priorum

DIVISIO DIALECTICAE. IVXTA STOICOS.

2080 diuiserunt autem Dialecticam iuxta diuisionem orationis, quae quidem secundùm ipsos, vel est continua, vel inter respondentem, & interrogantem diffusa, hanc Topicam, illam Analecticam vocarunt. Seneca li. 14. epis. epis. 1.

ANALECTICA.

2081 et rursus Analecticam in duas partes secarunt, in verba nempè, tùm incomplexa, tùm complexa, & in res quae dicuntur, quas sub nomine praedicamentorum docuerunt.

PRAEDICAMENTA.

2082 quae quidem in quatuor distinxerunt, in substantiam nempè, qualitatem, aliquo modo se habentia, ac aliquo modo se habentia ad aliquid. Simplic. in c. de diuis. praedica.

NOMEN, ET VERBVM.

2083 nomen, & verbum sunt primae illae integrae articulatae voces de quorum significatione magna lis apud Stoicos viget, si quidem Chrysippus ait omne verbum ambiguum natura esse, quoniam ex eodem duo vel plura accipi possunt, Diodorus autem cui Crono cognomentum fuit nullum inquit verbum est ambiguum, nec quisquam Gellius li. xi. cap. xij.

ambiguum

ambiguum dicit, aut sentit, nec aliud dici videri debet quàm quod se dicere sentit is qui dicit, at cú ego inquit aliud sensi, tu aliud accepisti obscurè magis dictum, quā ambiguè videri potest.

ORATIO ENVNCIATIVA.

Amonius i c. de verbo Suidas.

2084 ex his simul compactis componitur oratio enunciatiua, quam ipsi in Symbama, & Parasymbama diuidunt.

PARASYMBAMA.

2085 Parasymbama est propositio, quae per se significationem non absoluit, & plerunquè fit per obliquos casus.

SIMBAMA, ET AXIOMA.

2086 Symbama verò, quod alio quoquè nomine axioma nuncupát, est quod significationem integram per se absoluit atquè saepius fit per rectos casus.

COROLLARIVM.

cap. de nomine.

2087 hinc apparet Stoicos à Peripateticis dissensisse, si quidē casum etiam nominatiuo tribuerunt, atquè id (vt adnotauit Amonius) ea ratione, quòd & nominatiuus quoquè ab animi cadat conceptione.

ΕΡΓΑ.

PRIMA AXIOMATVM DIVISIO.

2088 diuiditur autem ab ipsis primo Axioma in simplex, & compositum.

AXIOMA SIMPLEX.

Gellius li. 18. cap. 8.

2089 Axioma simplex, siue id proloquium simplex dicere placet huiusmodi est, Annibal poenus fuit, Scipio Numantiam deleuit, Milo caedis damnatus est, & similes propositiones simplices, quae aut verum, aut falsum necessario continent, & à Stoicis trifariam diuiduntur, nonnullae .n. definitae sunt, nōnullae indefinitae, nōnullae mediae.

Sex. emp. contra dialecticos.

2090 definitae sunt, quae per praefinitionem aliquam indicātur, vt iste homo, aliquis homo, omnis homo, & similes, indefinitae verò sunt in quibus dominatur aliquid indefinitum, & non terminatum, & ex eorum sententia tales sunt, sedet quispiam, ambulat quidam, & similes, mediae aūt sunt quae sic se habēt, homo sedet, aut homo ambulat.

2091 dicuntquè à definitarum veritate pendere veritatem mediarum, & indefinitarum.

in caeteris

2092 in caeteris nō animaduerti eos nullibi ab Aristotele dissentire praeterquam in contradictorijs, si quidem ad efficiendam contradictionem existimarunt negationem non esse ponendam ante verbum; sed solum ante totam affirmationem: inquiunt enim duplex esse non ambulare Socratem, aliquandò cùm toti enunciationi apponitur negatio, & ita propriam fieri negationem, aliquando cùm soli huic verbo ambulare, & tùm affirmationem esse, non negationem, vt Socrates non ambulat, hoc autem probant, eo quod nonnunquam possunt simul esse falsae Socrates ambulat, Socrates non ambulat: Socrate namquè non existente, non minus haec est falsa Socrates ambulat, quàm haec Socrates non ambulat. Alex. cap. pen. primi priorum.

AXIOMA COMPOSITVM, ET ILLIVS DIVISIO.

2093 compositum autem axioma diuidunt in cōnexum, quod Graeci Συνημμένον vocant, in coniunctum, quod illi συμπεπλεγμένον dicunt, & in disiunctum, quod ab illis διεζευγμένον nuncupatur. Gellius eadem. Philopon' 1. prior. in digr. de hypoteticis

AXIOMA CONNEXVM.

2094 Axioma cōnexum tale est si Plato ambulat Plato mouetur, circa cuius rectitudinem inter stoicos praecipuae altercantur (vt aiunt) Philōn & Diodorus si quidem, ex Philonis sententia tribus modis fit verum connexum, vno autem falsum. etenim quando à vero incipiens desinit in verum, verum est, vt illud, si dies est lux est, & quādo à falso incipiens in falsum desinit, vt illud si terra volat, alas habet terra, similiter & quod incipit à falso, desinit autem in verum, est verum, vt illud si terra volat, est terra, solummodo autem est falsum, quando incipiens à vero desinit in falsū cuiusmodi est illud, si dies est nox est. Sex. emp. contra dialecticos.

2095 ex Diodori autem sententia verum est connexum, quod neque contingit, cùm à vero incipiat desinere in falsum, quod quidem pugnare dicunt cum positione Philonis: nam huiusmodi connexum, si dies est, ego differo, si dies sit in praesentia, & ego differo ex Philonis quidem opinione est verum, quandoquidem incipiens à vero in verū desinit, ex Diodori vero opinione falsum, cōtingit enim

cum à vero aliquando inceperit, nempè dies est, desinere in falsum, nempè hoc ego differo, cum ego siluerim.

2096 rursus quod ita se habet, si nox est ego differo, si sit quidē dies, & ego sileam, ex opinione Philonis verum videtur, cum à falso incipiat, & in falsum desinat, sic & verum etiā erit si ego differam, secus autem ex Diodori sententia, cum à falsis incipiens connexum verum tùm sit, cum nō contingit in verum, vel in falsum desinere.

concordia Philonis cum Diodoro.

2097 quid autem si non discrepent? si quidem Diodorus (vt nos opinamur) Philonis sententiam aperit, & declarat.

CONNEXI DIVISIO.

2098 vnanimes autem omnes connexum diuidunt in diuersificatum, & ex differentibus, diuersificatum dicunt hoc si dies est, dies est: ex differentibus autem, si dies est, lux est.

AXIOMA CONIVNCTVM.

Gellius.

2099 coniunctum autem, vel copulatum dicunt quod est eiusmodi, Socrates, & sapiens, & iustus fuit, in quo si vnum est mendacium etiam si caetera vera sint, totum tamen falsum redditur.

Philopo. & Alex. 1. priorū in capite de mis. cōtin. cum inex.

2100 Chrysippus autē addidit ad haec, cōnexum à vero possibili incipere haud debere, si quidem tùm saepius in falsum desinit, vt possibile est Dionem mortuum esse, ergo possibile est hunc mortuum esse, ex quo dicto ex Chrysippi sententia constat falsam eam esse propositionē, quae asserit, posito possibili in esse nullū sequitur impossibile.

AXIOMA DISIVNCTVM.

2101 Axioma disiunctum huiuscemodi est, aut malum est voluptas, aut bonum, in cuius disiuncti natura explicanda dixerunt pugnantia inter se se ea esse oportere, quae disiungerentur, atque tùm alterā disiuncti partem necessario veram esse, alteram autem falsam, tota Stoicorum schola contra Epicuream asseruit.

ALTERA AXIOMATVM DIVISIO.

2102 diuiserunt iterum Axiomata in probabilia, possibilia, impossibilia, necessaria, & rationabilia, quae ipsi εὔλογα dixere, in quibus explicandis quoniam omnia, quae circa prouidentiam, & fatum dixerunt Stoici, sunt referāda, proinde

proinde ne limites egrediamur, vt alibi declarāda omittemus modo.

SYLLOGISMVS.

2103 ex pluribus autem axiomatis oritur Syllogismus, quem licet rectè Peripatetici, in cathegoricum, & hypoteticū diuiserint, Stoici tamen cathegoricum prorsus omittentes, hypoteticum solum amplexati sunt, proinde mirari desinat Galenus, cur Stoici Syllogismorum conuersiones paruifecerint. de plac. Hip. & Plat.

SYLLOGISMVS HYPOTHETICVS.

2104 in Syllogismi autem hypotetici natura demonstranda diuersis vocibus à Peripateticis vsi sunt: quod enim Peripatetici πράγματα, νοήματα φωνάς, res, animi conceptus, & voces dixerunt Stoici τυγχάνοντα ἐκφορικά, & λεκτὰ assequentia, pronunciatoria, & dicibilia appellarunt. Philopon. 1. priorum in digres. de syl. hyp.

2105 antecedens verò ipsi etiam Stoici ἡγούμενον nuncuparunt in hoc enim solo cum Peripateticis conueniunt, consequens autem quod Peripatetici ἑπόμενον, ipsi λῆγον, idest desinens, & connexum Peripateticum, ipsi τροπικὸν idest conuersiuum, & trāsumptionem Aristoteleam, ipsi πρόσληψιν idest assumptionem, & conclusionem demū ἐπιφοράν idest illationem vocarunt.

2106 diuiserunt autem huiuscemodi Syllogismos in concludentes, & non concludentes, concludentes iterum in demonstratiuos, & non demonstratiuos.

DEMONSTRATIO.

2107 caeterum rationes, quas ipsi demonstratiuas nuncupabant apud Chrysippum solensem quinque numero traditae sunt, quarum prima ex coniunctо, & antecedente desinens, seu consequens infert, vt si homo animal: sed homo ergo animal.

2108 secunda ex coniunctо, & consequentis opposito, antecedentis inferens oppositum, veluti si mundus est semper, mundus est ingenitus, atqui genitus ergo non semper.

2109 tertia quae ex negatione complicita, & vno eorum quae in complicito ponuntur, reliqui concludit oppositum, vt non disputat Plato in Liceo, & in Porticu: sed disputat in Liceo, ergo non in Porticu.

2110 quarta ex disiuncto, & parte disiuncti oppositum inferens reliqui, veluti aut est corporeus intellectus, aut incorporeus: sed incorporeus, non ergo corporeus.

2111 quinta ex disiuncto, & opposito partis disiuncti reliquā partem concludens, vt vel plures sunt mundi, vel vnus tantùm: sed non est vnus, ergo plures, & ex his absoluerūt Stoici totam rectam Dialecticam suam; Topicem enim omiserunt prorsus, & in ea nihil laborantes, si Ciceroni credimus, in sola iudicatione permanserunt: addiderūt tamen cauillationes quasdam, cuius numerum, & naturam modò sigillatim patefaciemus.

3. de finib. 1. Topic.

CAVILLATIONES.

2112 Cauillationes verò, ac disputandi tendiculae, quas ipsi adiecerunt, sunt illae rationes, quaestionesquè, quas dubias, contectas, aceruatas, corneas, nullas, mentientes & veras, negantes, metentes, & crocodolitas vocarunt.

Diog. laer. in vit. Chrysip.

DVBIAE.

2113 et dubiae sanè si ratiocinia sunt, minimè dubitandum est illa fuisse, quae ex equiuoco, & Amphybologia peccant, si verò controuersiae sunt, vt etiam mihi videtur Crocodolita (adnumerarunt enim Stoici inter captiones Sophisticas, tùm argumenta Sophistica, tùm controuersias inexplicabiles) dicimus illas fuisse eiusdem generis, cū ea de qua meminit Gellius lib. ix. quae talis est, de reo septem Iudices cognoscant, eaquè sententia sit rata, quā plures ex eo numero dixerint, cum septem Iudices cognouissent, duo censuerunt reum exilio mulctandum, duo alij pecunia, tres reliqui capite puniendum.

CONTECTAE.

2114 contectas illas arbitror de quibus meminit Aristoteles capite primo primi posteriorum, ratiocinia nempè illa de binario in manu clauso, contectaquè huiuscemodi Sophismata nuncupata sunt, eo quod res quaesita sub aliqua re tegebatur, vt praeterea concluderemus aliquem eandem rem scire, & nescire.

ACERVATAE.

2115 Aceruata ratio quam Graeci soritem dixerunt, de qua etiam meminit Cicero est argumentatio quaedam, qua quibusdam

Acad. quaest.

quibuſdam velut gradibus ad concluſionem peruenimus: hanc autem inter cauillationes adnumerarunt, eo quod ſaepius fallat, vt prima gutta non cauat lapidem, nec ſecunda, nec tertia, ergo gutta non cauat lapidem, & vt ſi neceſſarium ergo poſsibile, ſi poſsibile ergo non neceſſe, ergo ſi neceſſe non neceſſe, & ſimilia, & ſoriti non abſimilis climax, qui à latinis aſcenſus dicitur.

CERATINAE.

2116 Ceratinae, quas latinè corneas appellare poſſumus, de li. 1: Rhet.
quibus meminerunt Quintilianus, Lucianus, Gellius, in Sympo.
Politianus, & Seneca, ſunt ratiocinationes, quae anſas Miſcell. c.
quaſdam, atquè vncos Dialecticae perplexitatis habent, 50. lib. 5.
eaſquè ſic arbitramur appellatas à materia ipſa verborũ epiſt.
qua vterentur, ſicuti etiam eſt apud Senecam cum ait, ſederẽ occioſus, & eiuſmodi quaeſtiunculas ponerẽ: quod perdidiſti habes, cornua nõ pdidiſti, cornua ergo habes.

NVLIAE.

2117 οὔτινα verò. hoc eſt nulla ea dicebant Sophiſmata, ſi Sim- in praedic:
plicio credimus, in quibus concludendis fallacia ſecundùm accidens committitur, cuius exemplum hoc affert Seneca. mus ſyllaba eſt: ſed mus caſeum rodit, ſyllaba itaquè caſeum rodit.

MENTIENTES, ET VERI.

2118 Mentientes autem, & verae deceptiones ſunt quãdò quid
ſimul verum, & falſum oſtenditur, vt in hoc Ciceronis Acad.
exemplo. dico tibi mendacium, mequè tibi dicere men- quaeſt.
dacium aſſero, verum itaquè, & falſum ſimul dico, quod ſanè impoſsibile videtur.

NEGANTES.

2119 Negantes illos arbitror, in quibus ex puris negatiuis concluditur: exiſtimabant enim Stoici nunquam ex negatiuis verè poſſe concludi: ſed ſolum fictè, licet apud
Platonem reperiatur, quod non contingit rei ſubſtantiã, in Phaedro
non contingit etiam rei notionem, ſenſus non contingit rei ſubſtantiam, ergo nequè notionem.

METENTES.

2120 Metentes verò, vt ego opinor illos appellarunt, qui liberum arbitrium auferre penitus videbantur, eoſq; ſic nun-

cuparunt, à verbo metendo quod semper in eiuscemodi syllogismo adhibuerunt: sic enī (vt apparet ex Amonio) ratiocinabantur, si metes non fortè metes: sed metes omnino, & nisi metes eodem modo non forsitan metes: verum non metes prorsus, ergo ex necessitate, vel metes, vel non metes.

In sectione 2. perher: de futur. conting.

CROCODOLITAE.

2121 Crocodolita, seu serram dicimus fuisse perplexum id problema in Aegyptiaca fabula de muliere, quae dum cū filio secundum fluminis ripas ambularet, ei Crocodilus filium abstulit rediturū dicens, si verum mulier responderet, negauit illa fore vt redderetur, atquè ob id aequū aiebat reddi, at Crocodilus aequum aiebat non reddi, quod si redderetur, verum haud dixisset.

Quint. li. 1. Lucianus de auct. philosoph.

HORVM EXPVGNATIO.

2122 sed haec Stoicorum & praecipue Chrysippi Dialectica de qua dixerunt veteres, quòd si apud Deos esset Dialectica non alia foret, quam Chrysippea, mihi nunquam arrisit, cuius rei rationem, vt reddam à simplicioribus incipiendo dicimus primò in verborum, & nominum significatione, & Diodorum, & Chrysippū penitus errasse, quòd autē ad distinctionē praedicamentorū attinet, eos forsan tueri possumus, quod & Simplicius animaduertit.

Laertius in eius vita.

2123 dùm verò casum nominatiuis etiam tribuunt, eò quod & ipsi ab animi conceptu cadant, labuntur penitus: sic enim & verba casus habebunt, quin & aduerbia, quibus (ex Stoicorum etiam sententia) ne declinationes quidem sustinere insitum est natura.

2124 media quoquè axiomata inter praefinita, & impraefinita absquè ratione inuenerunt, si quidem homo est albus, est sicuti quispiam homo est albus.

2125 errant non minus in contradictorijs: nec enim vt ipsi dicūt ambae hae propositiones Socrates ambulat, Socrates non ambulat falsae sunt Socrate non existente, si quidem haud necessarium pro veritate propositionū subiectum significare rem existentem: si enim falsa est illa, qua dicimus Socrates non viuit, quia significat esse Socratem qui non viuit, hac eadem de caussa falsa erit, quae dicit

Socrates

Socrates mortuus est: significabit enim est Socrates qui mortuus est, quod perabsurdum erit.

2126 praeterea rectitudinem connexi, & disiuncti non rectè declararunt, quod inferius apparebit.

2127 dùm autem asserit Chrysippus connexum, quod à vero possibili initium sumit saepius esse falsum, à veritate penitus recedit, illa namquè propositio, qua dicimus posito possibili in esse nullum sequitur impossibile, vera semper est, si syllogistica ratio seruetur, quod non accidit in Stoicorum exemplo, si quidem in eo latius est antecedēs ipso consequenti. Alexād. & Philopon. in 1. priorū ca. de mis. cō:ing. cū inex.

COROLLARIVM.

2128 hinc & rectè dixit Aristoteles sophisticos eos esse posse syllogismos, qui contingens vt nunc pro medio termino assumebant: tum .n. latior esse potest ambobus extremis. ibidem

ΕΡΓΑ.

2129 deinde multiplex adest imperfectio apud ipsos in syllogismorum discursu.

2130 demonstrationem vero eos non rectè intellexisse paullò inferius liquido constabit.

2131 demùm qua ratione Topicem spreuerint non reperio.

2132 in cauillationibus verò effutiunt pleraquè: multa namq; superaddunt, in multis deficiunt, & multa confundunt.

2133 et primò cur soritem vt sophisticum adiudicauerunt? si quidem in affirmatiuis puris, in vniuocis, in nominibus primae impositionis, absquè transitu à concretis ad abstracta, & ab impraefinitis ad praefinita, & procul à fallacia, quam Graeci παρὰ μικρόν nuncupant, semper firmissimum est argumentandi genus, dicamus itaquè in re apud omnes antiquos adeo dubia, vt rectè exclamauerit ille „ depinge vbi sistam

„ Inuentus Chrysippe tui finitor acerui. Persius in vltima Satyra.

soritem optimum esse argumētandi genus, si omnes propositiones affirment, si voces equiuocas non assumamus, si nomina primae, & secundae impositionis, concreta, abstracta, praefinita, & impraefinita simul non confundamus, si deniquè fallaciam παρὰ μικρόν prorsus euitemus, quae condiciones ad pauciores etiā possunt reduci.

2134 sic mentientem & verum perperam inter argumentationes sophisticas adnumerarunt : quid enim prohibet quominus quis demonstratiuè dicat simul verum, & falsum, diuersa tamen ratione?

2135 negantem verò syllogismum prorsus inutilem asserimus, in illis in quibus praefinitio negatiua vbiquè ponitur, nam vbi praefinitio vbiquè negans non adest (quicquid garriant Stoici) Syllogismus negatiuus potest fieri validus, etiam sine vi affirmationis infinitae.

2136 quaererem praeter haec ab ipsis, quò pactò dubia, & crocodolita problemata inter cauillationes logicas recensuerint.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

2137 sed quaesitum est num ea problemata, quae veteres ἀντιστρέφοντα nuncuparunt, eadem fuerint cùm crocodolitis, & sanè non videmus nos quò pactò distingui possint. (Gellius li. 5. cap. 10.)

2138 quaerit & iterum Gellius num illud Biantis responsum, quo non esse ducendam vxorem admonuit, inter reciproca debeat adnumerari : est autem responsum id tale aut pulchram duces, aut deformem, si pulchram habebis communem, si turpem habebis poenam, neutrum autē bonum, non est igitur ducenda vxor, & in hac controuersia credunt multi dictum id reciprocum esse posse, idquè sic conuertunt, si formosam ducam nō habebo poenam, si deformem non habebo communem, ducenda itaquè vxor : sed me iudice responsum hoc ἀντιστρέφον minime videtur, si quidem Bias proposuit non esse ducendam vxorem propter alterutrum incōmodum, quod necessario patiendum erit ei, qui duxerit, qui conuertit autem non ab eo se defendit incommodo quod adest : sed carere se altero dicit, quod non adest. (cap. 11.)

ΕΡΓΑ.

2139 deniquè inter tot cauillationes quatuor solum inter syllogismos sophisticos adnumerari maerentur, dubios nēpè, si per eos controuersiam non intellexerunt, nullos, ceratinos, & contectos, mentientes namquè veri sunt, si veritas sumatur ex necessaria partium disiunctione : nō ex necessitate rei, ab alijs itaq; quęram' meliorē Dialecticā.

Ars Raimundi

ARS RAIMVNDI LVLLII.

3140 Raimundus verò Lullius Dialecticam quandam excogitauit, ex cuius recta cognitione omnes dubitationes solui posse arbitratus est, quandòquidem existimauit fieri posse, vt quarumdam vocum generalium exactissima cognitione de omnibus posset homo ratiocinari perinde atq; viginti quatuor characteribus omnes quot quot esse possunt exprimuntur voces.

HORVM EXPVGNATIO.

3141 verum illius artis futilitas ex eo conijcere licet, quod non procedit ex his, quae per se sunt, & quatenus talia.

PLATONIS, ET ARISTOTELIS VERA DIALECTICA.

3142 Plato demùm veram excogitauit Dialecticam, quam praeterea Aristoteles auxit, & prorsus absoluit, illamquè licet Plato interdum partem, interdum supellectilem, & instrumentum Philosophiae nuncupet, sibi tamen non repugnat, nec Aristoteli aduersatur, qui eam vti organũ quoddam appellauit, quo ad caeteras scientias aditus nobis patefieret. in Parmenide. in Phaedro lij. concordia.

DIALECTICAE ARISTOTELEAE ORDO IVXTA OPINIONEM ADRASTII APHRODISIENSIS, CICERONIS, RODVLPHI AGRICOLAE, ET PETRI RAMI.

3143 in illius autem ordine Peripatetici pugnant, si quidem inter veteres Adrastius Aphrodisiensis, & inter recentiores Petrus Ramus sic illius seriem statuerunt, vt prius Topicem proponerent, posterius autem caeteros Dialecticae libros, eaquè ratione moti id dixere, quod in vna quaquè arte priorem semper inuentionem ipsa dispositione (quam iudicium Dialectici nuncupant) videmus: quapropter idem, & in Dialectica concludendum affirmãt, quod & Platonicis, & Aristoteleis verbis confirmãt. Simpli. in prolog. ad praedica. schol. dial. in Phaedro 8. Top. c. 1: 3. Rhet. cap. 1.

HORVM EXPVGNATIO.

3144 verum si proposuit nobis Aristoteles in expendendis facultatibus, & scientijs hanc methodum, vt à primis 1. posterio.

principijs paullatim ad integrum subiectum, illiusquè partes progrederemur, hancquè semper seruauit, cur nō librum de interpretatione, & de syllogismo ante Topicem collocabimus?

2145 ipsorum autem rationes in artis solum peritia, praxiquè locum sibi vindicant, non autem in artis Theoria.

PRIMA PRINCIPIA DIALECTICES.

2146 à primis itaq; principijs ipsorum propositionum ex quibus praeterea syllogismus oritur incipiamus: rectè nāq; in politicis praecipit Philosophus à minimis doctrinae inchoandum esse, hinc vt optime Grammatica à literis, Geometria à puncto, Musica à Diesi, Arithmetica à Monade, sic & in Dialecticis ab incomplexis initium sumēdum est.

in p.

NOMEN.

2147 in quibus nomen verbo prius nobis occurrit: apertum est enim nomen esse in praeceptione verbo iure antepositum, cùm rerum substantias indicent nomina, verba verò actiones, & affectus declarent.

Amonius I 2.cap.1.de interpret.

2148 in nominum autem speculatione id prius vltrò offert sese nobis dubium à positione nè an magis à natura ipsa nomina fluant, in qua quidem quaestione considerandū est esse natura bifariam contingere; vel enim ita natura sunt nomina, vti caetera naturalia opificia, quod Cratilus, & Heraclitus crediderunt, vel ita vt naturae solum conuenientia sint, quod Plato existimauit, atquè hoc vltimo modo ea dicimus à natura pendere.

Amonius ibidem

2149 rursus cùm & positio quoquè duplex sit, altera namquè est, qua rem quamlibet vnicuiquè homini licet nomine quouis appellare, quò pactò positionem tuebatur Hermogenes, altera qua solum nominum authori recto, rerumquè naturalium perito nomina imponere licet, cur non nomina hoc vltimo modo erunt positione? quod Aristoteles à Platone haud discrepans fassus est.

Alex. l. 4. quaest.ca. 11.

liij. concordia ?

2150 verum si dantur ita nomina natura positionequè vti diximus, dabitur nè multiuocum, & aequiuocum? Pythagoraei namquè cum nomina naturalia crederent prorsus & aequiuoca, & multiuoca sustulerunt, si quidem

Simplic.in praed.in c. de aequiu.

vnum

vnum nomen, vnam rem natura dicere debet, & vna res natura vno nomine debet appellari: verùm quid prohibet aequiuocum iuxta proportionem?

2151 sic & cùm vnius rei plures possint esse imagines, cur non & vnius rei plura possunt esse nomina.

2152 quid autem si placeat etiam cum Pythagoraeis, & multiuoca, & aequiuoca negare. concordia Peripatet. cũ Pythag

2153 sed sciscitabere Equus, Arbos, Gorgon, & Syren significant nè eodem pactò aliquid? homonymè scilicet: nam prima significant aliquid quod est, secunda verò aliquid mente solum effingibile, & aliquid nunc ad id significandum, quod est accipitur, nunc autem ad id quod solum est effingibile mente: quapropter nominis diffinitio homonyma analoga est, vt & pleraequè aliae primò conueniens his nominibus homo Equus, & reliquis significantibus aliquid, quod esse potest, secundò his nominibus Atlas, Gorgon, Syren, & similibus significantibus solum aliquid effingibile. Faber. stapul. in cap. de nom. 1. perihera.

VERBVM.

2154 cùm autem nomen in propositionibus subijciatur, propterea verbum praedicati locum obtinet iure, hinc & rectè dixit Aristoteles, id esse semper eorum quae de altero praedicantur Σημεῖον quod quidem vocabulum, non copulam vt malè sentit Pomponatius: sed notam verti debet, ex quo datur intelligi verbum semper praedicatũ, vel partem praedicati occupare. c. de verbo

ENVNCIATIO.

2155 ex istis praeterea componitur enunciatio, quae est oratio affirmans, vel negans, proinde tres partes enunciationis facere subiectum, copulam, & praedicatum neotericorum est, analogias nescientium. materia, forma, compositum. subiectum, praedicatum, enunciatio.

2156 sed quaeri solet à Logicis num enunciatio genus, sit vniuocum, & sanè genus vniuocum eam affirmat Philoponus, cum is minimè existimet affirmationem, negatione priorem esse generi comparatam, sicuti neq; homo prior est Brutis generi comparatus, secus autem Aspasius, & Alexander sentiunt, cum id esse prius rectè dicant, à quo 1. priorum cap. 1. ibidem

non

non conuertitur subsistendi consequentia, quod quidem in affirmatione accidere compertum est.

2157 Amonius autem, & Boethius vtrosquè rectè sentire fatentur, quibus & nos adstipulamur, quò ad prolationem namquè enunciatio non est genus vniuocum, est autem vniuocum quò ad veritatē, sic & homo quoquè non vniuocè praedicatur de Socrate, & de Platone vti sunt indiuidua accidentalia, at vt essentiam hominis retinent vniuocè de illis praedicatur.

1. Periher. cap. 5.

concordia Alex. cum Philpon.

ENVNCIATIONIS DIVISIO SECVNDVM SVBSTANTIAM.

2158 diuiditur verò enunciatio secundum substantiam in cathegoricam hypotheticam, & modalem.

ENVNCIATIO CATHEGORICA.

2159 enunciatio cathegorica eo nomine nũcupatur, eò quòd illius summa vis est in ipso praedicato, proinde in negatiuis negatio penès ipsum praedicatum reperitur, ex quo dicto oritur res perscrutatione digna, cur nempè interdum negatio ante subiectum apponatur, vti videre licet in vniuersali, & particulari negatiua, cui dubio satisfacit Amonius, quòd negatio in impraefinitis propositionibus solum annectitur cum praedicato, vel cum praedicati parte, si quidem in his praedicatum nobilius est subiecto, secus autem in praefinitis, in quibus cardo, & caput praefinitio est: sed licet haec responsio bona sit, illam tamen Boethij, qui instantiam ex eo sustulit, quia tum propositiones ancipitem, ambiguumquè haberent sensum, meliorem arbitramur.

cap. 5.

ENVNCIATIONIS CATHEGORICAE DIVISIO.

2160 diuiditur autem cathegorica enunciatio in finitam, & infinitam.

ENVNCIATIO CATHEGORICA FINITA.

2161 finitae enunciationes sunt illae, quae terminos finitos habent, in quibus ea pulcherrima est quaestio, nec vllo pacto conniuentibus transeunda oculis, qua perquiritur num impraefinitae propositiones vniuersalibus aequipolleant

polleant nec nè, in qua quidem re enucleanda Syrianus animaduertit impraefinitas propositiones praefinitis comparatas materiae vicem gerere: praefinitio namquè veluti forma quaedam se habet, & propterea impraefinitam propositionem, vt ignobiliorem (ignobilior enim semper materia) ignobiliori praefinitae aequipollere ignobilior autem in affirmatiuis particularis, in negatiuis vniuersalis, si quidem haec vt poté quae totam existentiam dirimat imperfectior videtur particulari, ex qua tota existentia minimè corruit. Am.Sec.2. Boeth.c.6.

2162 verùm à vera ratione longè recedunt: nec enim in hac nobilitate qualitas rerum de quibus propositiones pertractant, consideratur: sed quantitate sola inter se propositiones comparantur, in quibus vniuersalis particulari, vt totum parti, non ascitis rebus de quibus decernunt praestantior est, & proinde Aristoteles ipse fassus est ambas ipraefinitas propositiones oppositas, falsas esse posse. cap.6.

2163 atquè vt libere dicamus in huiuscemodi re opinionem propriam, audacter affirmamus impraefinitam, siue in materia posibili, siue necessaria, nunquam vniuersali aequipollere, quod euarians videtur παράδοξον à cõmuni traditione scholae.

2164 in contradictione verò harum propositionum quaeri solet quò pactò altera pars necessario sit vera, altera falsa in futuris contingentibus, an id est indefinitè, & vt dicebat Boethius cõmutabiliter? & hoc ex rerũ natura, non ex nostra ignorantia, seu notitia, quicquid dixerint Stoicorum multi. cap.de fut. conting.

ENVNCIATIO CATHEGORICA INFINITA.

2165 enunciatio cathegorica infinita ea est, quae subiectum vel praedicatum habet infinitum, in qua altercantur Peripatetici num quid determinatum, vel indeterminatum per infinitum nomen demonstretur, & Alexander sanè significationem determinatam assumit: repugnant caeteri Graeci: sed omnes rectè sentiunt, nequè sibimet aduersantur. concordia Alex. cum caeteris Grae.

2166 ea quoq; pulcherrima est quaestio in his propositionibus

qua

qua quaeritur num propositiones negatiuae, ex nomine, & verbo solum confectae, si resoluātur per substantiuum verbum negatiuae nè an magis affirmatiuae sint appellādae, & nobis sanè placet eas affirmatiuas appellari debere, quod & Aphrodisaeus prius dixit.

Boeth. lib. 4. cap. 4.

ENVNCIATIO HYPOTHETICA, ET EIVS DIVISIO.

2167 est autem Hypothetica enunciatio propositio conditionalis, seu composita, in qua veluti in vno corpore plures enunciationes simplices, & cathegoricae sunt coagmentatae, & vno communi vinculo colligatae, estquè vel copulata, vel relata, vel connexa, vel disiuncta.

Boethi. de Syll. Hyp.

ENVNCIATIO COPVLATA.

2168 enunciatio copulata, seu coniuncta nomen habet à coniunctione (vt Grammatici dicunt) copulatiua, estquè cū partes illius coniunguntur coniunctionibus, atquè, ac, &, similibusquè, cuius affirmatio semper, & negatio ex vinculo affirmato, & negato sumuntur: cōtradicunt igitur, & dies est, & lux est, nō & dies est, & lux est: non autē hoc modo, & dies est, & lux est, & dies non est, & lux nō est quia posterior enunciatio, non est negatio prioris affirmationis, quin & negatio nullo modo dici potest, quia principale vinculum non negatur, dicant quicquid volunt nonnulli, & ad huius falsitatem astruendam, vna tantummodò pars falsa sufficit.

ENVNCIATIO RELATA.

2169 enunciatio relata dicitur à notis relationis, quae interdum sunt nomina, vt qualis, talis. interdū pronomina, vt is qui. interdum aduerbia, vt eò, quò, tum, cùm, tandiù, quamdiu, quae quidem notae, quoniam praecipuum ius affirmationis, & negationis obtinent, contradictionem etiam indicant, vt quales in Repub. principes sunt, tales solent existere ciues, & huius negatio contradictoria est non quales in Repub. principes sunt, tales solent existere ciues, si autem ita dixeris, quales in Repub. principes non sunt tales non solent existere ciues, negatio non erit quia vincula negationis non negantur, licet partes sigillatim negentur, vtquè in copulatis, sic in relatis enunciationibus

tionibus veritas aestimatur.

ENVNCIATIO CONNEXA.

1170 enunciatio connexa, quae ab Aristotelis interpretibus enunciatum συνημμένον à Cicerone connexum, in scholis passim hypotheticum, & conditionale à coniunctione conditionali, vt Grammatici loquuntur, vocatur, affirmat si ita pronuncietur si dies est, lux est, negat sic, nō si dies est lux est, vbi vinculum si negatur, & propterea non satis rectè existimauit Boethius partem enunciati compositi consequentem negandā esse, vt verè negetur: sed oportet toti enunciato negationem proponi, vt vinculum quod sententiam coniungit, negatione afficiatur, affirmatio namquè significat, antecedente posito, consequens etiam futurum, negatio verò affirmationem destruendo, significat antecedente posito, non propterea futurum esse consequens, & ideo nequè ni, nequè nisi apta sunt ad negationem, siquidem tùm negatio toti orationi praeponitur, vti nisi mensis erat, secula non erant.

1171 catholica verò regula de duplici iudicio connexae enunciationis haec est, vt alterum sit scientiae, alterum opinionis, si enim connexio absolutè vera sit, iudicium erit scientia, idest connexio necessaria, & certa iudicabitur, connexionis autem necessitas, non pendet ex partium necessaria veritate: sed ex necessaria conditione partiū: hoc enim verbum si, non significat partes esse veras quae iunguntur: sed sententiam consequentem antecedenti esse aliqua conditione connexam, itaquè possunt omnes partes esse falsae, vt tamen eorum consecutio necessaria sit, vt si homo est lapis homo non est animal, vbi cum partes sint falsae conditio tamen vera iudicatur, at si cōditio tantùm probabilis fuerit, enunciatio tantùm probabilis iudicabitur, & eius iudicium erit opinio nō scientia, vt si homo febricitat, statim morietur.

ENVNCIATIO DISIVNCTA.

1172 disiuncta demùm enunciatio definitur à vinculo disiunctionem significante, vt aut, vel, & similibus, & distinguitur similiter in affirmationem, & negationem ex ratione-

ratione vinculi affirmati, aut negati, affirmatio verò significat, si duabus propositis partibus alterutram veram esse non vtramque, aut dies est, aut nox est, negatio significat, non esse necesse, cur alterutrà vera sit.

2173 regula verò iudicandi de enunciato disiuncto desumitur ab huiuscemodi distinctione, disiunctum duobus modis intelligitur absolutè, aut ex suppositione, absolutè verùm ex duabus circunstantijs cognoscitur, si ex oppositis medio carentibus, vel ex priuantibus in quibus nihil sit intermedium efficiatur, at ex hypothesi non est simpliciter necessarium, nec vtitur talibus oppositis, vt aut Cluentius iudicium corrupit, aut Oppianicus, quamobrem cùm de disiunctione absolutè vera iudicamus, scientia est, cum de disiunctione ex hypothesi, opinio tantùm non etiam scientia.

Arist. c. 5. l. x. Metaphy.

2174 sint autem ea quae modò sequuntur tanquam Appendix ad proximè dicta, necessitas disiunctionis non accipitur ex necessaria partium veritate: sed ex necessaria partium oppositione, vt exemplum docet, homo est bonus, aut non est bonus, haec sanè disiunctio est necessaria, quia fit ex duabus partibus inter se contradictorijs, vt necesse sit alterutrā esse veram, neutra tamen harum partium necessaria est: sed ambae sunt contingentes, & proprerea malè Epicurus (quem Stoici in Dialecticis, tardum, rudem, & hebetem dicere solebant) cum omnem efficientiam fortuitis caussis attribueret disiunctionem ex contrarijs veram esse negabat, Diodorus verò Stoicus, cum omnia vera necessaria, omnia falsa imposibilia esse diceret, qualis esset necessitas disiunctionis, & vndè sumenda esset, ignorauit. Chrysippus item deceptus est, cū sic ageret, necesse est omnem enunciationem veram esse, aut falsam, ergo in contradictione rerum enunciatarum, pars altera necessario vera, altera falsa erit necessario. Cicero demùm horum Philosophorum sententias disceptans ad scopulos logicae disiunctionis vehementer etiam impingit, existimans si disiunctio necessaria sit, partem eius alterā verā esse necessariā, alterā falsam esse imposibilē, itaq; nō minus peccat, quā hi, quos ipse coarguit.

Cicer. in Lucullo.

de Fato.

Enunciatio

1175 in enunciationibus autem modalibus à doctißimis viris saepius quaesitum video, num eorum diuisio à materia, vel à modo, vel ab vtroquè sumi debeat: si enim iuxta materiam tantùm sumitur diuisio ista, homo est animal minimè propositio necessaria dicenda erit, & ista similiter, contingens est omnem equum hinnibilem esse, quòd perabsurdum est, sin verò iuxta modum, necessaria erit haec, necesse est hominem esse album, & haec contingens, contingens est hominē esse animal, si demùm iuxta vtrumquè, nulla dabitur propositio falsa, praesertim in necessarijs, nec satis sciemus, sub quibus debeant istae reponi, necesse est aliquem hominem currere, contingit omnem hominem animal esse, quae modum à materia dissonum habent, nos autem vt haec complanemus, diuisionem istam asserimus, tùm iuxta modos, tùm iuxta materiam factam esse, & ex hoc minimè difficile est contrarijs satisfacere: falsa namquè haec erit, necesse est nullum hominem esse animal, & illae quarum modus à materia discrepat, tùm iuxta materiam, tùm iuxta modum poterunt appellari secundum quid.

1176 in sequela verò harum propositionum subdifficilis oritur quaestio, nam si necessitatem sequitur possibilitas, nō necesse autem possibilitati confine est, cur necesse esse, non sequitur id quod dicimus non necesse esse? an quia ita differunt necesse esse, & non necesse esse, vt affirmatio, & negatio? necesse autem esse possibilitas affirmata tantùm sequitur, non etiam negata, quòd & Theophrastus animaduertit. Boeth. lib. vltimo. Periher.

1177 dubitatur non minus circa negationes harum propositionum ab Aristotele propositarum, quò pactò dixerit negationem apponendam semper esse ante modum, vt diuidatur veritas: nam hae videntur ambae falsae homo est leo necessario, homo est leo non necessario: sed quid prohibet quòminus negatiua sit vera, cum subalterna sit illius, quae dicit impossibile est hominem esse Leonem? sicuti etiam vi suae vniuersalis negatiuae vera est illa, quę dicit non omnis homo est pennatus.

Syllogismus

SYLLOGISMVS.

2178 ex propositionibus demùm componitur Syllogismus, qui quidem ab Aristotele rectè diffinitur, vt sit ratio (sic enĩ vertimus cum Burana λόγος) in qua positis quibusdam alterum quid à positis necesse est contingere, quam diffinitionem conati sunt nonnulli recentiores prorsus infringere, vt eam, quae minimè propria sit, si quidem existimarunt eum qui sic disputaret, venti incubuere mari, crebris micat ignibus aether, densi funduntur ab aethere nimbi, ergo tempestas est, omnes regulas ab Aristotele requisitas seruasse, nequè tamen Syllogismum effecisse: sed non ne minutis logicis manifestum est, in eò ratiocinio conclusionem non oriri ex antedictis solum? verum sicuti etiam in caeteris monolemmatibus, addendã esse vniuersalem illam propositionem, vbi venti incubuere mari, & crebris micat ignibus aether, & densi fundũtur ab aethere nimbi, semper tempestas est.

1.priorum cap. 2.

Petr.Ram. in scho. dialec. ad li. 1.priorum & 1 par. 2. suae logicae 1 diffi. syll.

FIGVRAE SYLLOGISMORVM.

2179 figurae autem Syllogismorum tres sunt, in quarum prima affirmatiue, negatiue, vniuersaliter, & particulariter concluditur, in secunda vniuersaliter, & particulariter negatiue, in tertia particulariter, seu affirmatiue, seu negatiue, rursus in prima terminorum ordo maximè naturalis existit, si quidem in hac medius terminus non solum habitudine: verùm etiam ordine ipso, ac positione est medius, atquè communis, cum in maiori propositione subijciatur, in minori verò praedicetur, in secunda vero de vtrisquè dicitur, in tertia vtrisquè subijcitur, ex quibus melius ni fallor assumemus figurarum diuisionem, ac Platonici, qui primam animae rationali, eternis ignobiliori, corruptibilibus nobiliori, secundam naturae rebus semper subiectis nobiliori, anima tamen ignobiliori, tertiam materiae, quae omnibus semper subijcitur, & omnibus est ignobilior, proportione respondere dixerunt.

Philop. in 1. figura.

2180 errauit itaquè Petrus Ramus, qui figuras Syllogismorum ordine praepostero collocatas fuisse audacter nimis dixit, quod tertia figura simplicissima sit, & natura prima, si quidem

Schol. dialec. lib. 7. cap. 5.

si quidem prius est argumētum praecedere tantùm, quod tertia figura fit, quàm consequi tantùm, quod fit secunda figura, quàm etiam praecedere simul, & consequi, quod fit prima, vnde ex illius sententia naturalis ordinis argumento, tertia figura primo loco debet esse, secunda secundo, prima tertio: sed haec contra Aristotelem nullius sunt ponderis.

2181 addidit autem Galenus quartam figuram in cuius maiore praedicatum in minore subijcitur: sed illum optimè refellit Auerroys: vel enim habet haec figura idem quaesitum cum prima, atquè tùm nulli dubium esse debet, figuram hanc à prima nullo differre interstitio: nec enim ex eo quod maior propositio postponatur, minor autem praeponatur, ideo dicendum est figuram, coniugationemquè variatam esse, vt imperitiores autumant, vel quaesitum concludit determinatum, separatumquè à prima figura, atquè tùm cum praedicatum quaesiti subiectum sit in conclusione, & subiectum praedicatum, palàm est naturalem ordinem in concludendo non seruari, quem tamen vbiquè Aristoteles amplexatus videtur, cùm omnibus ferè Peripateticis. 1. priorum c.8. & c.23

EPPA. PRIMA FIGVRA.

2182 prima verò figura quae caeteris est nobilior, duabus determinatur regulis, quarum altera est, vt maior vniuersalis sit, altera, vt minor semper affirmet.

2183 sed maximè inuicem altercantur Peripatetici, num illi, quos Graeci Ἀνταναλογμένους, hoc est refractos vocant qui quidem numero quinque à Theophrasto primae figure additi sunt, sint recipiendi, nos quidem sic iudicamus vt si naturalem dispositionem praedicati ad subiectum respiciamus, eos prorsus reijciendos esse, sin verò artificiosam quoquè dispositionem amplexemur, accipiēdos, quos & Aristotelem cognouisse fatemur. Peripateticorum cōcordia

COROLLARIVM.

2184 atquè sic forsan in numero figurarum Syllogisticarum, Galeni, & Auerroys lites componemus. Peripateticorum cōcordia cū Galeno

EPPA. SECVNDA FIGVRA.

2185 in secunda figura vt efficiamus vtiles coniugationes,

maiorem vniuersalem, & praemissarum alteram negatiuam efficere oportet: neque enim ex ambabus affirmatiuis in secunda figura necessario quicquam sequitur: nâq; si propterea quod altera propositione conuersa, secunda in primam traducitur figuram, ob idquè rationes secundae habent euidentiam concludendi, cum in hac complicatione, altera cõuersa semper maior in parte efficiatur, quod primae figurae rationem penitus disturbat, nõ immeritò Syllogistica nullò pactò futura est, quod Philopónus animaduertit.

Philopon'

2186 sed perscrutatione dignum est num in hac figura extremitates, natura nè an ingenio discriminentur, in qua quidem re Hermninius sic sensisse videtur, vt naturalis esset tum maior, tum minor extremitas: si enim inquit sub eodem genere vtraquè sint extrema, maior extremitas ea erit vocanda, quae generi proximior est: sin vtriquè termini à genere sint aequè distantes, is erit maior de quo medius terminus seorsum dicitur: si verò diuersorum generum exititerint, maius erit exstremum, quod suo generi proximius erit, sin & aequaliter à proprijs generibus seiungantur, is erit limes maior de quo praedicatum siue sit per se, siue per aliud generi propinquius est.

Alexander

2187 caeterum inquit Alexander, quaestio haec praeterquam quod curiosa est veritati etiam aduersatur: semper enim in negatiua maior erit extremitas, quod tamen perabsurdum est, cùm etiam modus secundus istius figurae in affirmatiua maius retineat extremum, quibus dictis & nos quoquè adstipulamur, & propterea in hac figura, extrema, non natura: sed situ talia esse intelliguntur.

2188 verùm si non semper natura in hisce figuris consideratur, cur quartam Galeni figuram reiecimus vt non naturalem? an quia licet termini in his figuris interdum natura tales nõ sint, eruitur tamen semper secundum naturam conclusio, quod in Galeni figura desideramus.

TERTIA FIGVRA.

Burana

2189 vltimus tertiae figurae locus adscriptus est, nec immeritò, nam & medij positio hac in figura vilissimum obtinet locum, cum vtriquè subijciatur extremo, & conclusio

vniuerſalis haud concluditur, & viliſsimae arti deſeruiunt formulae iſtae, cùm decipulorum ars ſaepius harum complicationibus abutatur, huius autem conditiones ac leges ſecundum nonnullos binae ſunt, quorum altera eſt, vt minor affirmatiua ſit, altera vt concluſio particularis colligatur; ſed melius forſan erit ſi dicamus vnam tantùmodo regulam hic haberi, primam nempè, ſi quidem complicationum leges nullò pactò ad concluſionem referuntur.

CONVERSIO PROPOSITIONVM, ILLIVSQVE DIVISIO.

2190 cùm autem ſecunda, & tertia figura à perfectione primae cadat, proinde reperta eſt conuerſio propoſitionum, ob quam Syllogiſmus ſecundae, & tertiae figurae ad primã traducere poſſemus, quae quidem conuerſio, vel ſimplex eſt, vel ſecundum accidens, vel cum oppoſitione.

CONVERSIO SIMPLEX.

2191 conuerſio ſimplex eſt vbi eadem propoſitionis quantitas & terminorum qualitas ſeruatur, ſeries verò non eadem, atquè ſecundum hanc vniuerſalis negatiua, & particularis affirmatiua conuertuntur, circa quam determinationem oritur dubitatio: nam cùm omnes Logici fateantur conuertentes, & conuerſas propoſitiones iuxta logica decreta in veritate, & falſitate conuenire, propterea negarunt nõnulli negatiuam vniuerſalem poſſe ſimpliciter reflecti: ſi quidem interdum conuerſa vera, conuertens falſa & ſecus, vti nullus paries eſt in paxillo, nullus paxillus eſt in pariete, nulla amphora in vino, nullum vinum in amphora, nullus ſenex erit puer, nullus puer erit ſenex & ſanè primis duobus obiectis ridiculè ſatisfacit Philoponus, qui conuerſionem ſic debere fieri arbitratus eſt, nullum quod in paxillo ſit eſt paries, nullum quod in vino ſit eſt amphora: quis enim non videt in conuerſa aliquid eſſe additum, proinde dicamus melius conuerſionem hanc locum vendicare ſibi in ſymbamate, & requirere conuerſionem totius praedicati, totiuſq; ſubiecti, ex qua poſtrema conditione rectè Philoponus ſatisfacit poſteriori obiecto.

Philopon. 1. priorum cap. 2.

2192 destruunt rursus nonnulli conuersionem simplicem in particulari affirmatiua instantia simili, aliquis ignis est extinctus, nec tamen rectè retrocedit propositio, aliquod extinctum est ignis, cui oppositioni dicimus verbum substantiae bifaria praedicatione dici, quarum altera per se, altera per accidens dicitur, cùm per se praedicatur existentiam simplicem notat, cùm verò per accidens indicat existentiam secundùm quid, dicimus itaquè in recta, legitimaquè conuersione eandem verbi naturam obseruandam esse, quod in supradicta conuersione factum non erat.

2193 sed quaeri solet cur nō etiam particularis negatiua hanc conuersionem suscipiat: si enim nullum a est b, nec aliquod a erit b, siquè nullum b est a, nec aliquod b erit a; sed facile huic quaestioni satisfactum iri puto, si dicamus particularem negatiuam, vel à sua vniuersali veritatem suscipere, vel non, siquè ab vniuersali assumat veritatem procul dubio conuertetur & ipsa, secus autem si ex se vera sit, proinde hae ambae sunt falsae nullum animal homo, nullus homo animal, particularium autem altera falsa, aliquis homo non est animal, altera vera, aliquod animal non est homo.

CONVERSIO PER ACCIDENS.

2194 conuersio per accidens fit vbicunquè quantitas propositionum mutatur, & hoc pactò conuerti solent, vniuersalis affirmatiua, & negatiua.

2195 sed quo pacto etiam vniuersales conuerti possunt, si haec est falsa omne animal homo, haec autem vera aliquis homo animal: debet enim vtraquè iuxta catholica conuersionum praecepta in veritate, vel in falsitate conuenire: sed si hoc intelligi debet, ita vt legitimus Syllogizandi modus seruetur, cur absquè labe canonis ex falsa cōuersa vera conuertens elici non poterit?

CONVERSIO PER CONTRAPOSITIONEM.

2196 conuersio per contrapositionem, quam Aristoteles in Topicis Εχαιτπιλς vocauit, fit vbicunquè termini finiti in infinitos mutantur, & per hanc iuxta Boethium conuertuntur

2. lib. de Syllog. cath.

conuertuatur vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua, ab hac verò conuersione particularem affirmatiuam seiunxit Boethius, quòd interdum in ea falsitas, & veritas in conuertente, & conuersa simul non erant, haec enim planè falsa. quidam homo est lapis, cùm tamen conuersa vera sit. quoddam non lapis est non homo: sed mirum hercle videtur, cur hoc exemplo id tàm audacter asseuerauerit summus iste vir: nec enim existimo eum eius animi extitisse, vt arbitraretur falsitatem semper in vtraquè propositionum seruandam esse, cùm vt superius diximus posit esse conuersa falsa: vera tamē conuertēs.

2197 & in hac quoquè conuersione sunt nonnulla soluenda: vera est enim haec si Dion nauigat, contingit ipsum bene nauigare, falsa tamen conuersa: nec enim nisi bene nauiget, non contingit ipsum nauigare: sed si dicamus haec non procedere in contingentibus, obiectio facile tollitur. Simp. in 3. digres. p. de coelo.

2198 dubitatur & rursus quòd & Aristoteles alibi dū hac conuersione videtur vti, sic ratiocinatur, si animal est caussa respirandi non animal est caussa non respirandi, quò loci ab antecedente facit conuersionem nō à consequente, an quia ibi propositione simpliciter non est vsus? & ideo non dicit si negationem sequitur non esse, affirmationem sequitur esse: sed solum capit caussam, & caussatum, quod Philoponus videtur dixisse, an melius dixit Scotus id ex eo esse, quia loquebatur de caussa vt ipse dixit praecisa? quod etiam alibi dixit Auerroys. Philopon. 1. posteri. cap. x. in 1. poste. 1. de Anima ca. 13.

2199 quaeritur demùm in conuersionibus num Syllogismus conuertens, & conuersus ijdem sint appellandi, quam quaestionem nos sic absoluimus penes materiam eosdem esse, secus penes formam.

MIXTIONES.

2200 in mixtionibus difficillima est illa quaestio, qua quaeritur quò pactò in mixtione necessarij conclusio inferatur necessaria, cùm & aliàs dixerit Aristoteles non tenere hoc ratiocinium a praedicatur in quid de b, & b est in c, ergo a praedicatur in quid de ipso c, an facillimè omnia possunt sedari, si dicamus illationem sequi necessariam 1. posteri. cap. 4.

in virtute medij, sic vt dicatur maius de minori necessariò non quatenus est minus extremum: sed quatenus est aliquid ipsius medij, proinde non dissenserunt in hoc Theophrastus, & Aristoteles.

concordia Theophr. cum Arist.

SYLLOGISMVS HYPOTHETICVS, ILLIVSQVE DIVISIO.

2201 Syllogismus hypotheticus est apud Peripateticos, qui ex propositionibus hypotheticis componitur, cuius partes sunt antecedens, consequens, connexum, transumptum, & conclusio diuiditurquè summè in ex toto hypotheticum, qui ex duabus propositionibus, & conclusione hypothetica componitur, & in non ex toto hypotheticum.

Philop. 1. priorũ in digr. d̄ syl. hypothet.

2202 in hoc posteriori capite mixti sunt, qui vti Philopono, & Albumasari placuit diuiduntur in coniunctos, & disiunctos, & primorum nonnulli positione antecedentis consequens affirmant, nonnulli verò consequente sublato antecedens tollunt.

2203 disiunctorum autem, hi quidem in rebus medio carentibus, illi autem in rebus media suscipientibus struuntur, atquè vltimi per alternatiuam minimè componi debẽt: sed per negantem connexionem.

DIVISIO.

2204 circa diuisionem duae fuerunt antiquorum opiniones, vna quod putarent diuisiuo ratiocinio posse definitionẽ demonstrari, altera quòd existimauerint diuisionem Syllogismum esse, cùm tamen in hac medius terminus, sit latior, ac par esset.

Arist. 1. priorũ 2. sect. c. de diuis.

2205 nequè tamen prorsus sperni debet, si quidem multis in rebus rationalibus vtilis est: hac enim definitionem venamur, haec totum in partes, & aequiuocum in sua significata diuidit, haec non solum logicis negocijs: sed & vniuersae Philosophiae maximè conducit, adde quòd & Auerroys dicebat diuisionem aptissimam esse ad primas suppositiones demonstrandas, vndè non ab re dixerunt illi, qui ignem à Prometheo hominibus impertitũ diuisionem esse asseruerunt: sicut enim ignis secernit ea quae sunt eiusdem generis ab ijs, qui sunt alterius, ita & diuisio, & propterea non falsò interpretati sunt nõnulli

Plato in phaed. & 1 7. de Rep. Alcinous de dog. plat. Proc. in 7. de Repub. in cap. de diuis. 1. priorum

Prometheum

Prometheum diuisionis authorem fuisse.

1206 et quid erit tandem si diuisionem ipsam Syllogismum quoque cũ Platonicis, & Peripateticis affirmamus? medius namque terminus si cum transumpto sumatur, minimè latior erit ac par sit. liiij. concordia

CONSEQVENTIAE.

1207 in consequentijs illud perscrutatione dignum videtur, cur dixerit Aristoteles consequentiam bonam fieri, si ab affirmatione infinita ad negationem simplicem transeamus: videtur enim hoc aliquandò falsum, si quidem non tenet consequentia homo potest non ambulare, ergo nõ potest ambulare (quod de Adam dixit D. Augustinus) dum eum potuisse non mori asseuerauit, non autem non potuisse mori, propterea sic dictum Aristotelis coarctãdum arbitramur, vt dicamus illius consequentiae regulas in illis propositionibus falsas reddi, in quibus verbũ potentiam indicans reperitur. 1. Genesi

INDVCTIO.

1208 Inductio fit cum à singularibus ad ipsum vniuersale progredimur, in qua quidem prae caeteris adnotandum est deceptiones contingere saepius in negationibus vt in exemplo prima gutta non cauat lapidem, nec secunda, nec tertia, nec quarta, & sic de omnibus alijs, ergo nulla cauat, & propterea nõn fuit concauitas ista lapidis à guttis facta, quod est falsum: has autem obratiocinationes sorites vocabãt antiqui, quasi sermones coaceruatinos. Arist. 2. prior. cap. de induct. Simpli. 8. physi.

ABDVCTIO.

1209 Abductio est qua semouemur, & abducimur à proposito ad minorem obscuram propositionem monstrandam, in qua quidem re duo sunt animaduertenda, quorum alterum est, vt minor haud multò notior sit conclusione: tũ enim non ἀπαγωγὴ sed ὑπαλλαγή potius esset, alterum vt adeo non sit obscura, vt ad illius probationem multa media requirantur: tùm enim ὑπέρβασις potius ac trãsgresio nuncupanda esset.

INSTANTIA.

1210 instantia nunquam in plus habere se debet, quàm propositio contra quam stat, solumquè contra propositiones

2. priorum cap. de instant.

obijci solet, si quidē vt rectè Philoponus adnotauit, conclusionis non instantia: sed refutatio dicitur.

SYLLOGISMI FORMA, ET EIVS DIVISIO.

2211 ex his itaquè de Syllogismo simpliciter, qui materiei proportione respondet cum nullā habeat formam pertractatum satis sit, reliquum est itaquè vt Syllogismi formam perpendamus, formam dixi, eo quod Syllogismus in genere materiei respondet, qui praeterea triplicem formam suscipere potest, quod inter omnes Aristotelis interpretes solus Philoponus animaduertisse videtur, proinde rectè libros de Syllogismo simpliciter priores inscripsit Aristoteles, cum in illis de genere Syllogismi disputaret, in quibus verò de specie agitur posteriores nuncupauit, nec absquè ratione: genus enim antecedit species.

Philop. in alijs com.

2212 est autem Syllogismi forma, vel demonstratiua, vel Topica, vel Sophistica.

DEMONSTRATIVVS SYLLOGISMVS.

2213 demonstrationem affectanti praecognita, & praecognitiones firme respectu conclusionum, illationumq; praenosse necesse est, illi namquè qui nesciat quid vocabulis propositionis significetur, veraequè sint, an falsae propositiones assumptae, quamdiu id nesciat aliquid demonstrare est impossibile, & praecognitionum, vna quidem praecognitio si est, siue quod est appellatur, altera vera praecognitio quid est, praecognitorum autem numerus, termino subiecto nempè, affectione, & axiomate diffinitur.

Arist. 1. post. c. 1.

2214 et de subiecto sanè quid, & quod praecognosci debet: sed quaeritur num de subiecto quid nominis, vel quid rei praecognosci debeat, in qua quidem quaestione omniū ferè latinorum fuit opinio, in demonstratione simpliciter, vt potè in ea in qua medium est subiecti definitio, quid rei de subiecto praecognosci debere, in demonstratione verò à posteriori quid nominis, cum in ea medium non sit definitio rei: non est attamen vt hanc sententiam amplexemur si quidē & Aristoteli, & rationi cōtradicit, illec

1. c. t. 2.

ille nàquè palàm faſſus eſt de ſubiecto quid eſt, quod dicitur oportere praenoſcere, quicùm & Themiſtius ipſe conſentit: haec autem nobis ſuadet praecognitionem ſubiecti tanquam dirigentem aſſertionem, à praecognitione quid rei tanquam ab agente aſſertione diſtinguendam eſſe, quod ex eorum dictis, quomodo fieri poſsit non video.

2215 poſſumus tamen abſquè contradictione aſſerere de ſubiecto interdum quid rei praecognoſci, quod in mathematicis manifeſtum eſt.

2216 dubitant & iterum latini an de affectione quid rei, vel quid nominis praecognoſcatur, cui problemati ſatisfaciunt nonnulli hac diſtinctione, quòd vel demonſtramus eſſe paſsionis, & tùm ſatis eſt addiſcenti anticipatio quid nominis, cùm quid rei affectionis ſit ineſſe ſubiecto, vel indicamus quòd affectio inſit ſubiecto, & tùm quid rei praenoſcitur; ſi quidem affectionis inexiſtentia ſupponitur: ſed haec opinio vltrà caetera incommoda in eoſdem laqueos incidit, in quos, & ſuperior.

2217 de axiomate demùm quòd verū ſit praeſentire debemus, licet cùm Ariſtotele ipſius axiomatis antecaptam quandam in animo quid nominis informationem, ſine contradictione concedamus.

2218 axiomatum verò προγνώσεις, & προλήψεις generales, & vniuerſales ſunt, vndè ſpeciales illis comparatae protinus concipiuntur, & concluduntur, propterea iam liquidò conſtat, quid ſine contradictione poſſe ſciri, & neſciri, vnde & cauillum in Menone prorſus corruit, nec tamen Platonis dictum improbatum eſt. lr. concordia.

2219 ſed contradicit nè ſibi Ariſtoteles, qui poſtea vt prima doctrinae principia defendat ad αἰσθητὰ παραδείγματα & ἐπαγωγὴν ſenſum nempè exempla, & inductionem recurrit? an magis diſtinctione quadam ſibimet conſtat: vlt. cap. 2. poſt. ſi quis enim adoloſcens aetate, & vſu rerum nonullo iam prouectus ad Philoſophum venerit, generales forſan, & vniuerſales notiones aliquas in ſcholas attulerit, ex quibus ſpeciales à magiſtro cōdiſcat: ſi verò Menonis quaeſtio de infante moueatur, qui nullas notitias rerum impreſſas

pressas animo, & insculptas per vsum habeat an illo modo Menonis dubium dissolues? nequaquam opinor: verùm ad alia principia confugies.

2220 quod etiam nec Platoni repugnat, vt aliàs declarabitur.

lvi. cōcordia.

2221 verùm si nobis illationem à generalioribus ad particulariora suadent omnes Philosophi cur secus Aristoteles? an quia loquitur ipse in Syllogismis perfectioribus? illa verò locum sibi vindicant in consequentijs.

2222 sed hoc quomodò si ab vniuersalis veritate, particularis veritatem astruere licet? an quia secus fit illatio à praefinitione ad praefinitionem, ac fiat à praedicato ad praedicatum?

2223 sed circa hoc ea est pulcherrima quaestio, qua solet à scribentibus quaeri num principia demonstrationis sint solum illae indemonstrabiles propositiones, quae concessae, & constantes in scientijs supponuntur, an etiam connumerandae sint definitiones, quae de definitis praedicantur: at si & hae quoquè non solum notiores, priores, verae, & caussae: sed etiam immediatae (si quidē per immediatas intelligit Aristoteles, quibus non est alia proximior affectui demonstrando) & primae (si per primas propositiones, vt ego arbitror intelligit Aristoteles propria principia demonstrationis) sunt, cur inter principia demonstrationum numerari non maererentur?

Alex. piccol: de cer. math. sciē. cap. 5.

2224 sed ex dictis difficilior oritur quaestio, num nempè illae conditiones, quas Philosophus principijs demonstrationum tribuit ambabus propositionibus conueniat, in qua re Philoponus existimauit maiores solummodo immediatas indemonstrabilesquè esse debere, quam opinionē recentiorum nonnulli mordicus defenderunt: si enim (dicunt illi) erunt quandoquè ambae praemissae indemonstrabiles, vel erunt ambae dignitates, & hoc non, cū dignitates limitatae ad aliquam scientiam se inuicē non contineant, vel erunt definitiones de definitis, quod etiā esse non potest: daretur enim definitionis definitio, & hoc in infinitum, vel tandem ita erunt indemonstrabiles, vt altera sit dignitas, altera definitio, quod vltimū contingere non potest, cum dignitatum termini praenoscantur

cap. 1. 1. post.

cantur

cantur: sed valdè labuntur: quid enim prohibet, quò minus altera sit dignitas, seu definitio, altera verò in demõstrabilis & nota, quamuis non sumpta in scientia: sed tamen sensu ipso cognita: sicut ignem esse calidum, & huiusmodi.

2225 vt autem propositiones sint indemonstrabiles necesse est praedicatum non vtrunquè: sed de omni subiecto, & per se, & vniuersaliter dici, afferriquè oportere, in quibus prima conditio necęssitatem vniuersalem, secunda cognationem, tertia proprietatem demonstrat.

DE OMNI.

2226 Definitionis de omni apud Aristotelem dissentaneum est intelligendum, quod tamen non redditur, in qua definitione notabis, & rectè aliter diffiniri de omni in posterioribus, quàm in prioribus.

2227 notabis & praeterea hunc modum non solum ad demõstrationem ipsam conferre: verùm etiã ad vnam quamq; artem constituendam, si quidem id primum in seligendis artis cuiusquè praeceptis Aristoteleum signum erit, vt nihil praecipiatur nisi Κατά παντός, ꝙ & in his etiam verum asserimus (quod fanè mirabile videtur) quae catholica praecepta euitare videntur: namquè si qua regula generalis vt in Grãmaticis anomaliam patiatur, analogia anomaliaę coniuncta Κατὰ παντός explebit.

PER SE.

2228 prima itaquè nota fuit vniuersalis necęssitatis, secunda verò cognationis, quae ad modos per se pertinet, quorũ primus est quando attributum est in essentia subiecti, & in eius definitione adhibetur, ex quibus conditionibus liquet, propositiones, quae praedicatum istius primi modi sortiuntur negatiuas esse non posse, liquet eas praedicationem naturalem semper suscipere, liquet etiam corpus in anima haud esse per se, licet in eius definitione adsumatur.

2229 secundo modo per se ea insunt accidentia: quorum in definitionibus subiecta ponuntur, vt simitas nasi, & inseparabilia accidentia, quae siue plura, siue vnum vni & eidem, & soli naturae per se adiuncta sunt.

tertius

2230 tertius modus ad accidentia pertinet, quae ita subiectis vt non alijs prius, vt superficiei color, quem modum non solum in posterioribus docuit nos Themistius: sed etiã & Aristoteles ipse, licet hoc omnibus interpretibus praeterquàm Themistio incognitum fuerit, proinde tuebimur in posterioribus Aristotelem quinque modos per se tradidisse.

cap. x. 1. posteriorũ

2231 vltimus modus ad omnes caussas per se pertinet.

2232 deseruiunt autem omnes aliquo pacto demonstrationi.

2233 iam ex his colligamus secundum artificiosae materiae Aristoteleum signum, nempè καθ' αὑτό, quo multo plus exigitur quam primo: vt enim sit aliquid in arte per se non satis est id esse omnino, necessarioquè verum: sed homogeneum quoquè ac penitus cognatum debet esse, propterea in Arithmetica de magnitudine dicere est ἀρίθμον, in Geometria de numero praecipere est ageometricum.

VNIVERSALE PRIMVM.

2234 catholicum definitur quod de omni & per se, & primo inest, & quatenus ipsum, per se autem, & quatenus ipsum pro eodem posuit hic Aristoteles, nec per se id nunc est, quod paullò ante; sed quod & omni, & primo idest quod non superius non inferius: sed par videlicet, & aequale sit, labitur itaquè Alpharabius, qui primum, & vniuersale praedicatum id existimauit, quod non praedicatur de genere subiecti: ambulatio namquè haud praedicatur de genere hominis, nec tamen homini primò competit, cùm homini non conueniat, quatenus homo: sed quatenus pedes habet.

Auerroys 1. post. ca. t. 36.

2235 nec primum idem est hic quod antea, immediatũ nempè, & indemonstrabile, cum & conclusio hoc modo prima quaeat esse, in qua tamen re diceres Themistium aliquo sidere perculsum, & hoc primum à conclusione abnegasse, & genera de speciebus catholicè dici asseruisse, nè solum demonstratio proprij, & definitionis esset.

cap. xiiij. & xviij.

2236 existimauit autem Alpharabius (si credimus Auerroy) regulam ab Aristotele datam ad vniuersale primum cognoscendum probabilem tantum non etiam necessariam esse, si

1. post. ca. 43.

esse, si quidem & ablato susceptibili disciplinae risibilitas quoquè demitur, & posito ponitur cùm tamen praedicatio ipsius risibilitatis de susceptiuo disciplinae non sit praedicatio prima: sed per accidens: verùm lapsus est Alpharabius, si quidem ipse Aristoteles duas supposuit conditiones, quarum altera est, vt eo posito licet reliqua alia in subiecto existentia tollantur, haud tamen demitur passio, altera est vt ipso dempto relictis adhuc reliquis rebus in subiecto existentibus tollatur ipsum praedicatum, quae in Alpharabij instantia locum sibi non vendicant.

2237 hoc verò tertium artificiosae materiae signum erit, cum artis regulae sint ita dispositae, vt generalia non speciatim, nec specialia generatim: sed generalia generatim, & semel, specialia speciatim dicantur: si enim secus ταυτολογία tortuosa committeretur.

DEMONSTRATIONVM PARTITIO.

2238 omnis autem demõstratio vel ab effectu, vel à caussa procedit, & tùm vel à caussa remota, vel proxima, inter has illae quae tùm à caussa remota, tùm ab effectu oriuntur demonstrationes quia nuncupatae fuerunt.

2239 atquè illae, quae à remota caussa nascuntur negatiuè melius concludunt, si quidem ab ea ad effectum affirmatiuè sequela minimè tenet, & propterea secunda figura in his demonstrationibus Aristoteli magis placuit: vt .n. rectè semper negatiuè concludatur à minori extremitate ablatio essẽtialis caussae fieri debet, quod & Auerroys, & Philoponus adnotarunt. com. 99.

2240 sed quod ex huius dicti occasione colligunt nonnulli ex Auerroys sententia medium terminum minoris extremi caussam essentialem semper esse, quòd si negatio est non essendi caussa, affirmatio erit essendi caussa nobis minimè satisfacit, quandòquidem dictum id in causis cum effectu conuertibilibus solummodo sibi locum vindicat.

2241 et haec sanè ratiocinatio nomen demonstrationis vix meretur.

2242 ea quoquè quae à posteriori per effectum conuertibilem concludit apud Auicennam demonstrationis nomen haud

cap. 10. haud est fortita, si quidem veritatem minoris inductione sola nos scire posse arbitratus est, cui & Aristotelis dicta fauere videntur. Refellitur tamen ab Auerroe, quod inductio minimè necessariam cognitionem nobis praebet: si quis enim apud Aethiopes ageret vitam, homines nigros inductione sensata solum cognosceret, idque tamen non necessariò, at propositio minor demonstrationis quia ob secundum per se modum necessaria vltrò nobis se se indicat: licet enim propositiones demonstrationis quia sensu & inductione cognosci dicat Aristoteles, ea tamen cognitio rei vniuersalem quandam veritatem, non firmam necessitatem nobis demonstrat.

com. 95. & 1 quaest. 6.

2243 non video tamẽ quo pacto affirmare possim ambas propositiones demonstrationis quia per se nuncupãdas esse.

2244 eius verò demonstrationis, quae à caussa ratiocinatur duplicem mensuram optimè tradidit nobis Philoponus, primam nempè, & secundam.

cap. 4.

2245 primae mensurae demonstrationem eam appellamus, quae per caussam conuertibilem simpliciter & nobis notam ratiocinatur, quae interdum nobis & esse, & propter quid tantùm largitur, quam Themistius quoque dubio procul cognouit, interdum cùm illis duobus quaesitis quid etiam connectit, quam nonnulli ita coarctarunt, vt in his solum attributis locum sibi vindicaret, quae ex proprijs principijs subiecti solum non oriuntur, alij verò hoc absolutè verum negarunt, quandòquidem si attributum notum fuerit, ignota verò illius quidditas, licet è principijs subiecti fluat: crediderunt tamen tùm demõstrationem solo situ differentem educi posse. postrema opinio potior.

Auerroys quaest. 5. 1. post. c. 1.

2246 secundae mensurae demonstrationem duplicem ponimus: vel enim ex terminis minimè paribus conflatur, ob quod forsan Robertum Linconiensem tueri possumus, qui demonstrationem ex terminis imparibus concessit, vel si terminos suscipit pares, eam tamen assumit caussam quam non notam: sed notificatam dixerunt Auerroys sectatores, notificatam autem illã dicunt, cuius esse nobis à demonstratione quia, quidditas verò à definitione praebetur

1. ostensiuorum

Balduinus in quaest. de regres.

praebetur; existimant enim & rectè prorsus hac demonstratione, quam ipsi propter quid dicunt nos rectè nunquam vti posse, nisi prius per demonstrationem quia ab esse effectus noto ad esse caussae ignotum procedamus, post quem processum requirunt etiam, vt & hanc caussam per definitionem cognoscamus, atquè tùm regressum ad demonstrationem propter quid audacter cócedunt; quae omnia nos quoquè admittimus. 8 phys.c.65.

COROLLARIA.

2247 ex his iam ni fallor compertum est regressum istum circulum non esse dicendum, si quidem circulus ab eodem in idem reuertitur, regressus verò, non ab esse caussae ad esse effectus redit: sed ad propter quid, & propterea in primo processu caussam tantùm scimus esse, in secundo verò cur caussa sit caussa cognoscitur, lapsus est itaquè Hugo Senensis, qui regressum à scientijs vt inutilem penitus sustulit. in Microt.

2248 illae verò fuerunt Francisci Neritonensis propriae ruinae, qui secundum processum demonstrationem non esse dixit, cùm malè crederet hunc ex ignotioribus procedere.

2249 apparet quoquè demonstrationes veras ex Syngeneis cóstare, proinde transitum minimè dari, nisi à subalternátibus ad subalternata, in qua re quaesitum est de modo istius transitus, num nempè id fiat per transumptionem maioris tantum, quod Auerroys fassus est, an per assumptionem conclusionis, quod Latinorum, & Graecorum nónulli dixere, & sanè miramur nos in hac re adeò clara ipsos pugnasse, cùm omnes idē sentiant, quod nos dubitantibus patefaciemus. quaesi. 5. com. 56. 1. posteri.

DEFINITIO.

2250 est autem alterum sciendi instrumentum Definitio, quae prae caeteris maximè deseruit demóstrationi, si quidem nulla demonstratio absquè definitionis adminiculo cócludi potest, cum tamen nulla definitio egeat demonstratione. hinc rectè dictum est quod definitio proportionale quid sit ipsi menti, quae solum intuitum habet, Eustra. 2. post. c. 4.

demonstratio

demónstratio verò animae, cuius substantia in discurrendo est: quamobrem quoniam intellectus prior est anima, & definitio quoquè demonstratione prior erit, sicuti namquè mens se habet ad definitionem sic anima ad Syllogismum, & sicuti mens ad animam, sic definitio ad Syllogismum.

2251 dubitabit in hisce primò aliquis, quomodò dixerit Aristoteles in quaestione quid medium etiam quaeri, definitio namquè idem videtur cùm definito, huic autem dubio satisfaciunt Latinorum nonnulli medium solummodò illatiuum, non etiam rei in quaestione quid inuestigari, at secus sensere Graeci, nos autem cum vtrisquè sentimus: possunt enim eorum dicta absquè magna difficultate conciliari.

Eustrat. & Philpon. concordia Latinorũ cũ Graecis

2252 perscrutatione quoquè dignum est num in substãtia cõposita quid rei, vt medium perquiri posit, in qua re Philoponus, & Eustrathius fuerunt eius sententiae, vt qui quid rei substantiae compositae perquireret, propter quid etiam perquireret, quod tamen propter quid non medium (aliòquin demonstrari posset) sed caussam tantùm nuncuparunt: sed valdè sanè recedunt à veritate Peripatetica, ex eorum enim dicto Aristotelea vsquè quaq; illa erit definitio, homo est anima rationalis.

COROLLARIVM.

2253 hinc colligitur vanã, & futilem omnino illam esse quaestionem, qua solet à Logicis perquiri num medius terminus sit definitio attributi, vel subiecti, si quidem illa quaestio ex vtraquè parte falsa est.

ΕΡΓΑ.

DEFINITIONIS DIVISIO.

2254 est autem omnis definitio duplex, altera nempè ὀνοματώδης altera verò rei.

DIFFINITIO NOMINALIS.

2255 diffinitio nominalis est quae declarat, quid nomen significet, & est eorum quae sunt, & eorum quae non sunt.

2256 circa quam doctisimè perquirit Eustrathius, quo pacto nominalis, hæc definitio secerni posit à rei definitione: vel enim nomina significant, vel non, si non significant

c.8.2.post.

frustra

frustra accipiuntur: at si significant, quomodo aliud ab essentia significabunt si apponuntur in definitione? an non idem simpliciter significat definitio, nomenq́; quandoquidem essentiam nomen significat per accidens, definitio verò per se.

2257 vel quod subindicat confusè nomen, distinctè definitio referat.

2258 dubitatur & ab interpretibus Aristotelis, quae nam sit haec definitio nominalis, & omnes ferè Graeci concludunt hanc esse illā, quam ipsi materialem nuncupant: sed quid si haec nominalis definitio sit illa, quam Academici Κατ' ἀντιλήψιν appellarunt? quod inter omnes Aristotelis interpretes subodorasse videtur Boethius. in libello de definitione.

DEFINITIO REI.

2259 Definitio rei duplex est, altera namquè est descriptio quaedam, altera verò definitio.

DESCRIPTIO.

2260 et descriptio sanè comprehendit eas, quae sunt secundū qualitatem, metaphoram, dissonantiam, & omnes similes.

DEFINITIO.

2261 Definitio verò est quae constat è genere, & differentijs, in qua illud primò inter Aristotelem, & Ciceronem cōtrouersum est, an proprium in definitione assumi debeat negat Aristoteles, asserit Cicero: sed potest vtraquè sententia sine contradictione veritatem suscipere. 1. Topic. concordia Ciceronis cū Aristotele.

2262 solet etiam illud à multis perquiri quo pacto in definitione genus, & differentia vt speciei partes assumantur, cum interdum tota specierum dicta sint, an quia realiter partes sunt, Logice verò tota? Eust. c.4.

2263 existimarunt autem multi in definitionis contemplatione Aristotelē à praeceptore Platone dissentire, quandoquidē Plato prae caeteris in definitionis speculatione diuisionem laudauit, Aristoteles verò resolutionem, quā dissensionem vt componerent nonnulli audacter nimis affirmarunt diuisionem apud Platonem eandē rem fuisse cum resolutione, in quam opinionem attrahunt etiam Galenum: sed tutius erit si dicamus Platonem locutum lvij. concordia. Leonicenus de tribus doctinis.

X fuisse

fuisse de inuentione, Aristotelem verò de Genesi definitionis.

SYLLOGISMVS TOPICVS.

2264 nunc ad Syllogismum Topicum transeamus, cuius discursum suscepit Aristoteles in Topicis, in quorum inscriptione dubitant rectè interpretes cur Topicorum resolutoriorum non dixit Aristoteles, cum antea Priorum, & Posteriorum resolutoriorũ dixerit: sed optimè prorsus ex eo, quod ipse philosophus alias fassus est dubitationi occurrunt: facilis enim est resolutio vbi caussae sunt necessariae; difficilis autem vbi sunt probabiles.

c.9.1.post.

LOCVS.

2265 et antequam vlterius progrediamur adnotandum est, locum alio modo intelligi à M. Tullio, & ab alijs, quam ab Aristotele: Aristoteles enim locum intelligit propositionem vniuersalem manifestam, & notam, quae à recentioribus maxima est appellata, sub qua multae aliae propositiones potentia comprehenduntur. Cicero verò, & caeteri intelligunt locum esse terminum vnde hae maximae propositiones desumuntur.

Boethi. in com. Top. Cic. lib 1.

DIVISIO LOCORVM.

2266 atquè vt breuitati consulamus nos in diuisione locorum Aristotelem relinquemus, nequè tamen alijs omnino adhaerebimus: sed ex propria sententia sic sumatim omnes locos distinguimus, vt alij à nomine oriantur, alij verò à rebus ipsis.

LOCI A REBVS.

2267 rursusquè locos à rebus ortos, sic diuidimus, vt alij compositi, & duplices sint, alij vero simplices.

2268 compositos nuncupo qui per duplicem terminum constituuntur, suntquè tres à toto nempè, & partibus, caussis & effectis, subiectis, & adiunctis.

LOCVS A TOTO, ET A PARTIBVS.

2269 locus autem à toto, & à partibus multifariam scinditur, sunt enim tota & partes quantitatis, virtutis, & substantiae, & rursus tota, partesquè substantiae, vel subiectiuae, vel essentiales, vel integrales nuncupantur, & integrales rursus, vel similares, vel dissimilares sunt.

in quibus

1270 in quibus dubium est quo pacto dixerit Aristoteles partibus sublatis totum corruere, toto autem corrupto nequaquam partes corrumpi, si dixit aliàs partem toto corrupto aequiuocè dici, an quia in Topicis loquebatur Aristoteles cum vulgaribus hominibus ideoq; minus exactè? 8. Top. 1. Polit.

1271 in partibus autem subiectiuis, id omnes ferè adnotarunt à partibus ad totum argumentum affirmatiuè procedere Alex. 2. negatiuè verò à toto ad partes, contra quae dicta arduae Top. sunt difficultates: primò enim quòd à genere ad speciē non procedat illatio negatiua hoc suadet, haec est vera animal non currit, cane non currente, non tamen licet inferre ergo homo non currit, praeterea apparet à genere ad speciem argumentum affirmatiuè, sic procedere posse, omne animal currit, ergo omnis homo currit, deinde non videtur bona à specie ad genus illatio affirmatiua, cum non possimus dicere homo est sub animali, ergo animal sub animali, postremo à specie ad genus nonnulli sic negatiuè inferunt homo non currit, ergo animal non currit: his difficultatibus varij varia dixere nos sic paucis, ea praecepta tùm catholica esse cum genus, & species sunt praedicata.

LOCVS A CAVSSIS, ET
AB EFFECTIS.

1272 secundus locus compositus est à caussis, & ab effectis, qui ad diuisionem caussarum, & effectuum, diuiditur & ipse: sunt autem caussae quatuor: sed duas modò finem nempè, & efficientem solum recensebimus, cum materialem, & formalem sub partibus essentialibus iam reposuerimus, finis verò duplex alter enim propter se, alter autē propter aliud, efficiens autem vel procreans, vel sine qua non, vel conseruans, vel sola, vel cum alijs, vel per se, vel per accidens, & haec vel ex necessitate, vel ex fortuna.

1273 in his quaeri potest cur congressionem Amoris caussam non inter eas connumerauerit Cicero, quae habent efficiendi vim: sed inter eas posuerit caussas, quas praecursorias nuncupauit, cum tamen agat aliquid, & moueat: nam ipsa congressio aliquid videtur efficere, similisquè est ei caussae, quae habet quidem efficiendi vim: verum Boethi. in com. Top. Cic. lib. 5.

fine adminiculo minimè poteſt: ſed Merobaudes Rhetor ita diſſeruit, earum cauſſarum quae efficiendi vim haberent eam eſſe facultatem, vt etiã ſi adiumentis extrinſecus indigeant, effectus tamen earũ ad id ſpectare, quod efficiendum eſt: at in his cauſsis, quae ſunt praecurſoriae etiam ſi illis antecedentibus aliquid exiſtat: non tamen id quod exiſtere intelligitur, praecurſio principaliter operatur:

2274 in loci autem ab effectis declaratione lapſus eſt ſine dubio Cicero cum hoc attulerit exemplũ. ab effectis rebus hoc modo, cum mulier viro in manum conuenit, omnia quae mulieris fuerunt, viri fiunt dotis nomine, & in eundem ferè errorem incidit quoquè in loco à conſequentibus.

Boet. in 2.

2275 ſed in huius loci explicatione illud vertitur in dubium ab Alexandro, nam ſicuti dicit Ariſtoteles quorum effectiua bona ſunt, ipſa quoquè bona ſunt, ſic etiam dicere poſſumus, quorum effectiua mala ſunt ipſa quoquè mala ſunt: ſi enim hoc concedatur rectè concludent Stoici, quod à malo fit nõ poteſt eſſe bonum: ſed diuitiae à malo plerunquè fiunt, vt lenocinio, aut furto, ergo diuitiae non ſunt bonae, an melius eſt dicere quod ſicuti ex veris omnino verum ſequitur, impoſsibileque eſt ſequi falſum non tamen ex falſis neceſſe eſt falſum ſequi: poteſt enim & verum ſequi, ita & quod à bonis fit omnino bonum eſt, at quod à malis non eſt neceſſe quod ſit malum: ſed poteſt etiam eſſe bonum, ſicut efficitur ſanitas ex vſtione, & ſectione, & diuitiae ex lenocinio, proinde Philoſophus ſolum dixit, quorum effectiua bona ſunt, ipſa quoquè bona ſunt: non autem addidit quorũ effectiua ſunt mala ipſa quoquè mala.

Alex. 2. Topic. loco 29.

LOCVS A SVBIECTIS, ET AB ADIVNCTIS.

2276 locus à ſubiectis, & ab adiunctis, & omnia ſubiecta, & omnia ea quae ſubiectis adiunguntur continet: ſic enim & ſaepius Ariſtoteles ὑποκείμενον, & συμβεβηκὸς opponit: nomine autem adiuncti non ſolum propria: ſed omnia accidẽtia, omneſquè circunſtãtias comprehẽdo, quae

quae rectè sic à Porphirio definiuntur vt sint ea, quae adesse, & abesse praeter subiecti corruptionem possunt, quae definitio re vera solùm, non etiam secundum intellectionem intelligi debet: nam licet album à niue sit inseparabile, potest tamen inesse, & non inesse alteri speciei eiusdē praedicamenti, quod Alexander adnotauit. lib.3.Top. in loco 3.

LOCI SIMPLICES EORVMQVE DIVISIO.

2277 loci simplices sunt qui per simplicem terminunm constituuntur, suntq; tres Definitio, Opposita, Comparata.

DEFINITIO.

2278 Definitionis locus ad diuisionem definitionis secatur: sunt autem definitionum duo genera, vnum perfectum, subtile, & accuratum, quo Philosophi perfectam rerum essentiam demonstrari, atquè exprimi volunt, & propriè definitio nominatur. alterum est minus subtile, pressum elaboratum, magisquè populare, quod descriptio nuncupatur.

2279 quaesitum autem est quo pacto definitio differat à partitione, si vtraquè partes enumerat. paucis, partitio sumit partes rei quam partitur minores semper: definitio verò partes maiores definito assumit.

OPPOSITORVM DIVISIO.

2280 Oppositorum sic generaliter acceptorum species sunt duae contraria, & repugnantia.

CONTRARIORVM DIVISIO.

2281 Contrariorum autem alia sunt relata, alia priuantia, alia contradicentia, alia diuersa.

2282 quaeritur in contradicentibus quomodo verum sit de quocunque necesse esse, vel affirmare, vel negare: videtur enim multis hoc Scholasticum commentum, & Aristotelis legibus contrarium, qui dicit genus huic, vel illi speciei non magis, & minus: sed aequaliter attribui, an quia in singularibus quicquid alij dixerint vera est sine praefinitione aliqua, in vniuersalibus autem cum praefinitione? quod & Alexander docuit. 6. Top. loco 20.

REPVGNANTIA.

2283 Repugnantia sunt quae minus inter se disident, quia

inter se nec certa lege, nec certo numero dissident, sic & media repugnant extremis, & contrariorum consequentia contrarijs, verbi caussa contraria sunt dormire, & vigilare, stertere autem, & dormientibus quoddam consequens additum, quod & Cicero, & Boethius crediderunt errauit itaquè Rodulphus Agricola, qui aliter hunt locũ ab illis declaratum existimauit.

lib. 1. Top. cap. 10.

2284 posset autem aliquis ex dictis credere hanc consequentiam sustineri dies est, ergo lux non est, si quidem lux consequitur ipsam noctem: sed facile diluitur obiectum si dicamus consequentiam non esse accipiendam penes tempus.

COMPARATORVM DIVISIO.

2285 comparata sunt quae inter se conferuntur, & sunt vel in quantitate, vel in qualitate; rursus in quantitate, vel sunt à pari, vel ab impari, vel à maiori, vel à minori.

2286 in locis autem à maiori, & à minori declarando nonnulla est dissimilitudo inter Ciceronem, & Aristotelem: Cicero namquè maius, & minus ex suo relato descripsit, ea verò Aristoteles ex iudicij lege, atquè enunciationis natura indicauit, proinde sibimet non aduersantur cum diuerso modo locuti sint: si verò res exactissima sententia expendi debeat, melius sensit Aristoteles, ac Cicero, si quidem ille ea per affirmationem, & negationem semper distinguit: quod iste minimè potest; haec enim à maiori ad minus secundum hunc affirmatiuè concludunt,

4 Top. c. 2.

concordia Ciceronis cum Aristotele.

„ O Socij (nequè enim ignari sumus ante malorum)
„ O passi grauiora: dabit Deus his quoquè finem.

1. Aeneid.

nequè minus haec affirmatiue etiam concludunt,

„ Vt corpus redimas ferrum patieris, & ignes
„ Arida, nec siciens ora leuabis aqua,
„ Vt valeas animo quidquam tolerare negabis?
„ At pretium pars haec corpore maius habet.

cum tamen secundũ Ciceronem à minori ad maius sint.

COMPARATORVM IN QVALITATE DIVISIO.

2287 cõparata in qualitate diuidũtur in similia, & dissimilia.

Loci

LOCI A NOMINE, ET EORVM DIVISIO.

1288 Hactenus de locis realibus nunc ad eos transeamus, qui à nomine assumuntur, qui quidem duo sunt notatio nẽpè, & coniugatio, quae quidem duo loca vere probabilia sunt: neque enim εὐχεὶς (vt Alexander notauit) ille dicitur, qui pulchras habet manus: sed pugil, & coniugatio in anomalis non satis rectè locum sibi vindicat. li.2.cap.7.

SOPHISTICVS SYLLOGISMVS.

1289 sed sicut in alijs robustus quidem corporis inest habitus, in alijs verò species tantùm, cum se ipsos inflent, & comparët φυλέτικως more Tribulium, qui victimas suas quo pinguiores viderentur fucatoriè subornabant, atque vt alij quidem pulchritudine pulchri sunt: alij verò fuco tantùm, quo se ipsos fucant, quod & in rebus inanimis similiter accidit, in his si quidem aliud argentum, aliud aurum est re vera, aliud vero nequaquam: sed indicio tantùm sensus apparet, vt lithargyrina, & stannea, quae argentea, & felle infecta, quae aurea videntur, sic in argumentationibus aliae tales sunt, quales apparent, aliae fallaces, & captiosae sunt, videnturquè vere tantùm propter inexperientiam. 1. Elerch. Plato in Sophis.

SOPHISTICORVM SYLLOGISMORVM DIVISIO.

1290 diuiduntur autem bifariam, cum eorum alij in forma peccent, alij verò in materia.

PECCANTES IN FORMA.

1291 et in Syllogismis simplicibus duae sunt Theseos fallaciae communes, nempè si vel ex puris particularibus componantur, vel si ex puris negatis concludant, licet quoad hoc attinet vtrâquè partem absquè contradictione tueri possimus, atque hae duae trium figurarum communes fallaciae sunt. 20. cap. 1. priorum

1292 singularum propriae sunt quae sequuntur, in quibus singulis Aristoteles multos ἀσυλλόγιστους modos proposuit qui tamen breuius contrahi possunt, in prima itaq; nullus Syllogismus fit è maiore particulari, vel maiore negata.

1293 in secunda figura ex omnibus affirmatis, aut maiore

ſpeciali concluditur ἀσυλλογιστικῶς.
„ quod ratione vtitur id melius eſt, quā quod ratione
non vtitur
„ Nihil autem mundo melius
„ Ratione igitur mundus vtitur.
cuius concluſionis vitium clarius ſic intelligitur
„ Quod vtitur ratione eſt optimum
„ Mundus eſt optimus
„ Mundus igitur vtitur ratione.
itaquè hoc Sophiſma meritò à Cotta deridetur apud Ciceronem: ſic enim (inquit) iam efficies, vt mundus optimè librum legere videatur: Zenonis enim veſtigijs hoc modo ratione poteris concludere, quod literatum eſt, id eſt melius, quàm quod non eſt literatum, nil autem mundo melius, literatus igitur eſt mundus, iſto modo etiam diſertus, & quidem Mathematicus, Muſicus, poſtremò & Philoſophus erit mundus;

3. de nat. Deorum

2294 non eſt tamen hoc adeo aſyllogiſton, vt nunquam verè liceat concludere: vera enim concluduntur aliquandò diſpoſitione fallaci, vt apud Perſium

Satyra 5.

„ An quiſquam eſt alius liber niſi ducere vitam
„ Cui licet vt voluit? licet vt volo viuere non ſum
„ Liberior Bruto?

2295 è maiore particulari eſt illud Sophiſma obiectū Diogeni
„ Quod non amiſiſti habes
„ Cornua non amiſiſti
„ Cornua igitur habes.
ſic enim retexendum
„ Cornua habet quiſquis ea non amiſit
„ Diogenes cornua non amiſit
„ Habet itaquè.
propoſitio maior ſi ſit vniuerſalis falſa eſt, ſi ſpecialis ἀσυλλόγιστον facit.

2296 in tertia figura nullus eſt Syllogiſmus ex minore negata.

FALLACIAE EX CONNEXIONE.

2297 in Syllogiſmis compoſitis primus modus ἀσυλλόγιστος eſt cū tollitur antecedens, vt tollatur conſequens (melius enim hunc modū peccanti in forma adiudicamus, quam

in materia peccanti, quicquid senserit Aristoteles) cuius exemplum dedit nobis Caesar apud Salustium, si digna poena pro factis eorum repertur nouũ consilium approbo, sin magnitudo sceleris omnium ingenia exuperat, his vtendum censeo, quae legibus comparata sunt, licet id argumentum forsan defendi posit, cum non omnia huius generis exempla falsa sint. in Catili.

1298 rarius est autem vitium connexi, & consequentis assumptione: incidit tamen aliquandò. Ouidius.

„ Quem si cura Deum tàm certa vindicat ira 4. Meta.
„ Ipse precor Serpens in longam porrigar aluum
„ Dixit & vt Serpens in longam tenditur aluum.

quod etiam argumentandi genus interdum non est Sophisticum.

1299 Theophrastus autem, & Eudemus docuerunt in connexo antecedentis negati, & consequentis affirmati tolli posse antecedens, vt tollatur consequens, & consequens retineri, vt retineatur antecedens, in quo genere etsi rarus est error, est tamen aliquandò, vt si nullum animal est irrationale, omnis homo est rationalis, sed aliquod animal est irrationale, ergo aliquis homo non est rationalis item sed omnis homo est rationalis, ergo nullum animal est irrationale, quod idem etiam demonstrabimus euenire in catholica illa regula à destructione consequentis destrui antecedens.

PECCANTES IN MATERIA.

1300 peccantes autem im materia sunt qui è locis Sophisticis deducuntur, quos quidem locos ita partitur Aristoteles, vt alij in dictione positi sint, alij verò extra dictionem, in dictione numerat aequiuoca, amphibola, composita, diuisa, accentum, & figuram dictionis, in extra dictionem recenset accidens, secundum quid, elenchi ignorantiam, principij petitionem, consequens, non caussa pro caussa, pluresquè interogationes pro vna. 1. Elenth.

1301 è quibus nos iure fallaciam consequentis abstulimus.

1302 possunt etiam in minorem numerum reduci, si accentũ sub aequiuoco reponamus, compositionem, & diuisionẽ sub amphibolo.

Corollarium

COROLLARIVM.

2303 ex his omnibus apparet Sophistam circa ens illud ineffabile, & inexcogitabile, quod Parmenides posuerat minimè versari: sed circa id non ens, quod sub altero comprehensum est à Platone, proinde optimè ab eodē in posteriori diffinitione sic describitur; vt sit qui in sermonibus disputantem cogit contradicere sibi ipsi, qui & Ironici pars est ab imitatore opinioso veniens, phantastici item generis ab imaginaria facultate profluens non diuinae: sed humanae effectionis determinata progenies, ex eorumquè numero qui verbis, quasi quibusdam praestigijs mirum in modum decipiunt auditores.

i Sophista.

ΕΡΓΑ.

RHETORICA.

2304 Rhetoricam post Dialecticam iuxta ordinem supra positum perquirere necessarium est, in cuius natura explicanda triplex fuit opinio, quarum prima Rhetoricam ciuilis facultatis particulam existimauit, secunda sermocinatricem facultatem eam dixit, tertia inter logicas potentias eam adnumerauit.

STOICORVM OPINIO CIRCA RHETORICAM.

2305 et omnes sanè Stoici Rhetoricam ciuili facultati adiudicarunt, licet non eodem modo senserint omnes: Mnesarchus enim Panetij auditor Rhetoricam virtutem moralem appellauit, si quidem sicut consonare sibi in faciēdis, & non faciendis virtus est, sic & consonare sibi in dicendis, & non dicendis virtus erit, item si virtus est, cuius initium à natura datū est, Rhetorica virtus erit, quia eius initium est à natura.

Quinti. l. 3.

2306 alij verò quibus, & Menedemus fauet dixerūt orādi sciētiam esse quandam prudentiam, summae illius sapientiae partem, quae versaretur in perspiciendis, penitusq; noscendis rationibus, & consilijs constituendarum, & regēdarum Rerumpublicarum: cōstituuntur enim Respub. cum legibus, & institutis informantur, reguntur cum publicis officijs administrantur, in quorum vtroquè orator versari videtur.

HORVM EXPVGNATIO.

1307 fallax autem ea est consequentia, qua primo Mnesarchus vtitur, nam non video qui posſint haec connecti; docet nos Rhetorica nobilmet consonare in dicendis, & non dicendis, ergo est virtus moralis, & absurdum est ea virtutes morales putare, quorum initia à natura sint, quasi non magis sint initia vitiorum à natura, quā virtutum.

1308 neque Politicae facultatis pars esse potest, licet saepius orator in Politicis versetur: hoc enim non magis demōstrat nobis Rhetoricam Politicae partem esse, quam instrumentum, quod superius dictum est.

RODVLPHI AGRICOLAE, ET ALIORVM RECENTIORVM OPINIO CIRCA RHETORICAM.

1309 Rodulphus Agricola, Petrus Ramus, nonnullique alij Rhetoricam sermocinatricem facultatem non rationalem affirmarunt, idque ea moti ratione, quod duo sunt vniuersa Deorum munera hominibus tributa, vnde alia fere omnia profecta sunt, ratio: & oratio, rationis doctrina Dialectica est, ideoque quicquid rationis, ac mentis proprium fuerit, id proprie Dialecticae arti attribuito, Rationis duas partes sunt, inuentio consiliorum, argumentorum, eorumque iudicium in dispositione, cuius vmbra quaedam est memoria, tres itaque partes illae, inuentio, dispositio, memoria Dialecticae artis sunto. Rodulph. lib. 3. de inuen. Dialect. Pet. Ram. schol. Rhetor. lib. 1. Trapez. li. vlt. Rhet.

1310 Orationis autem laudes ad istam regulam sic metiuntur, quae vt pura, & emendata est, Grammaticae fundus esto.

1311 vt vero elegans est, siue in tropis, & figuris, siue sine illis simul cum actione, Rhetoricae relinquitur, haec itaque ex eorum opinione Rhetoricae virtus erit, vt posſit eleganti verborum numero delectare, troporum luminibus variare, insignibus figurarum exornare, modulatione vocis permulcere, & dignitate gestus excitare.

HORVM EXPVGNATIO.

1312 eorum autem error ex eo contingit, quod artes ratione subiectae materiae distingui credunt, cum tamen non materia strata: sed modus considerandi secernat artes, nec Protinus (vt etiam Quintilianus fatetur) non est l. 2. c. xxij.

materia

materia Rhetorices, ſi in eadem verſatur, & alius: nam ſi quaeram quae ſit materia Statuarij, dicetur aes, ſi quaeram quae ſit excuſſoris ſimiliter aes eſſe reſpondebunt, atqui plurimum ſtatuis differũt vaſa, nec medicina ideo non erit ars, quia vnctio, & exercitatio cum palaeſtrica, ciborum verò qualitas etiam cum Coquorum ſit arte communis.

COROLLARIVM.

2313 proinde liquet eos malè Zenonis dictum coarguiſſe, vt potè qui exiſtimarint anguſtiorem Rhetorica Dialecticam eſſe, ſiquidem nihil dicitur ſine ratione, id eſt vt ipſi dicunt ſine Dialectica, at ſine exornatione id eſt Rhetorica plurima dicuntur.

Pet. Ram. l. 4. ſchol. Rhet.

ARISTOTELIS, ET PLATONIS VERA SENTENTIA CIRCA RHETORICAM.

2314 vera itaquè eſt alia ſententia, Rhetoricam nempè rationalem facultatem eſſe, & propterea ſuppellectilem quandam atquè inſtrumentum: tria enim ſunt, quae ex argumentandi ratione gignuntur in animo noſtro, fides, opinio, ſcientia, quae quidem à tribus diuerſis inſtrumentis proueniant neceſſe eſt: fides enim fit perſuadendo, opinio ratiocinando, ſcientia demonſtrando: Rhetorica verò perſuadẽdi eſt opifex Dialectica demonſtratiua ſcientia demonſtrandi, Topica ratiocinandi.

Maioragi. 1. Rhet. Ariſt.

2315 proinde rectè Ariſtoteles Rhetoricam Dialecticae ἀντίστροφον nuncupauit, in cuius verbi explicatione, & Cicero, & Alexander idem ſentiunt.

1. Rhet. concordia Cicer. cũ Alex.

2316 nec ab Ariſtotele in hoc etiam diſcrepat Plato

lviij. concord. 1.

SVBIECTVM RHETORICES.

2317 ſubiectum itaquè ὑποκείμενον Rhetorices, vt & ſubiectum Dialectices, nullis certis finibus aut cancellis cõtinebitur, cũ Rhetorica de omni re propoſita cõmuniter, & veriſimiliter in vtramquè partem diſputet, eſt itaquè materia Rhetorices ſtrata quaeſtio, quae ratione finis in in practicam, & θεωρητικάμ diuiditur ratione rerum ſubiectarum, in contingentem, & neceſſariam, ratione qualitatis,

in Phaedro

Cic. de part. orat. & alibi quintil. lib. 3.

qualitatis, in affirmatiuam, & negatiuam, ratione demùm quantitatis, in θέσιν & ὑπόθεσιν.

2318 perquirũt autẽ Rhetores an ad thesim vel ad hypothesim omnia referenda sint, & hinc inde adsunt opiniones, & rationes: sed arbitror ego eos facillimè conciliari posse si dicamus in perturbationibus hypothesim in rationibus, & argumentis thesim esse eligendam. concordia Rhetorum Cic. i part.

2319 modum verò considerandi, quem Graeci κατηγορούμενον dicunt, ex ipsa persuasione eliciunt, circa quam perquirunt deinceps num ipsa sit Rhetorices verè finis, negat Quintilianus, affirmat Cicero: sed si apud Platonem duo sunt artium genera, vnum quod per se ipsum consequi potest finem suum, cuiusmodi est fabrica sutrina, atq; aliae tales, alterum quod non semper fine suo potitur, qualis est Oratoria. Medicina, Nauigatoria, quas artes appellant Graeci στοχαστικάς quasi cõiectura, non certa ratione completas. cur non erit persuasio Rhetoricae finis? quod idem affirmat & Galenus, reprehendunt itaq; multi Quintilianum quòd munus à fine nõ discreuerit. in Philebo de ratione artis Medicinae.

2320 possumus etiam Quintilianum cum Cicerone componere si dicamus duplicem finem in arte Rhetorica considerari debere, alterum quidem in oratore ipso, alterum verò in iudice, in ipso bene dicere cum Quintiliano, in altero persuadere cum Aristotele, atquè Cicerone credimus, quod Pontanus adnotauit. concordia Quintil. cũ Aristot. & Cicerone. i Antonio.

RHETORICES DIVISIO.

2321 diuiditur autem Rhetorica, quemadmodum & Poetica in partes, tùm quales, tùm quantas

RHETORICAE PARTES QVALES.

2322 partes quales sunt inuentio, dispositio, elocutio, pronunciatio.

INVENTIO.

2323 inuentio verò est illa qua acquirimus probationes, quae quidem vel expertes artis sunt, vel artis participes, ac priores sunt, quaecunquè opera studioquè nostro non pariuntur, vt potè quae à nobis non excogitantur, vti sunt testes quaestiones, caeteraquè huiuscemodi.

Probationes

PROBATIONES ARTIS PARTICIPES.

2324 probationes artis participes sunt quae ratione ac via indagamus, atquè artis praesidio conflamus, quae vel ex oratore assumuntur, & ethicae sunt, vel ex auditore patheticaequè appellantur, vel ex oratione, & Logicae dicuntur.

PROBATIONES LOGICAE.

2325 probationes autem Logicae desumuntur ab Enthymematibus, & ab exemplis.

EXEMPLA.

2326 exempla sunt vel Historiae, vel Fabulae.

ENTHYMEMATA.

2327 Enthymemata à signis, & à verisimilibus deducuntur, qua in re illud à multis quaesitum video, quid nam differat signum à verisimili, nos sic breuibus rem absoluimus, vt verisimilia ea sint, quae spectata atquè animaduersa sunt ferè semper contingere, raroquè admodum aliter euenire, signa verò, quae occultam nobis rem indicant, notaequè sunt eius quod nos latet: nec enim Maioragio assentimus, qui signa sensu percipi dixit verisimilia verò intellectu, cùm res nonnullas quae sensu percipi non possunt, notas esse rerum quas ignoramus planum nobis fecerit Aristoteles, qui animaduersum sapientem aliquem, qui idem iustus, qui probus sit, signum esse vult iustitiae aut probitatis omnium sapientum.

1. Rhet. c. de Enthy.

in Analyt. & Rhet.

2328 deducuntur autem Enthymemata à locis, tùm communibus, tùm proprijs, propria verò, vt rectè calleamus perquirenda sunt genera ipsius Rhetorices.

GENERA RHETORICAE, ET EORVM DIVISIO.

2329 Auditor itaquè vel θεωρὸς est, vel iudex, siquè iudex, vel de futuris, vel de praeteritis statuit, hinc tria nascuntur causarum genera, demonstratiuum, deliberatiuum, iudiciale, quae officio, tempore, fine, motuquè differũt, conueniunt autem quò ad possibile, & impossibile, magnum, & paruum, & in comparationibus.

GENVS DELIBERATIVVM.

2330 genus deliberatiuum est, cuius motus est spes, & reformidatio officium suadere, vel dissuadere, tempus futurũ, finis vtile, vel damnum, quod quidem vtile ita est intelligendum, vt id sit quod statum Reipub. conseruat, atquè tuetur ad quem finem Atheniensium facta in Cyrsilum deducemus, quin & Aristidis quoquè dicta in Themistoclis consilium. Cic. 3. of-fic.

2331 considerantur autem in deliberationibus res, quae nos ad finem manuducunt, quae in ciuitatibus ferè semper quinquè sunt, vectigalia, bellum, custodia, annona, legislatio. finis ipse, qui quidem est εὐδαιμονία bona continens, tùm interna, tum externa. partitio locorum, & citrà comparationem, & comparatorum. vsus demùm, qui cernitur in ostendenda via, qua bona consequimur, & mala vitamus, quod quidem aliter fit in Republica recta, aliter in vitiosa.

GENVS DEMONSTRATIVVM.

2332 demonstratiuum genus est quod ad honestum, & turpè tanquam ad finem dirigitur, cuius officium est laus, vel vituperium, motus, delectatio, vel tristitia, tempus instans.

2333 differunt nè autem quò ad hoc Aristoteles, & Plato, si quidem iste negat se vllam partem vnquam dicendi artis auribus accepisse, praeter eam, quae ad forenses caussas pertinet, & illam, cuius in concionibus vsus est, ille verò hanc etiam addidit? an nequè in hoc etiam minimè discrepant, si quidem Plato de parte solum negociali quam Graeci πραγματικὴν dicunt locutus est, à qua & ipse Aristoteles (teste Quintiliano) genus demonstratiuum seiunxit. lix. concor d.a. in Phædro lib. 3.

2334 atquè in hoc minimè errauit Aristoteles, vt perperã sensit Quintilianus.

2335 considerantur etiam & in hoc genere ὑποθέσεις honesti. partitio locorum, & vsus, qui cernitur, in formanda honesta vita, efficienda morata oratione, & augenda eloquentia adhibita amplificatione.

2336 quae ita propria est exornationis, vti exempla delibera-tionis,

tionis, & Enthymemata iudicij.

2337 non videtur autem Isocrates rectè amplificationem percepisse, quandoquidem illam saepius κατὰ ἀντιπαραβολὴν effecit.

GENVS IVDICIALE.

2338 genus iudiciale est quod & Κατηγορίαν de illata iuiuria & Apologiam, qua reus depellit cuius accusatus est iniuriam, perpendit.

ACCVSATIO.

2339 Accusatio perficitur ex artificiosis probationibus, & arte carentibus.

2340 sunt autem generis iudicialis artificiosae probationes, in quibus considerantur, qui ad iniuriam faciendam proni sint, qui pateant iniuriae, quae iniuriae prae caeteris inferantur, iustum, contra quod fit iniuria, & caussae demùm iniuriarum, quae vel efficientes vel finales sunt.

2341 efficientium quaedam agunt per se, quaedam non per se, non agunt per se, quae vel à fortuna, vel à vi, vel à natura aliquid efficiunt, agunt autem per se consuetudo, & appetitus, siue iste sit rationalis, siue irascibilis, siue concupiscibilis.

2342 caussae finales sunt vel commodum, vel voluptas.

PROBATIONES ARTE CARENTES.

2343 probationes arte carentes sunt lex, testes, pacta, quaestiones, & iusiurandum.

concordia Rhetorum

2344 has tamen Rhetorum nonnulli artificiosas quoquè vocarunt, nequè tamen primis contradixerunt: si enim inuentionem spectes artificiosae non sunt, vt quas oratoris ars non pariat: sed eas caussa ipsa ad illum deferat, sin tractationem artis expertes non erunt, vt quae oratoris industria, tùm eleuētur, tùm augeantur, tùm confirmentur, tùm refellantur.

APOLOGIA.

2345 Apologia quoquè qua reus depellit iniuriam constat, & ex artificiosis probationibus, & ex artis expertibus.

2346 in artificiosis reus, vel negat factum vnde nascitur status coniecturalis, in quo infirmantur caussae iniuriarū, quas accusator

accusator attulit, vel concedit factum: sed aut non esse concedit, quod accusator contendit, vnde definitioni locus, aut iure factum probat, vnde statui iuridiciali locus, qui duplex est, absolutus nempè, & assumptiuus.

2347 in assumptiuo, vel conceditur factum: sed non eo modo, quo intenditur: non enim voluntate nocendi cōmissum: sed aut casu, aut imprudentia, aut necessitate, vel eo quidem modo factum conceditur: sed semel tantum, vbi deprecatio locum inuenit.

PROBATIONES ΗΘΙΚΑΙ.

2348 probationes morales sunt, quae oratorem fide dignum reddunt ipsius nempè prudentia, virtus, & beneuolentia: contrarium enim efficiunt oratoris stultitia, improbitas, & inimicitia.

2349 in hac verò tractatione aliquo pactò Aristoteles, & Halicarnasseus differunt, si quidem negat Philosophus opinionem hanc de probitate dicētis antea in animis auditorum insitam esse oportere: sed tùm excitari debere certa quadam ratione, sententijsq; ad id accommodatis, cū tamen Halicarnasseus opinionē anteactae vitae requirat. Dionysius Halicarn. in vita Lysiae. li. 1. Rhet.

2350 ad easdem probationes mores pertinent, qui comitātur affectiones, habitus, aetatem, & fortunam.

2351 in quibus bifariàm errauit Quintilianus, tùm quòd harum rerum cognitionem prorsus conuellere conatur, nè quod ipse cunctiquè simul Rhetores praestare non potuissent ab eruditissimo viro factum laudem haberet, tùm quòd existimauit eos Philosophum explanasse, vt vnde duci argumenta possent scirentur: nam quò ad primum attinet fallitur profectò, quòd infinita putat, quae ad certa quaedam capita, & genera rediguntur, & in communi omnium intellectu posita censet, quae nisi cognitis earum caussis nemini satis nota esse possunt, neq; caussae ipsae sine exquisita doctrina, & magno rerum humanarū vsu percipiuntur, & quò ad secundum lapsus est etiam, si quidem argumentorum copia minimè fuit Aristotelis finis, sed docere voluit qualis oratio, quomodoquè morata adhiberi debeat diuersis illis actibus, aut hominum fortunis persuadendis.

PROBATIONES PATHETICAE.

2352 in probationibus patheticis considerantur, affectuum, natura, genera, vsus, & loci.

2353 et in affectuum natura euoluenda per definitionem perpenduntur tria, qui nempè cuiquè affectioni sint obnoxij, ob quas res in vno quoquè excitentur affectus, & in quos commoueamur.

AFFECTIONVM GENERA.

2354 Natura omnibus rebus duplicem dedit potentiam, ob quarum alteram, res propriam quietem adipiscerentur per alteram verò agerent in prohibentia, & contraria, quod sanè, & in rebus inanimatis prorsus apparet (videmus enim, quòd ignis natura est calidus, & leuis, per leuitatem autem tēdit in locum proprium, per caliditatē verò agit in contraria, & sic de singulis) sed prae caeteris in animantibus, quibus duplicem tribuit appetitum sensitiuum, vnum per quem prosequuntur propriam delectationem, vt concupiscibilem, & alium per quem resistūt & aggrediuntur contraria vt irascibilem.

Egid. l. 1. p. 2. d reg. principiū cap. 2.

2355 et in hoc duplici appetitu omnes affectiones locum sibi vindicant, proinde affectionum nonnullae nos impellūt ad id, à quo nos retrahit ratio, & hae concupiscibiles sunt, aliae verò auertunt nos ab his, ad quae ratio suadet & hae sanè irascibiles.

COROLLARIVM.

2356 hinc & optimè dictum est concupiscibiles affectiones ad bonum simpliciter dirigi, irascibiles ad bonum sub ratione ardui, & difficilis.

ΕΡΓΑ.

2357 sunt autē principes affectiones duodecim, amor nempè odium, desiderium, fuga, delectatio, tristitia, spes, desperatio, timor, audacia, ira, & lenitas.

2358 tuebimur tamen D. Thomam, qui vndecim tantum lenitate omissa, enumerat.

p. 2. q. 23.

2359 praedictae verò affectiones sic distinguūtur, quia primae sex, videlicet amor, odium, desiderium, fuga, delectatio, & tristitia pertinent ad concupiscibilem, reliquae verò sex ad irascibilem spectant.

numerus

2360 numerus autem affectionum concupiſcibilis ſic accipi poteſt,omnis motus animae pertinens ad concupiſcibilẽ, vel ſumitur ratione boni, vel ratione mali, ſi ratione boni, hoc eſt tripliciter: nam ergà bonum per concupiſcibilem trifariam commouemur: nam bonum apprehenſum primò nobis placet, ſecundò tendimus in ipſum, tertiò quieſcimus in eo adepto, prout ergò nobis bonum aliquod placet, eſt in nobis amor, ſed prout tendimus in ipſum, oritur deſiderium, vt demùm in eo quieſcimus exiſtit in nobis gaudium, & delectatio; ſicquè videmus etiam in naturalibus prius propenſionem ad motum, deinceps motum, demum quietem.

2361 affectiones autem iraſcibilis ſumuntur, vel ratione boni vel ratione mali, ſiquè ratione boni hoc eſt dupliciter, vel enim in ipſum tendimus, atquè ſic eſt ſpes, vel ab eo deficimus, atquè tùm eſt deſperatio, ſi verò ratione mali ſumuntur; vel ſumuntur ratione mali praeſentis, vel futuri.

2362 ſi malum futurum conſideres, oritur duplex affectio, cõfidentia nempè, & timor, vt enim ipſum aggredimur eſt audacia, vt verò ab eo declinamus, eſt timor: ſic & etiã circa malum praeſens duplex verſatur affectio, ira nempè & lenitas: vt enim conſurgimus ad iniuriam delendam, ſic eſt ira, vt deficimus eſt lenitas.

2363 nequè tamen ob haec Diuo Thomae contradicimus, qui malum in affectionibus terminum ſolummodò à quo poſuit, ad quem verò negauit eſſe poſſe. 2. 2. queſt.

2364 dubitauerit autem aliquis cur in iraſcibili quemadmodum in concupiſcibili non adſunt affectiones illae, quae quietem indicant: ſed rectè dubitationi Angelicus Doctor ſatisfacit, cum quies in bono, vt eſt arduum quid, & difficile, minimè reperiatur.

2365 quaerat rurſus & alius quo pactò ad has affectiones illae reducantur, quas in Rhetoricis enumerauit Ariſtoteles cum praeter has ipſe ſex alias enumeraſſe videatur, videlicet zelum, gratiã, nemeſim, miſericordiam, inuidiã, & verecundiam: ſed huic quaeſtioni vltrò occurrit Egidius, qui dicit has affectiones facillimè ad priores reduci 2. Rhet. lib. 1. p. 3. de reg. prin cip. cap. x.

posse, si zelum, & gratiam amori, verecundiam, timori, inuidentiam, misericordiam, & nemesim, tristitiae adiudicabimus.

2366 sed cur in Rhetoricis Egidius zelũ sub tristitia reposuit, si in libello de regimine principum cum Amori condonauit? an quia zelus est de bono communicabili, & proinde iuxta diuersa obiecta, diuerso etiam modo de illo statuitur.

2.Rhet. c. de miseri.

VSVS.

2367 vsus cernitur in commouendo iudice.

LOCI.

2368 loci deducuntur tùm à personis, quae vel obiecta sunt affectuum, vel subiecta, tùm à rebus ob quas affectus excitantur.

COMMVNES MATERIAE, ET PROBATIONES.

2369 nunc ad communia trium generum transeamus: nam quae adhuc dicta sunt propria vniuscuiusquè generis fuerunt, sunt verò communia subiecta ea, quae fieri, vel non fieri possunt, & quae facta, vel non facta sunt, & quae augeri, vel imminui queunt, quae omnia ita tamen communia sunt, vt eorum vnumquodquè saepius magis vni deseruiat generi, quam caeteris.

2370 communium autem probationum duo sunt capita exemplum videlicet, & enthymema: nam sententiae, quas Gnomas Graeci vocant partes enthymematis sunt.

2371 in ea verò exempli specie, quam παραϐολὴν Graeci, Latini collationem nuncupant, lapsus est Clemens Alexandrinus, qui collationi Allegoriae definitionem attribuit lapsus est etiam interpres octaui libri Topicorum, qui collationem imaginem esse dixit, vel certè parum propriè locutus est: discrepant enim εἰκόνες à collationibus nam cum similitudines ducuntur à rebus quae iam sunt non quae finguntur, illae imagines vocantur, nec exempli species imagines sunt, ad fidemquè faciendam valent: sed ad rem illustrandam, atquè ante oculos penè eorum, qui audiunt ponendam adhibentur.

lib. 6.

2372 refutatio verò in qua inest & ἔνστασις versatur, tũ in

contrarijs

contrarijs argumentis afferendis, tùm in adducenda instantia, quae vel ab eodem, vel à contrario, vel à simili, vel demùm à iudicato deducitur.

2373 et ab omnibus istis locis tùm generatim, tùm speciatim.

DISPOSITIO.

2374 nunc ad dispositionem transeamus, quae secunda qualitatis est pars, estquè via, qua de pluribus notitia, primū primo loco, secundum secundo, tertium tertio, & ita deinceps vnum quodquè disponitur.

DISPOSITIONIS DIVISIO.

2375 diuiditur autem dispositio bifariàm testimonio Ciceronis, apud quem M. Antonius duplicem rerum collocationem statuit, vnam, quam affert natura caussarum, alteram, quae oratorum prudentia, & iudicio comparatur. lib. 1. de orat.

DISPOSITIO NATVRAE.

2376 Dispositio Naturae, est quae Naturae Genesim penitus, imitatur, proinde à summis generibus ad intermedia, & hic ad specialia, & singularia descendit, atquè haec dispositio vtilis est non solum ad tractandas artes: sed etiā reliquas disputationes artibus non comprehensas, quod exemplis oratorum, & poetarum declaratur: oratores enim cum in exordijs rem, de qua agunt, summatim proponunt, in narrationibus definiunt, in confirmationibus partes exequuntur, in perorationibus concludunt, artificiosam hanc dispositionem cōsectantur, itemq; poetae cum materiam sui operis primum proponunt, deinde in certas partes distribuunt, & eas suo loco, & ordine persequuntur, naturalem hanc progresßionem exercent.

DISPOSITIO PRVDENTIAE.

2377 sequitur dispositio prudentiae, in qua res precedunt non omnino, & absolutè notiores: sed certè ei qui docendus sit conuenientiores, & probabiliores ad inducendum quò volumus appellaturquè ab oratoribus dispositio prudentiae, quia magis in hominis prudentia, quàm in arte, & praeceptis doctrinae sita est.

2378 huc referrre possumus crypsim idest occultam, & insidiosam insinuationem, de qua ferè praecipitur à medio incipere, non exponere initio quò tendas, nec eius partes

Arist. 8. Top. explicare; & longè repetere rationes, & antecedentia consilij nostri, idquè praecipue similitudine, & parabola ac si persona sit imprudens opposita protinus exequi, eiusmodi namquè ingenia facile capiuntur, sin callida sit & astuta non, protinus argumenta sigillatim aperire: sed mutare, res alienas miscere, contrarium fingere, sibi ipsi resistere, quandam non curantiam simulare, vulgare, & vsitatum dicere, irasci, contendere, liberius omnino, & audacius agere; deniquè quod concludendam sit postremum dicere.

2379 cuius exemplum singulare vnum est in Eunucho Terentij, vbi Thais vt dies aliquot Phaedria cōcedente Trasoni traderet, haec criptica callidè adhibet, principio nullum propositi signum dedit: sed contrarium simulans lamentatur, & longa narratione vtitur, muniendis sui consilij rationibus, in qua multae nugae, & affectiones variae miscentur; tandem verò cum sentit iratum prius adolescentis animum mitigatum esse, imò magna ex parte reconciliatū, tum certè postremum posuit, quod primū statui debuit, si nullus animi motus obstitisset.

ELOCVTIO.

2380 elocutio sequitur, cuius partes perpendendae quatuor sunt, emēdatio nēpè, perspicuitas, ornatus, & τὸ πρέπον.

EMENDATIO.

2381 emendata erit illa oratio, in qua coniunctiones aptè ponuntur propria verba vsurpantur, amphibolia vitatur, seu in sententijs, seu in simplicibus verbis, caueturq; nè perturbetur, generibus, numeris, temporibus, personis, casibus. — 3. Rhet. cap. 2.

PERSPICVITAS.

2382 perspicuitas in verbis proprijs, & vsitatis apparet, proindè fugienda sunt obsoleta, & prisca, possumus tamen, & figuratis verbis absquè perspicuitatis labe vti.

2383 diuiditur autem proprietas à Quintiliano admodum ridicule in modos octo, primo namquè ea dici propria vult, quorum prima haec intelligentia, & significatio fuerit, quod est verum. — quint. lib. 8. cap. 2.

2384 secundo modo dicitur proprium, ait inter plura quae sunt

sunt eiusdem nominis, id vnde caetera deducta sunt, ac Quintiliane hic secundus modus à primo diuersus non est: omnis enim dictio propriè aliquid significat: significatio tamen haec saepe ad aliam rem significandam aliquo tropo mutatur, id verò vnde caetera ducta sunt, proprium solum est, caetera τϱοπικῶς vsurpata.

2385 tertius cum res communis pluribus in vno aliquo habet nomē eximium: sed quid prohibet quò minus hunc modum semper ad aliquem tropum deducamus? atquè hic (ni fallor) melius in hoc modo Quintiliani sententiam refutabimus, ac Petrus Ramus fecerit, qui hunc modum semper ad Synecdochem reduxit, cum tamen exempla Quintiliani metaphoram repraesentent. Sch.Rhet. lib. 16.

2386 quartus modus est, cum quod commune est alijs, nomen alicui rei peculiariter tribuitur, qui quidem modus proprietatis Synecdoche est.

2387 quintus modus quo nihil est significantius: at id aliquādo proprium nomen est, vt à primo modo nihil differat, aliquando modificatum, & hic nihil docet.

2388 sextus modus proprietatis est in his, quae benè translata sunt, at cur hic de metaphora ista conturbantur, quàm docentur proprio, & legitimo troporum loco?

2389 septimus modus est in his quae sunt in quoquè praecipua at id interim proprium verbum est, vt hic modus cū primo consentiat, interim modificatum.

2390 octauus modus cum verba plus significāt, quàm eloquūtur, quem modum emphasim nuncupat, reijcitquè demū illum à perspicuitate, & adiudicat ornatui.

2391 sicquè apparet Quintilianum ex duobus significationū generibus propriarum, & modificatarum fecisse genera propriarum octo; tam subtiliter, & acutè, vt secundum genus nihil differat à primo, octauum à Quintiliano ipso reijciatur, tertium, quartum, sextum sint tropi Synecdoche, & metaphora, quintum, & septimum primo genere, aut tropo aliquo contineantur, concludamus itaq; omnem significationem verbi, aut propriam esse, aut mutatā aliquo genere tropi, itaq; si verè statuere volumus, vnica proprietatis in verbis est ratio, vnicus est modus.

2392 in ordine etiam perſpicuitas conſideratur, quae tùm erit quando verborum ſeries non in longum dilata concluſione protrahitur, ſiq; neq; pauciora quàm oporteat, neque plura, neque inordinata, aut indiſtincta dixerimus.

O R N A T V S.

2393 ornatus verò conſtat, vel in ſingulis verbis, vel in eorum coniunctione.

2394 et in ſingulis verbis ornatum adhibemus, cum tropos, ficta, & peregrina verba ſuis locis inſerimus.

T R O P I.

2395 omnis autem Tropus eſt mutatio propriae ſignificationis in verbo, ex cauſsis ad effecta, ſubiectis ad adiuncta, oppoſitis ad oppoſita, comparatis ad comparata, toto ad partem, contràuè, proinde omnis tropus eſt metonymia, ironia, metaphora, Synecdoche, ſi quidem metonymia eſt mutatio ſignificationis ex cauſsis ad effecta, ex ſubiectis ad adiuncta, contràuè, ironia ex oppoſitis ad oppoſita, metaphora ex comparatis ad comparata, Synecdoche ex toto ad partem, contràuè, labitur itaquè communis Rhetorum Schola, quae maiorem troporum numerum conſtituit.

2396 Antonomaſia namquè aut Synecdoche eſt, vt Pelides, Tydides pro Achille, & Diomede: generalia namquè nomina ſunt pro ſpecialibus, aut argumentum quoddam, vt definitio Iouis in hoc exemplo.

„ Diuum pater, atquè hominum rex.

lib. viij. 2397 Onomatopoeia quintum tropi genus eſt Quintiliano, at mutatio ſignificationis hic nulla eſt: nihil enim aliud ſignificarunt vnquam ea nomina.

2398 ſic & catachreſis inter tropos ponitur errore eodem, quo Antonomaſia, ſi quidem interdum metaphora eſt, interdum Synecdoche, interdum alius tropus.

2399 conatur tamen Quintilianus metaphoram à catachreſi ſeparare, quod abſciſio ſit, vbi nomen defuit, tranſlatio, vbi aliud fuit, & vtrumquè falſum eſt: metaphora enim neceſsitatis cauſſa aliquando adhibetur, vt ipſe Quintilianus antea dixit gemmare vites, ſitire ſegetes, & catachreſis eſt aliquãdo vbi nomẽ fuit, vt parricida pro interfectore

fectore, parens pro patre. Tollatur igitur genus hoc, & dicatur, catachresis duritia quaedam cuiuscunquè tropi.
1400 quod idem dicimus & de metalipsi.
1401 aliud tropi genus est epitheton: sed quid est tàm frequẽs in epithetis, quàm propria significatio? calidus ignis, bruta terra, lucidus aer, humida aqua, aliquandò autem mutatur significatio, & tùm vel metaphora, vel synecdoche, vel metonymia, vel ironia est.
1402 Allegoria verò si fiat ex continuis metaphoris, non est nouum tropi genus, nō magis quàm si frequens metonymia, aut synecdoche continuaretur, nequè enim hic diuersa troporum genera dicerentur, sed multae metonymiae, multae synecdoches, ita illic multae metaphorae sunto, diuersum genus nè esto.
1403 si tamen iubet Allegoriam dicere, quod minimè recusamus cōtinuatas in oratione metaphoras, vel potius quoslibet tropos, caueamus nè imperitè in arte describenda pro genere ponatur, quod genus non sit.
1404 Allegoriam credit etiam Quintilianus aliquandò sine tropis esse, vt apud Virgilium, Ecloga ix.

„ Certè equidem audieram qua se subducere colles
„ Incipiunt, molliquè iugum demittere cliuo·
„ Vsq; ad aquam, & veteris iam fracta cacumina fagi
„ Omnia carminibus vestrum seruasse Menalcam.

quod si verum esset, certè non esset tropus, cùm verbum à propria significatione minime mutaretur.
1405 subijcit autem Quintilianus Allegoriae Ironiam, in quo labitur Ironia namquè tropi genus est separatum; si quidem in omni Allegoria, quam Quintilianus cogitat, significatur ex simili simile, in Ironia ex contrario contrarium.

TRANSLATIO.

1406 seligamus autem inter omnes Translationem tanquàm nobiliorem, ex qua maximam iucunditatem percipiunt homines: peregrina namquè verba nobis sunt incognita quare placere nequeunt, cum nullam notitiam afferant propria verò quia cognita sunt nihil noui ostendunt. Arist. 3. Rhet. cap. de verb.
1407 vt autem melius Translationis virtutes cognoscamus eiusdem

Cic. 3. de orat. eiusdem vitia recensenda sunt, quorum primũ est, si minor quàm res postulet, fuerit, vt commessatio tempestatis, atquè vt saxea est verruca.

lib. 9.

2408 animaduertendum autem est hanc vltimam Translationem, quam Quintilianus reprehendit, quamuis rem extenuet, atquè humilis vitiosaquè videatur: receptam tamen olim fuisse probatamquè consuetudini: nam in agro Pisano editissimus collis, ac superans altitudine vicinos omnes, non solum Translato eo nomine vocatur: sed etiã imminuto illo verrucula nominatur, similitudo autem vt arbitror, quae maxima inter eas res est, tantũ valuit, vt humilitatis periculum negligeretur.

Demetri'

2409 sed quaesitum video num Homerus in ea re peccarit in illis verbis ἀμφὶ δ' ἐσάλπιγξεν μέγας οὐρανός; non enim oportebat vniuersum coelum sonitum, clamoremquè edens simile facere tubae sonanti, cum hoc extenuet manifestò, an aliquis forsan ita patrocinabitur Homero, culpaquè ipsum liberare studebit, si dicat, eodem pacto sonuit magnum coelum, vt sonaret, si tuba vteretur vniuersum coelum: tunc enim mente cõcipere possumus vastum quemdam, immensumquè sonum, cum tuba quae in vsu hominum est prae magnitudine ipsius non mediocrem sonum edat: sed vtcunquè periculosa sanè est haec metaphora.

1. can. 3. cant.

2410 in eodem autem errore minimè versatur Danthes, cum Solem Μεταφορικῶς lucernam mundi vocauit: hoc enĩ admirabilis ingenij poeta vidit, ipseque id muniuit, omniquè periculo reprehensionis liberauit: neq; enim simpliciter Solem lucernam vocauit: sed addidit mundi, quae ratio est ea, quam commemorat Demetrius vsurpatam à quibusdam poetis, cum intelligunt se subire periculi aliquid in verbis transferendis, vt inferius dicetur.

2411 oportet itaquè vt exilitatem hanc vitemus ex maioribus transferre ad parua: metaphora enim vt ait Quintilianus, aut vacantem occupare locum debet, aut si in alienũ venit, plus valere eo, quod expellit, non attamen hoc adeo seruandũ est, vt maior, quàm par sit, Trãslatio fiat: nec enim nos vt etiam sensit Aristoteles Euripidem probare

bare

bare possumus, vbi remiges κώπης ἄνακτας nuncupauit. 1 Cyclope
maius enim quid est rex, quam vt conueniat ei, qui remum tractet.

2412 hoc etiam animaduertere in transferendis verbis oportet ne longè ducentur; sed ex rebus quae propinquae, & affines inter se sint, proinde scopulum libentius dixerim 3. de orat.
quàm syrtim patrimonij, voraginemquè potius, quàm charybdim bonorum, si quidem facilius ad ea quae visa, quàm ad ea, quae audita sunt, mentis oculi feruntur.

2413 deformitas etiam in Translationibus fugienda est; propterea nolo morte dici Affricani castratam Rempub. nolo stercus curiae dici Glauciam, quamuis sit simile.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

2414 sed quaesitum video quo pacto haec deformitas in verbis consistat; Bryson enim Sophista neminem voluit esse qui turpiter loqueretur, nam si duo sunt, quae idem significent, aut ambo pariter obscoena erunt, aut neutrum vt cacare, & ventrem exonerare: sed ventrem exonerare non est obscoenum, ergo nequè cacare, quod item de omnibus alijs, quae turpia videntur sentiendum est, atq; Cic. epist.
haec est Brysonis ratio, quam Stoici postea studiosè defenderunt. fam. lib.9.

2415 sed rectè Aristoteles Brysonis conclusionem nonnullis rationibus euertit, quarum prima haec est: quamuis ali- 3. Rhet.
qua nomina idem significent: non tamen sunt aequè turpia, aut aequè honesta: quoniam facile fieri potest, vt aliquod nomen sit alio magis proprium, & magis simile, & magis accomodatum, ad rem oculis subijciendam.

2416 altera est ratio, quod saepe eadem res aliquo modo est honesta, aliquo modo turpis, ergo vocabula, quae rem exprimunt, quatenus est honesta, debent honesta existimari, quae verò notant rem, quatenus est turpis omnino sunt turpia: licet enim habere rem cum muliere, vna tātùm res sit, potest tamē honesta esse, si ob prolem procreandam legitimè fiat, potest & inhonesta esse, si vt libido tantùm expleatur fiat, itaquè si quis dicat liberis dare operam, honestissimè loquetur: si verò concumbere, vel quidpiam tale, turpissimè loqui videbitur.

ΕΡΓΑ.

2417 et praedicta sanè Translationum vitia illa sunt, quae in rebus peccant, superest vt id perpendamus, quod in verbis est; atquè adeo in syllabis ipsis, ac sono verborum.

2418 cauendū est itaquè ne voces, quae transferuntur, syllabas habeant insuaues, atquè asperas, in quod vitium incidit Dionysius poeta elegiarum scriptor, qui cognomento ferreus, vel Aeneus dicebatur: is enī in suis Elegijs poesim appellauit κραυγὴν καλλιόπης idest stridorem Calliopes, in qua re fortasis etiam Horatius iustè reprehendi potest, qui ita de Procis Penelopè verba faciens dixit,

„ Ad strepitum Citharae cessatum ducere curas.

cum suauius esset ad sonitum, vel ad cantum.

2419 quod si rem asperam, & odiosam significare volumus, debemus etiam syllabas, & voces asperas inuestigare, aliòqui translatio vitio carere non poterit, vt Virgilius, cū imperitum cantorem notare vellet, ingeniosisimè voces transtulit hoc modo.

in Bucoli.

„ Non tu in triuijs indocte solebas

„ Stridenti miserum stipula disperdere carmen.

quatuor enim translatis vocibus mirificè ignorantiam cantoris expresit, quae omnes asperitatem quandam, à suaui cantu alienisimam habent, quod si dixisset

„ Clamanti varium palea diffundere carmen.

quamuis totidem sint translatae voces: tamen quia non seruant illam asperitatem omni laude carebunt.

2420 verùm quando periculosa visa fuerit translatio, in imaginem ex Demetrij sententia conuerti debet: sic enim tutior erit, proinde Platonem in lubrico versari asserit Demetrius, qui frequenter suis in sermonibus inserit quiddam, quod saepe reprehensionem inuenit, cum potius vtatur trāslationibus, quàm imaginibus, contra autem Xenophontem, vt in caeteris rebus semper sedulò ipsi aduersatus sit, ita de hac re longè aliter sentire, ac diuersam rationem sequi, qui libentius imaginem vsurpat.

3. Rhet.

2421 sed discrepat nè Aristoteles à Demetrio, qui in soluta oratione

oratione rarò imagines concedit, cuius rationem afferens inquit, magis illas decere poetas, quàm oratores, an idem etiam & ipse sentit? quandóquidem duplex est similitudinum genus, alterũ quod collationes illas amplectitur, quae copiosè, ornateque exponuntur, & habẽt suas redditiones: illae namquè poeticum stilum olent, accuratamquè diligentiam, nec videntur in prosa, populariquè oratione tuto posse adhiberi: aliud autem genus breuius est, ac sine vllo ornatu tractatum, quod significare voluit Phalereus, cum praecipit, vt translationes lubricae in imagines conuerterentur. concordia Arist. cum Demetrio

2422 potest & etiam translatio muniri epithetis admotis, vt Theognis τόξον vocat φόρμιγγα ἄχορδον cuius rei exẽplum quoquè attulit nobis superior Danthis translatio, & illa quoquè eiusdem poetae, qua abietes trabes viuas appellauit. Demetri.

2423 optima verò ea videtur Aristoteli translatio, quae in actu manet, indequè appellatur, cum res inanimae agentes aliquid inductae fuerint tanquam animales.

2424 non video tamen quo pactò metaphora secundum proportionem proxima sit à prima, si quidem vel metaphora vacantem occupare debet locum, vel plus valere eo quod expellit, proinde rectè Xenophontem dixisse testatur Demetrius ἐπειδὴ πορευομένων ἐξεκύμηνέ τι τῆς φάλαγγος aciei enim perturbatione fluctuanti mari comparauit, quod si quis immutatis nominibus dixerit Ἐχφαλαγγίσασαν τὴν θάλασσαν fortasse nõ satis aptè transferret, omnino autẽ tenuiter, atquè de simplicibus verbis: nam de fictis, & peregrinis satis alibi diximus. in Danthis tutela, & i Dipht.

ORNATVS IN CONIVNCTIS VERBIS.

2425 ornatus in coniunctis verbis est aut in apta nominum collocatione, aut in membrorum, incisorumquè elegãti iunctura, aut in formis, & tanquã luminibus orationis. Cic. 3. de orat.

APTA NOMINVM COLLOCATIO.

2426 Disciplinae verò illius, quae ad aptam verborum collocationem pertinet tria sunt numera, quorum primum est videre, quod verbum cum quo verbo iunctum pulchrè, suauiterquè strui, ac copulari queat, alterum autem intelligere

intelligere, quomodò omnium quae construi, iungiquè simul debeant singula formata verba meliorem structurā videri faciant: tertium vt si quid fortè eorum, quae sumantur ad eam rem, eget aut expolitione, aut partis alicuius ablatione, scire quo nam pactò, quomodoquè ad vsum illum ad quem capitur, aptè conformari possit.

Cic. 3. de orat. & Dionysius Halicar. in lib. d cōp. verbis

MEMBRA EORVMQVE IVNCTVRA.

2427 Membra sunt partes periodi, in quibus & longitudine, & breuitate peccari potest: neq; enim longitudo membrorum apta est orationi aut conuenit illi, cum officium suum non faciat, nec suis locis ipsam distinguat, ac terminet, nequè etiam exiguitas, qui namquè illam affectarent, in iustam inciderent reprehensionem, efficereturq; quae vocata est vitioso nomine, & quod culpam indicat arida compositio:

Demetri⁹.

2428 sed mala haec exposita perpetua minimè sunt: sunt enim quaedam tempora, quibus quod aliàs reprehenditur, atq; exploditur laudem habet: namquè cum res amplae grandesquè exponuntur, longa membra formari debent, & propter hoc hexametrum carmen, ob magnitudinē conueniens est Heroibus, & nullo modo aliquis Homeri Illiadem decenter scriberet Anacreontis versibus.

2429 adest etiam & tempus, quod requirit breuia membra scilicet cum res pusilla commemoratur.

2430 est & aliud tempus in quo rectè vsurpantur pusilla membra, cum scilicet versamur in illa graui, atquè acri forma dicendi, quae à Graecis vocata est δεινότης: quod enim exiguo loco multum copiosumquè apparet, acrius est, ac vehementius, magisquè perturbant, quae paucis verbis comprehensae sunt crebrae, grauesquè sententiae, proinde Laconas studuisse breuitati sermonis proditum est, vel vt acres, terribilesquè viderentur, vel quia hic habitus animi acer in gerendo illius gentis proprius eos impulit, vt in dicendo breues forent.

COROLLARIVM.

2431 Hinc & Homerus preces ipsas finxit, & claudas, & rugarum plenas ob tarditatem esse, quod Demetrius putat valere prolixitatem orationis.

9. Illiad.

sed

ΕΡΓΑ.

2432 sed contradicit nè Demetrio Hermogenes, qui in ea forma, quae σεμνότης ab eo dicitur, tradidit breuiora mēbra esse debere, & tanquam aphorismos quosdam, cum tamen in ea Demetrius longiora requirat, quandòquidē existimat per eam grandiores res explicari, an solùm differunt nomine conueniunt autem sententia, si quidem quod Hermogenes σεμνότης appellauit, Demetrius δεινότης dixit. concordia Hermogenis cum Demetrio

2433 cum verò membra, & incisa huiuscemodi composita fuerint inter se periodi fiunt: est enim periodus coagmentatio, ex membris, vel incisis volubilibus ad sententiam, quae subest adaequata.

2434 animaduertendum est autem in locutione, nos eam minimè sectari debere, quae tota ex periodis constat, sicuti neque eam, quae prorsus periodis caret: sunt enim haec duo vitia contraria, permixta sit itaquè; sic enim & arte aliqua elaborata erit, & simplex simul, & ex hac varietate erit etiam iucundior futura ijs, qui audiunt.

2435 sed dissentit nè Aristoteles à Demetrio in ea locutione, quae periodis caret? illam enim Demetrius διῃρημένην hoc est diuisam, & disiunctam appellat Aristoteles autē εἰρομένην hoc est connexam, & vinctam, at licet in eadem re ostendenda, nominibus vtantur, quae tota regione inter se discrepare videntur: non attamen eos dissentire putandum est: vidit enim Aristoteles locutionē eam, quae diuisa & tanquàm soluta erat, alia ratione esse illigatam, & tanquàm cathenae cuiusdam instar: illa namq; coniunctionibus vinciebatur, quae vnam ipsam reddebant, nec alio communi vinculo vtebatur. concordia Aristotelis cum Demetrio.

NVMERVS.

2436 sed cum periodi rectè dispositae numerum oratorium efficiant, idcirco de numero quoquè theoremata proponamus, qui quidem vt etiam superius dictum est, celeris & tardi motus consensus est, vt concentus est consensus acuti soni, & grauis, proinde numerum esse dixerunt veteres Musici temporum ordinem: tempus verò particulā pedis, aut minimam vocis mensuram.

inter

2437 inter metrum autem & numerum non paruum discrimē esse plures & Graeci, & Latini scriptores docuerunt: metrum namquè vbi syllaba non est, locum habere nō potest numerus autem, & in syllabis inuenitur, & sine illis manet.

2438 praeterea metrum certa, ac fixa tempora habet, rythmus verò vt ipsi commodum est tempora ducit: saepe enim longum tempus breue facit, contraquè productum corripit, quae caussa fuisse existimatur, vt quia tantum sibi permitteret, ac nihil definiti haberet, vocatus sit spiritus metri à Longino, vt à nostrae gentis hominibus, qui rebus his student, eadem fortasse de caussa aer cantus vocatur, quia potius iudicium aurium sequantur, quàm normam aliquam certam, qui eo vtuntur.

Porphir. & Simplic. in praed.

2439 nequè tamē ita omnino numeros cepisse videtur Cicero (quod etiam de Aristoteleis rythmis dici potest) vt rythmici ipsi magistri ipsorum, accerrimiquè obseruatores capiebant: nequè enim quod ipsi libere faciunt tempora pedum Cicero commutat; sed pedes potissimum illos in oratione adhiberi vult, qui temporibus constent aptis rebus illis explicandis, id est celeribus, aut tardis, vt natura ipsarum est, tractariq; illae debent, & qui conueniāt aut initijs, aut clausulis membrorum.

2440 numeros autem potius, quā pedes vocare videtur: quia non vnius tantùm tempora pedis intelligit: sed minimū duorum saepe etiam plurium.

2441 malè itaquè Ciceronem reprehenderunt nonnulli, quòd orationem constare numeris oportere diceret, censentes ipsū ita numeros accipere, vt rythmici ipsi suos rythmos capiebant, hinc & praecipuè illius vocem solitam incessi refert Quintilianus, quòd diceret Demosthenis fulmina non tantòpere vibrari potuisse, nisi numeris contorta ferrentur.

cap. de nu:

2442 vt verò accuratè Aristotelis sententiam declaremus sciēdum est Aristotelem numerum heroum, dactylum, nēpè spondaeum, & anapestum, grandem, & elegantem, & aptū ad oratoriā granditatē, & maiestatē asseruisse: sed tñ harmonia, & tēperatione aliorū pedū humiliū indigere.

Iambicum

2443 Iambicum autē numerum non simpliciter, sed frequentem refellit, vt Cicero interpretatus videtur.

2444 quod & de Trochaico dicimus: quoniam nimis incitatus est, & lubricus, propter syllabarum contractionem, & breuitatem, ideoq; saltationibus lasciuis est aptior.

2445 superest itaque vnus paeanicus numerus, qui per se frequens, non tamen semper solus orationi possit accommodari: quoniam ex eo versus non efficitur, & quoniam numerus par grandis nimis, duplus humilis proinde ex grandi, humilique mixtus sescuplus accommodatior.

2446 neque ab hac sententia discrepat Cicero, vt malè sensit eruditissimus Victorius.

2447 neque in hoc vt idem Victorius dixit aduersatur sibi Cicero.

LVMINA ORATIONIS.

2448 lumina orationis sunt figurae dictionis, & sententiae.

VRBANITAS.

2449 inter quae lumina potest vrbanitas quoque adnumerari non abnuente Aristotele.

2450 cuius loca apud Aristotelem quatuor sunt, quicquid alij dicant, contentio nempè, euidentia, translatio, & error.

ΤΟ ΠΡΕΠΟΝ.

2451 Decorum autem tùm seruatur quandò vnicuique characteri propria sententia, locutio, constructioque verborū apta tribuitur, vnde & magna mognificè, media mediocriter, & humilia demum tenuiter exprimi debent.

2452 ad Decorum etiam attinet seiunctim perspicere, quae nā ad γραφικὴν, & quae nam ad Ἀγωνιστικὴν locutionem pertineant: seiunctae namque illae sunt, & altera sine, altera manet.

PRONVNCIATIO.

2453 sed ad pronunciationem iam transeamus, quae quidem parui eget artificij, quoniam à natura potius, quàm ab arte nascitur, quod etiam Horatius docuit. Arist. 3. Rhet. c. 1.

in poetica „ Formát enim natura prius nos intus ad omnem
„ Fortunarum habitum, iuuat, aut impellit ad iram,
„ Aut ad humum moerore graui deducit, & angit;
„ Pòst effert animi motus interprete lingua.

2454 hanc autem Aristoteles in voce tantùm ponere videtur, cum reliqui motum etiam corporis adiungant, in quo maximam esse vim etiam muti homines declarant, qui gestibus ita ferè omnia exprimunt, vt intelligantur, ideò Cicero pronunciationem ita definit, vt dicat esse moderationem vocis, & corporis ex rerum, & verborum dignitate: sed Aristoteles id tantùm attigit, quod maioris est momenti.

2455 tria verò summatim colligit Aristoteles, quae considerare debent illi, qui de actione pertractant, magnitudinem primò, vbi etiam paruitatem, & mediocritatem intelligere debemus; interdum enim extollenda est vox, & (vt ait Poeta) magno ore tonandum; interdum remittẽda ad vulgarem vsq; loquendi consuetudinem, interdum aequabili, & temperata varietate distinguenda, sonum secundò, qui est cõcentus ex acuto, graui, & inflexo tono constitutus, qui aptam intẽsionis, remissionisquè vocum mensuram seruat, vt in cantibus fieri consueuit: nam qui tonos immutat, is totam pronunciandi rationem euertit, vt galli homines facere consueuerunt, numerum tertiò, qui certa pedum ratione constat, de quo suprà diximus.

PARTES QVANTAE.

Arist. 3. Rhet. c. 19. 2456 propriae, veraequè quantitatis partes duae sunt, propositio nempè, & probatio, ad summum autem quatuor possunt esse, exordiũ, propositio, probatio, & peroratio.

lib. 3. 2457 nam quod Quintilianus affert contra Aristotelem, dum refutationem addit, nullius est momenti: falsò nàmquè & imperitè sensit, vt qui prorsus videatur nescisse, non minus, quae refellunt, quàm quae confirmant argumenta probationes esse, quod non modò Aristoteles: verùm & Cicero in partitionibus dixit, dum ea, quae ad faciendã fidem pertinet diuisit in confirmationem, & reprehensionem.

EXORDIA.

2458 Exordiorum duplex est genus proemium nempè, & insinuatio.

PROEMII SEDES.

2459 Proemij sedes est in vno quoq; genere Rhetorices.

PROEMIA GENERIS DEMONSTRATIVI.

2460 Proemia in exornatione, vel propria sunt, vel extrinsecus assumpta.

2461 et propria conficiuntur, vel ex laude, vel ex vituperatione eorum, qui res, quas exornabimus inuenerunt, rerum quas laudandas suscipimus, & auditorum.

2462 et extrinsecus assumpta ex deliberatiuo genere trahi queunt, & ex iudiciali quoquè assumuntur ea, quae personam auditoris respiciunt.

2463 prae caeteris verò genus demonstratiuum extrinsecus assumere potest exordia, proinde ea Aristoteles à Citharoedis translato nomine προαύλια nuncupat.

PROEMIA GENERIS IVDICIALIS.

2464 Proemia generis iudicialis sumuntur, vel ex re, vel ex persona.

2465 et quae è persona deducuntur, vel ab auditore sunt, vel ab oratore, vel ab aduersario.

2466 ex oratore ipso, atq; aduersario ducuntur ea, quae ad inferendum crimen, & dissoluendum pertinent.

2467 ea verò quae ab auditore emanant, eos beneuolos dociles, & attentos reddere debent.

2468 qui conciliare sibi iudicum animos volunt, dare operam debent, vt aut amici illis ipsis, aut miseratione digni videantur, proinde apud optimum Poetam Vlysses precatur à Minerua, vt ita à phaeacibus excipiatur, ad quos naufragus accedebat, vt aut benè ipsis cupere, aut miserabilis esse videretur.

2469 attenti fiunt auditores, si orator de rebus magnis, proprijs, mirabilibus, & iucundis se dicturum polliceatur, contraria verò attentionem imminuunt, & praeterea risus quoquè quicquid garriat Quintilianus, quod Cicero

pro Ligario demonstrauit.

2470 ea demum quae à caussa sumuntur in eadem ferè incidũt, his demptis, quae à caussa turpi oriuntur, quae insinuationem expostulant.

PROEMIA GENERIS DELIBERATIVI.

2471 Proemia generis deliberatiui propria nulla sunt: sed à iudiciali semper ferè sumuntur, fiuntquè quinque modis quorum primus est, vt aduersarium criminemur, si quid inutile, aut turpe suaserit, alter vt crimina dissoluamus, tertius, vt amplificemus, quartus vt imminuamus, quintus est vt quodam ornamentum, & dignitatem habeat oratio ne temerè, ac sine ratione videatur effutita.

NARRATIO.

2472 Narrationis virtutes sex sunt, breuitas nempè, perspicuitas, verisimilitudo, mos, affectus, & voluptas.

2473 verisimilis ea erit narratio, in qua personarum dignitas seruabitur, tempus idoneum, & locus opportunus; siquè incredibilia aliquo pacto continebit, caussam statim adnectet, quod Intaphernis vxoris de fratre dictum apud Herodotum planè declarat. *in Thalia.*

2474 mos verò tùm in oratore, tùm in alijs personis considerari debet.

2475 et quòd ad oratorem spectat, ea erit morata oratio, quae ἀπὸ προαιρέσεως non ἀπὸ διανοίας proficiscetur.

2476 in alijs verò personis id perpendere debemus, vt eum quem tuebimur probum, aduersarium verò improbum indicemus, quod sanè multis modis assequi possumus.

PROBATIO.

2477 probabilis autẽ fit oratio per fidem, tùm Logicam, tùm Ethicam, & Patheticam.

2478 Logica probatio est ea, in qua tùm confirmatio, tùm refutatio perpenduntur.

2479 confirmatio partitionem, argumentorum loca, quaestiones, delectum, & collocationem argumentorum continet.

2480 quaestiones sunt quatuor, an res facta sit, quo nomine debeat appellari, an secundũ leges, an magna vel parua, in

quibus

quibus contra eos Aristotelem sentire manifestum est, qui ad iudicialem tantùm materiā pertinere status caussarum putauerunt, quos etiam iure reprehendit Quintilianus.

1481 in delectu, & collocatione argumentorum id animaduertendum est, quòd quaedam congruunt consilijs, vt exempla, quaedam iudicijs, vt enthymemata.

1482 id etiam prorsus considerandum est, vt prorsus morem, & affectum, à logica materia separemus, nam eodem tēpore motiones excitantur, aut mutuò se delent, nec altera alterius vestigium relinquit, aut imbecillas reddunt vt infirmae alterae factae paruam, aut nullam vtilitatem ipsis afferant.

1483 Refutatio est, quae fit tùm per instantiam, tùm per contrarium Syllogismum.

1484 fides morata, & pathetica est quandò non enthymemata ad docendum: sed sententiae ad conciliandum, & permorandum, hoc est ad exprimendos mores, & affectus aptae ponderantur.

1485 in morata verò fide, id prae caeteris animaduertere debemus, vt cum de nobis aliquid dicendum sit, quod laudem afferat, & contra alios, quod labem, & dedecus illis importet, alium ea exponentem inducamus, quod Archilocus in Lycambem, & in Nebulem optimè fecit.

PERORATIO.

1486 Peroratio quatuor continet partes, beneuolētiam auditorum primò: natura enim hoc fert, vt postquā se ipsum quispiam argumentando veracem, aduersarium verò mēdacem esse demonstrarit, tùm & se laudet, & illum vituperet amplificationem, & diminuitionem secundò: vt enim natura corporibus, quae actu iam sunt quantitatē adiungit, ita & orator confirmatis iam, & constitutis rebus magnitudinem applicat, affectum tertiò: nam cùm res iam confirmatae, & explanatae sint, eaedemquè aut amplificatae, aut diminutae ordo postulat, & ratio huius artis requirit, vt excitentur affectus accommodati caussae in animis auditorum, ennumerationem vltimò.

2487 quae vel per collationem fit, vel absolutè iuxta ordinem naturae.

2488 et quae per collationem fit, vel per contentionem, vel per ironiam, vel per interrogationem fit.

ALIAE ARTES LIBERALES.

2489 sed iam ad mathematicas artes transeamus, quae quoniam sub contemplatiua philosophia continentur, proinde philosophiae contemplatiuae diuisionem requirũt.

DIVISIO PHILOSOPHIAE CONTEMPLATIVAE.

2490 in qua quidem diuisione duplex est opinio, altera ex natura rerum philosophiam ipsam contemplatiuam vnam tantùm esse scientiam, diuisionem verò multifariàm suscipere ad faciliorem hominum intellectum, altera philosophiam contemplatiuam ex sui natura secari debere.

ANTONII MIRANDVLANI OPINIO CIRCA DIVISIONEM PHILOSOPHIAE.

lib. 13. Monomach. sec. vi. 4. met.

2491 Antonius Bernardus Mirandulanus primam opinionem mordicus tuetur, videturq; id ex verbis Aristotelis velle facere, quae sunt haec:

„ quapropter & eius quod est, vt est ens, quaecunque
„ sunt species vnius est scientiae genere, & specierum
„ species contemplari.

etenim si quaecunque sunt species entis, & specierum species attinent ad vnam scientiam genere, ergò decem praedicamenta ad vnam scientiam genere pertinere dicendum est: sunt enim species entis, sic & quaecunque sunt à decem praedicamẽtis, vsquè ad species specialissimas attinebunt ad eandem scientiam genere, non ergò ex scientia naturali potest esse nisi vna scientia genere.

6. met. t. 2. 11. t. 16.

2492 distribuit autem Aristoteles res omnes in tres scientias, non ex vi quidem rationis, & natura ipsarum rerum: sed solum ob commoditatem tractandi res, & speculandi.

lib. xiij. sec. 1.

2493 hanc verò vnitatem scientiae adeò latam fecit, vt vniuersam arborem orationum, quam ipse fabricatus est, simpliciter & absolutè attinere ad hanc scientiam crediderit, cum ea omnia affectionis entis esse, quatenus est ens

arbitratus

arbitratus sit, licet in ordine ad opus artem de sermonibus vna genere factiuã cõstituerit, logicãq; nũcupauerit.
1494 ex quibus ex eius sententia manifestum est, magis subalternatam à subalternante differre, quàm Phisicam, & Mathematicam à Metaphisica.

HORVM EXPVGNATIO.

1495 verùm si scientiae ex proprijs principijs fluunt per quae variae afferuntur proprietates, definitiones, & demonstrationes, ex quibus varia scientiarum genera emergunt ea oportebit constituere subiecta, quae diuersa arguant principia, definitiones, demonstrationes, & proprietates, proinde nullo pacto vna tantum erit scientia. 1. posteri. 179.
1496 et quamuis adsit scientia, quae ens quà ens speculatur, non tamen aliae illius sunt partes cum non speculentur entia partialia, quà entia sunt, quicquid ipse multis futilibus rationibus garriat.
1497 ab omniquè veritate remotũ est, quod ipse fatetur alibi scientias nempè materia strata distingui. l. 18. sec. 1.
1498 licet etiam inferius contra Themistium Phisicam, & Mathematicam, à Metaphysica materia strata distingui simus affirmaturi.
1499 nequè minus falsum est Logicam sub ea scientia contineri, quae ens quà ens speculatur, si quidẽ illud ens adeò latum, vt etiam entia Logica comprehẽdat, nullo pacto vt subiectum ab Aristotele constituitur, cum id saepius refellat. sub fine li. vi. Met. & sub fine xi.
2500 quòd autem alibi Philosophus Mathematicam, naturalemquè partes esse sapientiae concludit, non est, quod nos perturbet, si quidẽ vt rectè declarauit Michael Ephesius, quicquid secus dixerit Zimara, sapientiam intellexit ibi omnem scientiam, quae circa verum negociatur, ad differentiam Sophisticae, proindeq; illas partes sapiẽtiae nuncupauit: quoniam demonstrant, & non fallunt cum Sophistica semper accipiat falsa. xi. met. c. 3 ibidem 5. cõtrad. 6. metaph.

SCOTI OPINIO IN DIVISIONE PHILOSOPHIAE.

2501 Scotus verò à praedicta opinione non multum est differens, qui quidem sic distinguebat has scientias, in consi- 6. met. q. 1.

deratione rerum ipsarum est conceptus communissimus omnibus, & ab omnibus abstractus, entis scilicet quà ens, & proprietatum etiã ad ens pertinentiũ, tumq; emergit illa sciẽtia, quae ens, quà ens cõsiderat, nẽpè Metaphisica: verũ haec scientia non potest in hac sola cognitione persistere: sed debet vlterius progredi: q .n. ens cognoscit, nõ cognoscit species eius nisi potẽtia, necessariũ est ergò, vt ad species entis descendat, in quibus occurrunt decem praedicamenta, quae omnia secundum se non habent alias proprietates nisi trãscendentes, scilicet entis, propterea haec quoquè Metaphisicae conueniunt.

2502 si verò speciatim ad praedicamenta descendamus ea, quae sunt accidentium, non sunt talia, vt possint per se scientiam constituere, si quidem ex illius opinione prima subiecta esse nequeunt, cum mediatè, vel immediatè virtute in substantia contineantur.

2503 sed si considerabimus substantiam tantùm, tunc diuidemus substantiam in corpoream, & in incorpoream.

2504 incorporea per se pertinet ad illa, quae sensibilibus nõ subijciuntur, proinde continetur sub ea facultate, quae ens, quà ens rimatur.

2505 corporea verò duplicem habet considerationem, alterã corporis, linearum, magnitudinis, constituiturquè hoc modo Mathematica, alteram, vt habet in se materiam, & in hoc occupatur Philosophia naturalis.

HORVM EXPVGNATIO.

2506 Haec autem opinio easdem patitur obiectiones, quae & superior: nam cum dicit, quòd non possumus persistere in cognitione entis in vniuersali: quia tùm non cognoscimus species nisi potentia, & propterea oportet ad species descendere, hoc eodem fundamento dicam ego omnes scientias effici vnam scientiam, nam vnusquisquè genus considerans, non habet cognitionem specierum nisi potentia, ad quarum praeterea considerationem in eadẽ scientia debet descendere.

2507 accipit etiam tanquàm compertum, accidentium cognitionem pertinere ad eam facultatem, quae substantiam considerat, cum tamen communis sit opinio apud Peri-

pateticos, Mathematicum non considerare substantiam, sed solum quantitatem.

EGIDII OPINIO IN DIVISIONE PHILOSOPHIAE.

2508 Egidius verò tres scientias esse dixit, eò quod tria sint obiecta, quiditatis, qualitatis, & quantitatis, quiditas ex eius opinione pertinet ad Metaphysicam, quantitas ad Mathematicam, qualitas ad naturalem. p. de gene.

HORVM EXPVGNATIO.

2509 sed neque etiam haec distinctio probatur mihi: naturalis enim, & quiditatem rerum naturalium considerat, quin & quantitatem interdum, vt apparet primo de Coelo Mathematici quoquè, & quale etiam cōsiderant, nempè figuram.

DIVI THOMAE OPINIO IN DIVISIONE PHILOSOPHIAE.

2510 Diuus Thomas (si tamen ipsius est opusculum septuagesimum) dixit naturalem Mathematicam, & diuinam per abstractionem constitui: separari verò per has differentias, quòd naturalis ab indiuiduali tantū materia abstrahat, cum vniuersalia consideret, Mathematicus non solū ab indiuiduali: sed etiam à sensibili secundum rationem, Metaphysicus verò abstrahat à materia simpliciter. in opuscu. 70. p. q̃st.

HORVM EXPVGNATIO.

2511 in his autem nos minimè probamus modum, quo naturalem, & Metaphysicam constituit: naturalis enim facultas minimè determinatur per abstractionem ab indiuiduali, quia abstrahere ab indiuiduali proprium est omnium scientiarum: sed propria ratio per quam constituitur naturalis, est concernere, non abstrahere.

2512 verum est sanè, naturalem ab indiuiduali materia abstrahere: sed per hanc abstractionem Physica non constituitur, cùm eius propria ratio materiam includat, & secundum rationem, & secundum esse.

2513 nec obiectum Metaphysicae, vt inferius declarabimus satis est explicatum.

Simplicij

SIMPLICII OPINIO IN DIVISIONE PHILOSOPHIAE.

2514 Simplicius verò philosophiam sic videtur diuisisse, vt quodcunque mens cum sensu, & phantasia intelligit, naturalem scientiam, diceremus: sed quod est circa actionem puram ipsius intellectus, efficit diuinarum litterarũ genus, primamquè philosophiam, quod autem est circa eas formas, quae partim separatae sunt, partim inseparabiles, mathematicam, & scientiam de anima vocant.

HORVM EXPVGNATIO.

2515 sed nequè etiam ille modus placet nobis: praecepit enim afferre diuisionem scientiarum, ex potentijs animae, neq; tamen id complere potuit, cum non inuenerit potentiã mathematicis proportionabilem, proinde fuit coactus ad obiecta confugere.

THEMISTII OPINIO IN DIVISIONE PHILOSOPHIAE, QVAE MODO COMMVNIOR VIDETVR.

i proemio Phisicorũ

2516 Themistius autem, & omnes ferè recentiores (haec enim opinio modò crebriori calculo recipitur) existimarunt has differentias concernendi materiam, & non cõcernendi aptissimas esse ad diuisionem scientiarum, si quidem Phisica ob hoc ab alijs secernitur, quia formas in materia semper speculatur.

1. Phis. 19. 6. met. 2.

2517 quae verò materiam non concernunt per abstractionem constituuntur, atquè si abstractio fuerit secundum rationem tantùm, mathematicae scientiae nascuntur: si verò & secundum rationem, & secundum esse oritur metaphysica.

HORVM EXPVGNATIO,

2518 & haec quoquè minimè nobis placent, si quidem metaphysica cum ens, quà ens speculatur, materialia etiam contemplabitur.

VERA PHILOSOPHIAE DIVISIO EX PLATONE EXCERPTA.

6. & 7. de Repub.

2519 quis itaquè lumen dialecticum in tantis tenebris adhibebit? diuinus nempè Plato, ex quo breuissima haec, & absolutissima philosophiae distinctio desumi potest, vt

intellectilia

intellectilia Metaphysicam constituant, sensibilia Physicam, cogitabilia Mathematicam.

2520 sed discrepat nè ab Aristotele, qui sexto Metaphysices, per alia obiecta, concretionem nempè materiae, & abstractionem secundum rationem, & secundum esse Philosophiam speculantem diuisit? an potius hi summi viri, vt in reliquis minimè dissentiunt? intellexerunt enim diuersam metaphysicam, si quidem Aristoteles strictius illam assumpsit ibi, ac par esset, cum de parte tantum primae philosophiae, quae incorporeas substantias re à materia separatas rimatur, locutus sit, quo pacto rectè Aristotelea diuisio defenditur, at Plato vniuersam Metaphysicam intellexit, in qua re ad diuersa obiecta necessario confugiendum erat. in principio. lx. concordia.

MATHEMATICAE.

2521 sed iam ad Mathematicas propius accedamus, quas licet Platonici, inter Physicas, & Metaphysicas speculationes reposuerint, non tamen quicquam diuersum senserunt à Peripateticis, quamquam isti Mathematicam Theoriam ante Physicam collocarint: secuti sunt enim methodum naturae, vt illi prudentiae. lxi. cōcordia.

MATHEMATICARVM SCIENTIARVM DIVISIO EX PYTHAGOREORVM OPINIONE.

2522 in harum autem diuisione occurrunt prius Pythagorei, qui vniuersam mathematicam scientiam, quadrifariàm distribuendam esse censuerunt, vnam quidem illius partē quoto, alteram verò quanto attribuentes, harumq; partium vtramquè duplicem ponentes. Proclus in p. sub euol. cap. xij.

2523 quotum enim aut per se subsistere dixerunt, aut iuxta respectum ad aliud considerari, quantum verò aut stare, aut moueri, & Arithmeticam quidē quod per se est quotum contemplari: Musicam verò quod ad aliud: Geometriam autem quantū, quatenus est immobile, & Sphaericam quod per se mouetur.

HORVM EXPVGNATIO.

2524 sed horum diuisio apud me semper insufficiens fuit multas enim mathematicas scientias omittit, vt perspectiuā, Geodaesiam, & similes.

Mathe-

MATHEMATICARVM SCIENTIARVM VERA DIVISIO, EX SENTENTIA GEMINI.

Proclus cap. 13. 2. Physic. cap. 19.

2525 melius itaquè Geminus Mathematices duas fecit partes, quarum alteram in abstractis reposuit, alteram autem in sensilibus, quā diuisionē Aristoteles ipse amplexatus est.

2526 atquè eius quidem, quae in abstractis versatur, duas longè primas, praecipuasquè posuit partes, Arithmeticam nempè, & Geometriam, eius verò quae in sensilibus officium, & opus explicat suum sex, Supputatricem, Musicam, Perspectiuam, Geodaesiam, Astrologiam, & Mechanicam.

2527 Militarem autem artem, quam nonnulli inter Mathematicas addiderunt, eam inquā, quae ad instruendas, coordinandasquè pertinet acies, ipse reijcit, si quidem ipsa modò est supputatrix, vt in ennumerandis legionibus, modò Geodaesia, vt in diuidendis, dimetiendisquè castrorum metationis campi spatijs.

ARITHMETICA.

2528 inter istas autem Arithmetica principium, matrisquè quodammodò ad caeteras obtinet portionem, si quidem sublata Arithmetica, Geometria quoquè corruit, & cum situ non egeat caeteris omnibus simplicior est, si quidem rimatur numerum illiusquè proprietates, quarum cognitio absquè positione, quod non accidet in quantitate continua, contingit nobis.

ARITMETICAE DIVISIO.

2529 sed vt methodica sanè hanc etiam facultatem expendamus, numeri speculationem in duas principes partes partiamur: numerus enim vel absolutè, vel vt ad aliquid refertur considerari potest:

2530 vt verò absolutè perpenditur, vel in illis versatur rebus, quae Arithmeticae tantùm propria sunt, vel in illis, quae in Geometricis figuris, & in earum spatiorum dimensionibus possunt etiam perspici: in prima parte paris, & imparis, perfecti, imperfecti, & superflui, natura, diuisioquè absoluitur: in secunda verò numeri lineares, triāgulares, quadrati, caeterique, quos sola pendit plana dimensio, nec non inaequali laterum compositione coniuncti,

iuncti, solidi etiam, id est Cubi, Sphaerici, Pyramides, Laterculi, Cunei, atq; hoc genus, & alij expenduntur.

NVMERVS PAR.

2531 Definitur autem par numerus secundum Pythagoram, vt sit is, qui sub eadem diuisione potest in maxima paruissimaquè diuidi secundum duorum istorum generum contrarias passiones, quae definitio sustineri non potest. Boet. Aryt: lib. 1. c. 4.

2532 nisi Zaratae Pythagorae praeceptoris placita de dyade admittamus.

2533 alia est paris numeri definitio, par numerus est, qui in duo aequalia, & in duo inaequalia partitionem recipit: sed vt in neutra diuisione, vel imparitati paritas, vel paritati imparitas misceatur, quae definitio, eodem confoditur telo, quo & superior cap. 5.

2534 eodemquè defenditur modo.

2535 melior itaquè illa erit definitio, quae parem illum statuit, qui vnitate differt ab impari, vel diminutione, vel incremento. cap. 6.

2536 verùm cur non tribus Boethij definitionibus illam Martiani Capellae, qui parem numerum illum definit, qui in duas aequas diuiditur partes, anteponimus? Mar. Cap. de Aryth. c. de pari.

PARIS DIVISIO.

2537 paris autem numeri species iuxta Boethium tres sunt: est enim vna, quae pariter par dicitur, quem numerum militum numero Aelianus adiudicauit, ad acies cômodius permutandum, itaquè phalangis numerus à Tacticis exoptatur 16384. alia verò pariter impar, tertia impariter par, & contraria quidem, locaq; côtinentia summitatum videntur esse pariter par, & pariter impar, medietas autem quaedam, quae vtrumquè participat, est numerus, qui vocatur impariter par. cap. 8.

2538 existimarunt autem multi Euclidem dissentire à Pythagoraeis in pariter pari, si quidem cum numerum pariter parem appellauit, quem par numerus per parem numerum metitur, sub qua definitione, & impariter par, absquè dubio continetur: sed paucis demonstrabimus nos eos verbis tantùm non autem re discrepare. lib. 7. def. 8. concordia Euclidis cũ Pythagoraeis.

2539 dubitant etiam & alij num Euclides impariter parem, vt

corumdē concordia medium inter pariter parem, & impariter parem nouerit. Nos quidem illius sumus sententiae, vt hunc numerum Euclides tanquam medium inter illos duos extremos prorsus agnouerit, si quidem illius meminit in nono libro, pulchrè ipsum neque pariter parem, neque pariter imparem dicens. propol. 34.

NVMERVS IMPAR, EIVSQVE DIVISIO.

2540 impar numerus est, qui à paris numeri natura, substantiaque disiunctus est, si quidem ille in gemina membra aequa diuidi potest, hic ne secari queat vnitatis impedit interuentus. Tres habet similiter subdiuisiones, quarum vna, eius pars est, is numerus, qui vocatur primus, & incompositus, secunda verò, qui est secundus, & compositus, & tertia is, qui quaedam horum medietate coniunctus est, & ab vtriusque cognatione aliquid naturaliter trahit, qui est per se quidem secundus, & compositus: sed ad alios comparatus primus, & incompositus inuenitur. cap. 13.

2541 quòd verò plerique Mathematici affirmant, primum & incompositum numerum semper imparem esse absque Zaratae principijs minimè tutum est.

ALIA NVMERORVM DIVISIO.

2542 est & etiam numerorum secunda diuisio, vt alij diminuti sint, alij superflui secundum vtrasque inaequalitates, omnis quippe inaequalitas, aut in maioribus, aut in minoribus consideratur, isti verò sunt, qui suis partibus comparati maiorem partium summā toto corpore sortiuntur, illi verò, quorum compositae partes totius termini multitudine superantur. cap. 19.

2543 inter hos autem velut inaequales intemperantias medij limitis temperamentum sortitus est ille numerus, qui perfectus dicitur, virtutis scilicet aemulator, qui nec superuacua progressione porrigitur, nec contracta rursus diminutione remittitur: sed medietatis obtinēs terminum suis aequus partibus, nec crassatur abundantia, nec eget inopia. cap. 20.

2544 est autem vnus tantùm numerus perfectus intra vnum quodque nouum denarium, si quidem, vnitatū denarius

sex tantùm habet, denariorú verò denarius viginti octo centenariorum, quadraginta, nonaginta sex, millenariorum viginti octo super octo miriadas, & centum, & sic in alijs.

2545 et semper hi numeri duobus paribus terminantur sex, & octo, & semper alternatim in hos numeros summarum fines perueniunt.

NVMERI, QVI CIRCA GEOMETRICAS DIMENSIONES VERSANTVR.

2546 nunc ad eos numeros transeamus, qui circa Geometricas figuras, earumquè spatia, & dimensiones versantur, ad quorum cognitionem sciendum est vnitatem, puncti vicem obtinere interualli, longitudinisquè principium, cum ipsa nec interualli, nec longitudinis capax sit: quamobrem vt punctum puncto superpositum nullum efficit interuallum, sic & vnitas in se ipsa multiplicata nihil procreat, linearis ergò numerus à duobus inchoat adiecta semper vnitate. l. 2. c. 5.

2547 plana verò superficies in numeris inuenitur, quoties à tribus inchoatione facta addita descriptionis latitudine in sequentium se naturalium numerorum multitudine anguli dilatantur. Hi verò idcirco à ternario numero inchoant, quòd latitudinis, & superficiei solus triangulus initium sit. cap. 6.

NVMERVS TRIANGVLARIS.

2548 nascuntur autem triangulares nùmeri disposita naturali quantitate numerorum si prioribus semper multitudo, sequentium aggregetur. cap. 9.

2549 et omnes alij plani numeri ex triangularibus procreantur, si quidem tetragoni numeri ex superioribus triangulis oriuntur: quatuor enim ex vno, & tribus, nouem ex tribus, & sex, & sic in alijs, pētagonorum verò numeri conficiuntur ex vno super se tetragono, & altrinsecus triangulo constituto, nam quinque pentagonus, ex quatuor super se posito tetragono, & ex vno primo potentia triangulo aggregatur, duodecim verò pentagonus ex nouenario super se quadrato, & tribus secundo triangulo nascitur, at verò si hexagonú quoquè librata examinatione cap. 18.

natione perſpiciamus, ex pentagono ſupra ſe poſito, & triangulo procreabitur: nam ſex hexagonus ex quinario pentagono, & vno qui eſt in triangulorum ordine diſpoſitus naſcitur, nec alia eſt origo quindecim hexagoni, niſi ex duodenario pentagono, & ternario triangulo, atquè hoc in caeteris.

NVMERI TETRAGONI.

cap. 12.

2550 naſcuntur autem numeri tetragoni ex naturalis numeri diſpoſitione, non quemadmodum ſuperiores trianguli, vt ordinatis ad ſe inuicem congregentur: ſed vno ſemper intermiſſo qui ſequitur, ſi cum ſuperiori, vel ſuperioribus colligatur, ordinatos ex ſe tetragonos efficiet.

Campanuſ in x. Eucl. Procl. i p. Eucl. prop. 47.

2551 cum autem in Arithmeticis tetragonus numerus, tetragoni duplus non reperiatur (niſi quis proximiorem dicat: qui enim à ſeptenario fit eius, qui fit à quinario duplus eſt vnitate deficiente) proinde quadrageſima ſeptima primi Elementorum Euclidis in numeris prorſus ſibi locum non vendicat.

in Repub.

2552 in ſcalenis verò fieri poteſt, vt tales numeri ſuſcipiantur, & euidenter nobis oſtendatur, quod à ſubtendente rectũ angulum fit, aequale ijs eſſe, quae à lateribus circa rectũ angulum exiſtentibus fiunt: huiuſmodi enim eſt triangulum de quo Plato meminit, cuius rectum angulum ternarius, & quaternarius continent, quinarius autem eum ſubtendit.

2553 traditae autem ſunt, & viae quaedam inuentionis huiuſcemodi numerorum, quarum vnam quidem ad Platonem referunt, alteram verò ad Pythagoram, quippè quae ab imparibus orta eſt numeris: ponit enim datum imparem numerum, tanquam minus latus eorum, quae circa rectum angulum ſunt, & cum acceperit eum, qui ab ipſo fit tetragonus, ab hocquè vnitatem abſtulerit reliqui dimidium ponit, veluti maius latus eorum, quae circa rectum ſunt angulum, cum autem huic quoquè vnitatem adiecerit, reliquum quod ſubtendit latus efficit.

2554 at Platonica via à paribus adoritur: cum enim datum parem ſuſceperit numerum, ponit ipſum tanquam vnum latus eorum, quae circa rectum angulum ſunt, huncq́; cũ

bifariam

bifariàm diuiserit, & à dimidio quadrangulum numerũ produxerit, cum vnitatem quidem quadrangulo illi numero adiecerit, latus subtendens efficit, cum verò vnitatem à quadrãgulo abstulerit, facit reliquum latus eorum, quae circa rectum angulum sunt, vtraq; via recta.

1555 si verò quaerat aliquis, cur numerus tetragonus, numero tetragono duplus non reperiatur, illi sic breuibus satisfieri posse arbitror, si dicamus diametri ad latus rationem quidem esse, vt duarum quarumlibet quantitatum: sed tamen inexplicabilem numero, proindequè irrationalem appellatam.

1556 propterea Ficinus labitur, in numerorum diametralium declaratione: existimat enim idquè rectè vnitatem sicut numerorum, figurarumquè principium est, ita lateris, & diametri, atquè ad vtrumq; potentiam habere, vnitas itaq; si ad binarium processerit lineam iam efficiet, quae posit fieri latus futuri quadrati, si rursus adeò processura sit, vt faciat diametrum, quoniam diameter necessariò est latere maior saltem processura est in tria. in 8. de rp. cap. v.

1557 atquè si cupis ex eiusdem sententia quadrata rursus maiora producere ex lateribus, & diametris adde lateri quidem illi binario diametrum illum ternarium, habebis quinarium iam pro latere, adde etiam illi diametro scilicet ternario bis latus, illud binarium habebis, iam septenarium pro diametro.

1558 quòd si quaeras, cur nam oporteat in augendis quadratis priori quidem lateri addere diametrum vnum, diametro verò latera priora duo, id ex eo nasci respondet, quia quantum latus bis valet, tantum diameter semel, quae quidem doctrina bona est, malè tamen ab eo applicata.

1559 nec enim ternio binarij diameter est, nec septenarius quinarij, ex primo namquè diametro tetragonus oritur ad quadratum ex latere procreatum vnitate maius quàm duplum, ex secundo verò vnitate minus quàm duplum, cum tamen quadratum ex diametro constitutum, duplũ sit ad quadratum ex latere factum.

COROLLARIVM.

2560 proinde Plato dicebat diametrum esse lateri commensurabilem, rursusquè non esse, essè quidem virtute: nam virtus diametri, ad virtutem lateris dupla censetur: si enim quadratum ex latere bipede factum sit quatuor, quadratum ex diametro productum erit octo, qua quidē virtute videtur, vt dixi diameter lateri proportionalis: sed altera quoquè ratione proportionalis nō iudicatur, si quidem radix quaternarij nota est, octonarij verò vt plani incerta.

ΕΡΓΑ.

NVMERVS TETRAGONVS, ET RELIQVI PLANI NVMERI.

2561 Nascuntur autem illi numeri, qui extensi in latitudinem quinque angulos pandunt, ab eadem naturalis numeri quantitate in se se coaceruata, ita vt duobus semper interiectis numeris, sequens superiori, vel superioribus iūgatur. cap. 14.

2562 similiter etiam licebit, & aliarum formarum, quae pluribus angulis continentur quantitates adscribere. cap. 17.

NVMERVS CIRCVLARIS.

2563 numerus verò circularis est, qui à se incipiens, & per se productus in se desinit, vt trigintasex, & vigintiquinquè à sex, & quinque, per sex, & quinque procreati:

2564 nec vlli dubium esse debet in Arithmeticis circulum tetragono aequalem dari.

NVMERVS SOLIDVS.

2565 numerus solidus aliud interuallum à superficie altitudinem nempè suscepit: sicut enim longitudini numerorū aliud interuallum, idest superficiem, vt latitudo ostenderetur adiecimus, ita nunc latitudini, si quis addat eam, quae aliàs altitudo, aliàs crassitudo, aliàs profunditas appellatur solidum numeri corpus explebit. cap. 20.

PYRAMIS.

2566 inter quos prima figura est Pyramis sicuti, inter planos prima figura erat triangulus, fitq; Pyramis & supra triangulum, & supra tetragonum, & supra reliquas figuras, illiusquè generatio talis est: vt enim lineares numeros cap. 23.

esse dicimus, qui ab vno profecti in infinitum currerent, & sicut his ordinatim compositis, & in se inuicem cum distantia iunctis superficies nascebantur: sic nunc ad solidorum corporum procreationem ipsae nobis superficies naturaliter componendae sunt.
2567 et ad faciendas quidem pyramides à triangulo ipsi nobis trianguli iungendi sunt, ad procreandas verò pyramides à tetragono tetragoni, ad eas demùm, quae sunt à pentagono pentagoni copulandi sunt, & sic in reliquis.
2568 si verò pyramides à qualibet basi profecta, vsquè ad primam vi, & potestate pyramidem perueniunt vnitatem, perfectae pyramides sunt, sin secus curtae vocantur. cap. 24.

NVMERVS CVBVS.

2569 cubus ad aequilateris quadratis profectus aequus ipse omnibus partibus est: nam & latitudini longitudo, & his duobus compar est altitudo, & secundum sex partes sursum deorsum, dextra sinistra, ante post sibi aequalem esse necesse est, vt bis duo bis, ter tria ter, & similes. cap. 25.

NVMERVS SCALENVS.

2570 huic oppositum cõtrariumquè esse oportebit, qui nequè longitudinem latitudini, nequè haec duo profunditati gerat aequalia: sed cunctis inaequalibus quàmuis solida figura sit ab aequalitate cubi lõgissimè distare videatur, hi autem sunt, vt si quis faciat bis tres quater, vel ter quater quinquies, & alia huiusmodi, quae per inaequales spatiorum gradus inaequaliter prouehuntur. Haec autẽ forma Graeco nomine scalenos vocatur: nos verò gradatam possumus dicere, quod à minoribus velut gradibus crescat ad maiores.
2571 vocant autem eandem figuram Graeci quidã sperniscon, nos autem cuneum possumus dicere.

PARTE ALTERA LONGIORES, ET ANTE LONGIORES NVMERI.

2572 illae verò figurae, quales sunt illae, quae à Graecis Ἑτερομήκεις vocantur, nos autem dicere possumus parte altera longiores sunt illae, quas si in latitudinem describas, & ipsae quidem quatuor prouenìunt laterum, & quatuor angulorum: sed non cunctus aequalibus, cum altera pars cap. 26.

altera minor vno fit.

cap. 27.

2573 si verò eorum latera non sola discrepent vnitate, non vocantur illi numeri parte altera longiores: sed antelongiores.

LATERCVLI, ET ASSERES.

2574 Laterculi sunt, qui fiunt ex aequalibus aequaliter in minus, Asseres ex aequalibus aequaliter in maius; & haec satis de absoluta Arithmetica, nunc ad relatã trãseamus.

ARITHMETICA RELATA.

2575 Arithmetica verò relata, vel in ratione, vel in proportione reperitur.

RATIO.

2576 et ratio etiam duplex est, altera quidem aequalitatis, cuius differentia nulla est: altera verò inaequalitatis, cuius rationales species sunt quinque, tres quidem simplices, vt potè multiplex, superparticularis, & superpartiens, & duae ex his compositae, scilicet multiplex superparticularis, & multiplex superpartiens.

lib. 1. cap. 22.

2577 porrò haec omnia intelligenda sunt, dum maiores mino ribus comparantur magnitudines: nam si minores maioribus comparentur subrationales erũt maiores minoribus, hinc talium magnitudinum rationes submultiplices subsuperparticulares, subsuperpartientes, submultiplices superparticulares, & submultiplices superpartientes pro ratione, atquè transpositione terminorum appellantur.

2578 inter istas verò rationes multiplex caeteris est prior, quod sanè Boethius figura quadam descripta demõstrauit: Nos autem idem quoquè possumus ostendere per profundam, & mirandam illam speculationem, quam Nicomachus ἐπινοικρατόν Θεώρημα vocauit, ob quam in vno quoquè numero inuenire possumus, quot numeros eiusdem proportionis posit praecedere, quae omnia & ad Platonicam in Timeo Animae generationem, & ad interualla Harmonicae disciplinae valdè conferunt.

cap. 29. lib. 5.

2579 omnes itaquè multiplices rationes tantarum similium sibimet rationum principes erunt, quoto ipsae loco ab vnitate discesserint, quod autem dico sibimet similium tale

tale eſt, vt dupli ſemper multiplicitas ſeſquialteros creet, & triplex ſit dux ſeſquitertiorum, quadruplus ſeſquiquartis.

2580 verũ dubitabit aliquis quo pacto multiplex ratio prior ſit caeteris, ſi quidem apud mathematicos dupla ratio, ex ſeſquialtera, & ſeſquitertia conflatur, quod Orontius in 5. defin.
alibi demonſtrauit, an id ita intelligendum eſt, primam 6. Eucl.
multiplicem rationem, primis alijs rationibus, tùm ſuperparticularibus, tùm ſuperpartientibus priorem eſſe? Orontij autem exempla conferunt, ſecundam duplam, cum prima ſeſquialtera, & prima ſeſquitertia.

PROPORTIO.

2581 ſed proportiones iam diſcutiendae ſunt, quae cum ex rationibus componantur in tribus terminis ad minimũ l. 2. c. 40.
reperiuntur, ſi quidem eſt proportio duarum, vel trium, vel quotlibet rationum aſſumptio ad vnũ, atq; collectio.

2582 confeſſae proportiones, & apud antiquiores notae, quaeque ad Pythagorae, vel Platonis, vel Ariſtotelis ſcientiã cap. 41.
peruenerunt, hae tres medietates ſunt, Arithmetica, Geometrica, Harmonica, poſtquas tres aliae ſunt, quae ſine nomine feruntur, vocantur autẽ quarta, quinta, & ſexta quae ſuperius dictis oppoſitae ſunt, Harmonicae nempè, & Geometricae, at verò poſteri propter denarij perfectionem proportiones alias quatuor addiderunt, vt in his denariae quantitatis corpus efficerent.

PROPORTIO ARITHMETICA.

2583 inter has autem omnes Arithmetica caeteris prior occurrit, eo quod hanc nobis in principio ipſa numerorum natura, & vis naturalis quantitatis opponit, deinde quòd cap. 42.
Arithmetica vis, Geometrica, atq; Muſica eſt antiquior.

2584 in hac autem proportione communis, & vniuerſalis proprietas eſt, vt in minoribus terminis maiores rationes, cap. 44.
in maioribus minores adſint, cum in harmonica ſecus eueniat, quarum proportionum proinde Geometrica veluti media notata eſt, quae vel in maioribus, vel in minoribus terminis, aequas rationes habet.

2585 eſt autẽ Arithmetica proportio, vel cõtinua, vel hiulca.

2586 et ſanè proportionis Arithmeticae diſiunctae proprie-

tates duae sunt, quarum prima medium vtrunque aequalem reddit vtrique extremo, ex qua prima proprietate oritur inuentio mediorum inter duos datos.

2587 ob secundam autem proprietatem factus à medijs superat factum ab extremis, facto à differentia maximi supra medium, per eiusdem medij differentiã supra minimũ.

2588 quam tamen vltimam proprietatem nonnulli labefactare conati sunt horum numerorum instantia, 12. 8. 16. 12. in quibus 128. factus à medijs non superat 144. factum ab extremis: sed haec instantia nullius est ponderis, si numeros illos tantummodò colligamus, qui extremi, & medij sint non solùm ordine: sed etiam quantitate.

2589 hae verò duae proprietates in disiuncta, ab alijs duabus in continua deriuatae sunt, in qua etiam medius est dimidius extremi simul vtriusquè, & factus à medijs superat factum ab extremis facto à differentijs.

PROPORTIO GEOMETRICA.

2590 Proportio Geometrica est, vt diximus, quae vel in maioribus, vel in minoribus terminis aequales semper rationes seruat, quae eandem suscipit diuisionem, quam suscepit Arithmetica. Cap. 44.

2591 habet autem proprium huiusmodi proportio, vt suorum terminorum differentiae, in eadem ratione cõtra se sint, in qua fuerunt ipsi termini, quorum ipsae fuerunt differentiae.

2592 communis est etiam proprietas siue disiunctae, siue cõtinuae proportionis, vt numerus à medijs aequatur facto ab extremis.

2593 ea verò est disiunctae proportionis proprietas, vt maximus, & minimus reliquis sint maiores.

2594 quae tamẽ vltima proprietas non conuertitur, vt prima: nec enim verum est, si quatuor numerorum maximus, & minimus reliquis sunt maiores, idcircò proportionales esse, quod in prima proprietate perpetuum est: si enim quatuor numeri sint proportionales, factus à medijs aequat factum ab extremis, & contrà si aequat, sunt proportionales, & haec proprietas propter admirabilẽ vsum vulgò regula aurea dicit, & certè si quid auro pretiosius

esset, eo quoque nomine esset nuncupanda, verùm haec inferius in supputatrice discutientur.

2595 illud autem est animaduersione dignum, quo pacto dixerit Euclides in eadem ratione, tùm magnitudines dici quando primae, & tertiae aequè multiplicia, secundae, & quartae aequè multiplicia, iuxta quamuis multiplicationem vtraquè vtramquè, vel vna excedunt, vel vna aequales sunt, vel vna deficiunt sumptae adinuicem, si quidem id esse falsum multis in numeris apud omnes ferè constat. Nos sanè quo ad hoc, vt omnem dubitationis scrupulum ex animis euellamus, in ea sumus opinione, vt in ea definitione alternatiua pro copula fuerit apposita, quicquid alij dixerint. li. 5. def. 6.

PROPORTIO HARMONICA.

2596 Harmonica autem proportio est, quae neque eisdem differentijs, nec aequis rationibus cōstituitur: sed illa in qua quemadmodum maximus terminus ad paruissimū terminum ponitur, sic differentia maximi, & medii cōtra differentiam medii, atquè paruissimi comparatur. cap. 48.

2597 habet verò proprietatem sicuti dictum est contrariam Arithmeticae proportioni: in illa enim in minoribus terminis maior erat ratio in maioribus minor, in hac autē in maioribus quidem maior, in minoribus autē minor: namquè in hac dispositione 3. 4. 6. tres ad quatuor comparari sesquitertiam habitudinem, sex verò ad quatuor sesquialteram reddunt.

2598 habet etiam aliam proprietatem, vt cùm duas extremitates in vnum redactas, medietas multiplicauerit, dupla quantitas colligatur, quàm si se multiplicent duae extremitates.

2599 fuerunt autem nonnulli qui hanc proportionem Geometricam appellarunt, neque tamen ab illis discreparūt, qui illam Harmonicam voluerunt esse: sic enim illam dū de cubo loquuntur Geometricam esse dicunt, vt Harmoniam tamen addant, adeò, vt cubum affirment esse in proportione Geometricae Harmoniae: omnis enim cubus habet latera duodecim, angulos octo, superficies sex, in qua dispositione Harmonica est proportio. cap. 49. concordia Arithmeticorum.

INVENTIO MEDIETATIS IN PROPORTIONIBVS SVPRADICTIS.

2600 nunc videamus quo pacto datis duobus numeris, nunc Cap. 50. quidem Arithmeticam, nunc verò Geometricam, nunc autem Harmonicam medietatem experiamur inserere, & prius Arithmeticam expediamus, datis itaquè duobus terminis, si Arithmeticam medietatem constituere oportebit, vtraquè est extremitas coniungenda, quodquè ex ea copulatione colligitur diuidendum, isquè numerus, qui ex diuisione redactus est, Arithmeticam medietatem inter extremitates locatus efficiet.

2601 vel si illum numerum, quo maior minorem superat, diuidas, eumquè minori superponas, quodquè inde concrescit, mediū ponas, Arithmetica medietas informatur.

2602 Geometricam verò rationem si inuestiges eius numeri, qui sub vtriusquè extremitatibus continetur tetragonicum latus inquire, & hunc medium pone.

2603 vel si eam proportionem, quam inter se dati termini custodiunt, diuidas, id, quod relinquitur, medius est terminus.

2604 Harmonicam demùm medietatem reperiemus, si differentia terminorum in minorem multiplicabitur, atquè post copulabuntur termini, ex quorum collectione numerus primò productus secabitur, cuius sectionis numerus, minori termino additus Harmonicam medietatem seruabit, & haec satis sint de proportionibus: nàm reliquas veluti parum vtiles silentio inuoluemus.

ARITHMETICA SVPPVTATRIX.

2605 Arithmetica Supputatrix est, quae numeros, eorumquè passiones sensibilibus, & negotiis actiuis applicat, & diuiditur sicut etiam Arithmetica simplex, in absolutam, & relatam. Proc. cap. 13. lib. 1. in Eucl.

SVPPVTATRIX ABSOLVTA.

2606 Supputatrix absoluta quatuor speciebus perficitur, additione nempè, subductione, multiplicatione, & diuisione, quae eandē ferè in supputatrice vicē gerunt, quā in Dialectica Exemplū, Inductio, Enthymema, & Syllogismus.

2607 labuntur itaquè Ioannes de Sacrobusto, Perdocimus de

Belde-

Beldemandis, & Michael Scottus, qui illas nouem asseruerũt, numerationem nempè, additionem, subductionẽ, duplationem, multiplicationem, dimidiationem, diuisionem, progressionem, radicumquè extractionem: numeratio namquè est magis numeri ordo, quã species.
1608 nec sanè re duplatio, & dimidiatio à multiplicatione, & diuisione differunt.
1609 progressio verò, & radicũ extractio primis illis quatuor speciebus egent, & ex illis perficiuntur.
1610 sint itaquè quatuor species, quae vel in numeris integris locum sibi vendicant, vel in fractis, vel in radicibus, vel in illis numeris, quae per plus, & minus exprimuntur, vel demùm in binominibus, & residuis.

FRACTI NVMERI.

1611 et sanè in integrorum numerorum speculatione nihil occurrit, quod modò perscrutatione dignum nobis videatur, transeamus igitur ad fractos, in quibus illud maximè dubium est, quo pacto nempè in fractorum multiplicatione imminuatur eorum numerus, cui rei Nicolaus Tartalea sic satisfacit, vt aliud sit ducere, aliud multiplicare, & sanè numerus multiplicatus excrescit semper non autem ductus, qua responsione nihil ineptius. lib. 7. suae Arith. cap. 10.
1612 dixerunt alij omnem numerum integrorum ab vnitate per multiplicationem augeri semper, vnitatem autẽ nequè augeri, nequè imminui: fractos autem numeros semper imminui, adeo vt in multiplicatione sit vnitas in medio integrorũ numerus in excessu, fractorum in defectu, quo dicto quid ridiculosius?
1613 dicamus itaquè nos falsum esse fractos numeros in multiplicatione imminui, verùm ita prima fronte multis videri, quòd multiplicatio tetragoni faciat partes, quae prius erant lineae.
1614 dubitatur & iterum in fractorum diuisione quo pacto nempè ipsi diuisi crescant, quam rem minimè omnium percepisse videtur Nicolaus Tartalea, qui diuisionem in fractis negauit, mensurationem verò, seu numerationẽ pro illa apposuit.
1615 an igitur crescunt, quòd tùm fracti numeri, qui prius

tetragoni parte erant ad lineae partes rediguntur.

NVMERORVM RADICES.

2616 numerorum autem radices sunt è quibus numeri, siue tetragoni, siue cubi, siue censi, siue relati oriuntur inter quos, modò primos solum suscipiemus.

QVADRATAE RADICIS EXTRACTIO.

2617 in quadratae radicis extractione proponitur à Mathematicis vetus illa regula, quae à quarta propositione secundi elementorum Euclidis ortum habet absq; dubio.

2618 solet autem perquiri à recentioribus vtra melior regula in irrationalibus radicibus vetus nempè, vel magis illa, quae ab Orontio proponitur, & sanè Nicolaus Tartalea in ea videtur esse sententia, vt vetus regula firmior sit, cũ ea quae ab Orontio proponitur vetere interdum veritati propior, interdum remotior videatur.

concordia Arithmeticorum.

2619 Nos verò vtriusq; dicta defendemus, si quidem iuxtà numerũ nullarum varietas illa inest in Orontij regula.

CVBICAE RADICIS EXTRACTIO.

2620 Cubicae radicis extractio in numeris cubis minoribus, qui vltrà tres notas non extenduntur facilis est: difficilis autem in his, qui cubi minimè sunt, qua in re multi perperàm dixere, inter quos primus occurrit Luca picciolus qui residuum post radicem assumit veluti numeratorem, radicem verò primo triplam, deinceps cubum denominatorem vult esse: sic enim radix cuba proxima 25. esset 2. & $\frac{17}{216}$ quod tamen valdè falsum est.

in praxi. suae Arith.

in secunda parte suae Arith. lib. 2. cap. 3.

2621 Hieronymus Cardanus Vir nostra aetate admirabilis, ad huiuscemodi radices extractionem, radicẽ in semet multiplicandam asserit, productumquè rursus per numerum ternariũ multiplex reddit, quodq; ex hac duplici multiplicatione orit, diuisionẽ affirmat residui, quodq; ex ista nascitur diuisione, radici iã extractae adiũgit: sed illum optimè coarguit Nicolaus Tartalea, nam sic numeri 24. radix cuba esset 3. $\frac{1}{3}$ in qua re error circa 13. contingit.

2622 Orontius autem vult residuum pro numeratore, triplum autem radicis pro dominatore: sed valdè labitur: sic.n. 26. radix cuba, esset 5. è qua tamen radice cubus oritur nume-

numerus 125.

2623 dicamus itaquè omissis aliorum opinionibus meliorem fuisse Nicolai Tartaleae sententiam: existimat enim ipse residuum assumi debere tamquam numeratorem, pro denominatore verò triplum radicis per radicem productũ, cui etiam & radicis triplum addi debet.

2624 verùm quando radices cubicae extenduntur vltrà simplicẽ notã alia sunt via venandae: tùm enim ab illa propositione Geometrica vim assumunt; quae habet; lineae in duas partes diuisae cubum factum à tota linea, semper aequalem octo solidis esse, duobus nempè cubis ab illis duabus partibus factos, simul cum illis sex solidis, quorũ tria nascuntur à tribus superficiebus quadratis vnius cubi, altera verò tria ab alijs superficiebus quadratis alterius cubi.

2625 proinde post positionem primae notae, quae radicem primi cubi indicat, tres subsequentes notae, quae in numero sunt, à quo radix debet extrahi sex illa significant solida, proptereaquè nota illa prius extracta quadratur primò, & postremò tripla redditur; & sic aliae deinceps donec ad eum perueniamus numerum, qui cubus sit.

NVMERI QVI PER PLVS, ET MINVS EXPRIMVNTVR, ET DVPLICI EGENT NOMINE.

2626 quando verò radices sunt incõmensurabiles, tùm ad eos numeros, qui per plus, & minus, & per duplex nomen exprimuntur confugiendum est.

2727 sed dubitabit aliquis quo pacto distinxerimus, haec superius si subiecto, & re minimè differunt, an licet re non differant, differunt tamen vt supputantur?

ARITHMETICA SVPPVTATRIX RELATA.

2628 Supputatrix relata est, quae regulas supputãdi à proportionibus sibi assumit, & sanè à proportione Arithmetica in supputando progressio nascitur, & in ea inuentio duplex.

2629 prima optati est termini hoc modo, si tollatur vnitas à nomine termini optati, factusq; à reliquo per differentiã, addatur

addatur primo termino, totus erit optatus, vt in progresſione quaternaria ab vnitate ſi quaeratur decimus terminus, hic decimus nomen eſt termini, tolles 1. à decem, & à reliquo 9. per 4. differentiam facies 36. quo ad 1. addito totus erit 37. decimus terminus quaternariae progresſionis ab vnitate.

2630 ſecunda inuentio eſt ſummae, vt ſequitur factus à ſimul vtroquè extremo per dimidiatum nomen termini vltimi eſt ſumma, vt in proxima progresſione adde 1. & 37. totus erit 38. qui per 5. dimidiatum nomen vltimi termini facit 190. ſummam.

2631 idem erit factus à nomine vltimi termini 10. per 19. dimidium ſimul vtriuſquè extremi?

COROLLARIVM.

2632 Hinc ſi paciſcatur cum Domino Seruus annuam ſibi mercedem progresſione Arithmetica, primoquè die teruncium vnicum, ſecundo quatuor, tertio ſeptem, & ſic deinceps, quaeraturquè anno vertente, quae ſumma ſit mercedis, primum pro teruncio ſumere potes vncias 3. & facere 3. primum terminum, deinceps quaere vltimum, & quoniam trecenteſimus ſexageſimus ſextus eſt, reperies 1098. iam ſimul vterquè erit 1101. dimidiatum nomen vltimi termini eſt 183. ab his factus eſt 20148. vnciae, id eſt libellae vicenorum asſium 839. $\frac{123}{240}$ vel 10. asſium, & teruncis vnius.

EPFA.

PROPORTIONIS GEOMETRICAE VSVS REGVLA NEMPE AVREA.

2633 ſequitur vſus aureae regulae, quae à proportione Geometrica oritur, & eſt illius vſus vel ſimplex, vel cōpoſitus.

2634 ſimplex autem vſus, vel directus, vel reciprocus.

2635 directus autem, vel ante ſe habet ſimplicem numerationem, vel proportionem.

2636 ſed reciprocè inuertitur proportio, quando eſt vt primus terminus primae rationis ad primum terminum ſecundae, ſic ſecundus terminus ſecundae eſt ad ſecundam primae, vbi homogeneorum ratio tantùm ſumenda eſt, vt potentiarum inter ſe, temporum inter ſe, pretiorum inter

inter se, mensurarum inter se, hacquè proportionè vtendum est, quoties auctis, vel minutis momentis res contra minuuntur, vel augentur pro ratione potentiae, temporis ponderis, pretij, & mensurae.

1637 huius inuersionis isorropicum illud est Aristoteli, si potentia sit in quodam tempore, tāta maior erit in minore κατὰ τὴν ἀντιστροφὴν τῆς ἀναλογίας item illam proportionem, quam habet pondera, tempora ἀνάπαλιν id est inuerso modo habebunt, vt si dimidium pondus in tali: duplum in dimidio eius. cap. 10. 8. physic. 1. cap. 1. de coelo.

1638 sequitur multiplicis proportionis vsus vbi termini plures quatuor vsurpantur, id què compositione, vel continuatione.

1639 compositio verò terminorum est prima, vel secunda.

1640 prima vt additio, & alligatio.

ADDITIO PROPORTIONVM.

1641 Additio est cum termini datae proportionis adduntur, estquè triplex.

1642 sed primae duae, quarum altera est additio antecedentis cum consequente ad consequentem, altera est complurium antecedentium ad vnum consequentem, vel vnius antecedentis ad plures consequentes, frequentiores sunt in demonstrationibus scholasticis, quā in populari vsu.

1643 tertia est additio omnium antecedentium ad omnes cōsequentes, vbi dantur consequentes quidem additi, antecedentes autem separati, tumquè antecedentes omnes adduntur, & separati ad omnes consequentes concluduntur; itaquè sola hic fit additio antecedentium ad primū proportionis terminum constituendum.

1644 haec cōpositio vtilitates infinitas habet, & propter quotidianum vsum in consortio, & societate hominum vulgò regula societatis appellata est: sed verius aequitatis, & politiae regula diceretur, & certè veluti Dea quaedam iustitiae, & aequitatis suum cuiquè partitur, ac tribuit, quapropter nobilitas tanta exemplis illustretur, duorum sociorum primus contulit aureos 8. secundus 6. vnde lucrati sunt aureos 7. quantum singulis accedit? quaestio additis antecedētibus ita soluetur 14. dent 7. ergo 8. 4. & 6.

& 6. 3. & cõtra sors cõcluditur 7. dant 14. ergo 4. 8. 3. 6.
2645 haec exempla speciem quandam habuerunt iustitiae, sequentia longè sunt insigniora, in quibus iudex in tribunali sine compositionis huius aequitate videtur iniquus, octo creditoribus debentur aurei primo 100. secundo 86. tertio 75. quarto 60. quinto 54. sexto 32. septimo 24. octauo 15. : sed bona debitoris tantum valet aureos 150. itaquè omnibus omnino satisfieri non potest, ad compositionis igitur aequitatem recurretur, & quantum singulis pro rata bonorum portione soluendum sit, ex additis antecedentibus concludetur.

ALLIGATIO.

2646 Alligatio est variorum generum permistio vndè mediũ temperatur, & propterea in rebus Physicis mirabiliter excellet, haec species compositionis, vt superior excelluit in Politicis.

2647 per se verò alligatio nulla est proportio, saepe tamen proportione vtitur, & quidem saepe superiore proportionis additione.

2648 estquè vel medij quaesiti, vel dati.

2649 prima datis extremis quaerit medium diuisione additorum per ipsorum numerum, vt si duo sint extrema per 2. si tria per 3. & sic deinceps, vt modius tritici 16. solidorum cum modio secalis 12. miscendus sit addes 16. & 12. & totum erit 28. diuides per 2. quotus 14. ostendet pretium tertij misti: si miscendus sit cum vtroq; modius hordei 10. solidorum, tria pretia addita 38. diuidantur per 3. quotus 12. & $\frac{2}{3}$ ostendit pretium quarti misti.

2650 secunda alligatio est aequatio dati medij per inaequaliũ extremorum alternas ab eo differentias; aequatur autem medium datum nunc mensura, nunc pondere, nunc numero quaesitorum generum, vt sic duobus vini generibus, quorum primi pinta valeat denarios 6. secundi 12. miscendum sit, cuius pinta valeat 10. alternae differentiae extremorũ 6. & 12. à medio 10. erunt 2. & 4. quae significabunt si 2. pintae assumãtur primi generis, 4. assumendas secundi.

tale

2651 tale est Archimedeum problema illud apud Vitruuium ad deprehendẽdum in Hieronis corona artificis furtum: sed in hoc exemplo Physica consideratio fuit non tantũ ponderis: sed densitatis, & raritatis, vt tantò plus, minus vè loci occuparetur. Duas inquit Vitruuius massas eiusdem ponderis cum regia corona Archimedes fecit, alteram auream, argenteam alteram, quibus vicissim in vas aqua plenum demissis è differentia effusae aquae ad auream massam, & argenteam, item ad regiam coronam deprehendit argenti in aurea corona mistionem. esto igitur inaequalis effusio aquae ex aurea massa 20. ex argentea 36. ex ipsa regis corona 24. sumptis differentijs vides auri triplum, argenti subtriplum in corona permistum esse. l. 9. c. 3.

COMPOSITA PROPORTIO PER MVLTIPLICATIONEM SOLAM.

2652 compositio terminorum prima eiusmodi fuit in additione, & contra deductio quaedam in alligatione, secũda sequitur quae fit terminis multiplicatis, cum pro binis simplicibus assumuntur duo ab ijs facti: sed multiplicatio interdum sola est, interdum etiam additio, multiplicationis solius exemplum sit aurei 3. mensibus 2. lucrantur aureos 6. aurei mensibus 3. quot lucrabuntur, quaestio sic determinabitur 2. in 3. ductus facit 6. ergo 3. in 4. ductus faciet 12.

2653 verùm vbi accidet terminum antecedentis aequalem esse termino consequentis, ijs sublatis tres reliqui proportionem eandem concludent, vt hic reiectis 3. & 3. concludes nihilo minus 2. 6. ergo 4. 12.

PROPORTIO COMPOSITA PER MVLTIPLICATIONEM, ET ADDITIONEM.

2654 compositio multiplicationis simul, & additionis est, quae oblatos terminos primò multiplicat, tùm ab illis factos addit, vt trium mercatorum primus contulit aureos 44. per 8. menses, secundus 32. per 6. menses, tertius 24. per 4. menses, vnde lucrati sunt aureos 80. quãtum singulis ex hoc lucro cedet? multiplica sortẽ quãq;

cum

cum suo tempore primi compositus erit 352. secundi 192. tertij 96. & singulis iam additis dicito 640. dant 80. ergo & c.

PROPORTIO CONTINVATA.

2655 proportio multiplex terminis composita adhuc fuit, superest terminis continuata, quae est quando antecedentis rationis aliquis terminus continuatur in consequẽte, vt inuentio minimorum numerorum in datis rationibus, & aequatio.

INVENTIO MINIMORVM NVMERORVM IN DATIS RATIONIBVS.

2656 inuentio minimorum in datis rationibus, quae patet ex 2.7. elementorum Euclidis, licet ad Theoricam magis spectet: habet tamen vsum valde singularem ad Politicã iustitiae Ideam, atquè vt res ipsa clarior fiat, & illustrior audiatur iustitiae consultus, & magister ille Iulianus, si ita scriptum sit (ait) si mihi filius natus fuerit ex besse haeres esto, ex reliqua parte vxor mea haeres esto, & si filius, & filia nati essent, dicendum est assem distribuendũ esse in septem partes, vt ex his filius 4. vxor 2. filia 1. partem habeat: ita enim secundum voluntatem testantis filius altero tanto amplius habebit, quàm vxor: licet enim subtili iuris regulae conueniat ruptum fieri testamentũ: attamen cum & vtroquè nato testator voluerit vxorem aliquid habere, ideo ad huiusmodi sententiam humanitate suggerente decursum est, quod etiam Iuuentio Celso apertissimè placuit. Haec Iureconsultus de vno, & singulari Theorematis huius exemplo: hic enim intelligimus ex voluntate Testatoris tres numeros inueniẽdos esse continuè minimos in datis rationibus $\frac{2121}{3333}$ id est in rationibus 2. 1.| 2. 1. qui erunt 4. 2. 1.

l. si ita scriptum ff. de lib. & post. haer. instu.

2657 similia sunt illa, partiatur pater tribus filijs 100. aureos ea conditione, vt quoties primus 5. capit, toties secundus 6. capiat, & quoties secundus capit 7. toties tertius capiat 9. quot aureos singuli capient? hic duae sunt rationes in minimis terminis 5. ad 6. 7. ad 9. in quibus rationibus proportionales numeri minimi continui sunt

35. 42.

35.42.54.quos si simul addas, erunt 131. & iam dicito 131. dant 100. ergo &c.

AEQVATIO.

2658 superest aequatio cuius vel nullus, vel rarus vsus in supputatrice.

PROGRESSIO PROPORTIONIS GEOMETRICAE.

2659 in progressione Geometrica illud est mirum, quod librae terminis duplae, & triplae continuationis comprehensae, totidem cognominibus ponderibus appendantur, id verò fit, nunc additione ponderis ad pondus, nũc subductione, & ad oppositā lancem additione, sic librae vsquè ad 7. appenduntur tribus ponderibus iuxtà progressionem 1.2.4.

2660 sic librae vsquè ad 15. appēduntur 4. pōderibus, hae progressione significatis 1.2.4.8.

2661 sic librae 31. ponderibus huius continuationis 1.2.4. 8.16.

2662 sic in tripla ratione librae vsquè ad 40. appendantur pon deribus hac progressione significatis 1.3.9.27.

2663 sic librae vsquè ad 121. appenduntur his ponderibus 1. 3.9.27.81.

2664 et sic deinceps librae terminis triplae progressionis cōprehensae, totidē cognominibus pōderibus appēduntur.

ARS MAGNA, QVAE TOTIVS SVPPVTATRICIS EST TANQVAM MAGIA QVAEDAM, ET AB ARABIBVS ALGEBRA, SIVE ALMVCABALA NVNCVPATVR

2665 sed iam illam supputatricis partem aggrediamur, quae regulis Algebraicis perficitur, & est veluti Magia quaedā Supputatricis, cuius principale propositum est aequalitatis proportio.

2666 diuiditurq; in principia, & in deriuantia à principijs.

ALGEBRAE, SIVE ALMVCABALAE PRINCIPIA.

2667 principia verò sunt quatuor illae supradictae supputatricis species, additio nempè, subtractio, multiplicatio, & diuisio, in quibus nihil est ferè perscrutatione dignũ,

quam dignitatum Algebraicarum productio, & diuisio, si quidem in illis multiplicandis perinde est, atquè illarū signa simul adderentur.

2668 sunt autem illarum signa n.o. (numerus enim nullius nota indicatur, quòd nullam in se habeat dignitatem: sit verò dignitatum principium, & fons) co.1. ce.2. cu. 3. ce.ce.4 pri.rel.5. & sic de singulis.

Nicolaus Tartalea 2.par.lib.8

2669 atquè huius multiplicationis ratio ex eo pendet, quòd multiplicationi Geometricae proportionis tanquàm ex altera parte respondet additio Arithmeticae proportionis, proinde productione dignitatis ex dignitate, quae in proportione Geometrica consistit illius signorum additio, quae in proportione Arithmetica sedem habet, aequalis est.

2670 sic & in diuisione ex subtractione signorum sequitur dignitatum diuisio.

EX PRINCIPIIS ALGEBRAICIS EMANANTIA.

2671 cum autem Algebra proportionem aequalitatis profiteatur: aequalitas verò iuxtà veterum sententiam (recētiorum enim nonnulli alia etiam addiderunt) in sex rebus consistat, proinde dicimus Algebrae capita sex esse.

DIVISIO.

2672 quorum tria sunt simplicia, tria verò composita:

ALGEBRAE CAPITA SIMPLICIA.

2673 simplicium verò primum est, quando res aequantur numero, secundum quando quadrata itentidem numero aequantur, tertium quando quadrata rebus.

ALGEBRAE PRIMVM SIMPLEX CAPVT.

2674 Regula primi simplicis capitis est haec, quando res aequantur numero, diuidas numerum per res, & reliqui est quod quaeris, veluti si reperire velis numerum, cuius dimidium, & tertia pars per additionem faciant 15. iuxtà regulam supponamus dictum numerum esse 1. co. cuius dimidium, & tertia pars assumi debent, & erunt $\frac{1}{2}$ co $\frac{1}{3}$ co. qui simul additi faciunt $\frac{5}{6}$ co. & hoc erit quod volu-

mus

mus: nam si diuidamus numerũ 15. per numerum rei, id est per $\frac{1}{6}$ veniet numerus 18. qui erat venandus.

1675 sed animaduertendum est, diuisionem hic assumi debere iuxtà diuisionem numeri simplicis, non iuxtà diuisionẽ dignitatum.

ALGEBRAE SECVNDVM SIMPLEX CAPVT.

1676 quando quadrata numero aequantur, diuidas semper numerum per quadratorum numerum, vt si reperire velis numerum, qui in semet productus, atquè iterum per sex productus numero 36. aequatur, sic operare, supponas talem numerum esse 1. co. quae in semet producta facit 1. ce. qui per sex iterum productus facit 6. ce. & hoc aequalis erit numero 36. proinde diuidas numerũ 36. per 6. residuus erit 6. cuius ℞. erit numerus primò propositus.

ALGEBRAE TERTIVM SIMPLEX CAPVT.

1677 quando quadrata rebus aequantur, diuidas res per numerum quadratorum, quod prouenit, erit, quod quaeris, sitquè tale exemplum, reperias mihi numerum, qui per sex productus triplum sui tetragoni faciat, supponas eũ numerum esse 1. co. hancquè productus per 6. & erunt 6. co. deinceps in semet duc. 1. co. & faciat 1. ce. tandem dictum 1. ce. triplum redde, & erunt 3. ce. iamquè habemus quod dictis 6. co. aequale est, his factis diuidas numerum 6. per 3. & prouenit 2. qui quidem est numerus quaesitus.

ALGEBRAE CAPITA COMPOSITA.

1678 capita verò composita tria sunt, quorum primũ est quãdo quadrata & res numero aequantur, secundum quando res, & numerus quadratis, tertium quando quadrata, & numerus rebus.

ALGEBRAE CAPVT PRIMVM COMPOSITVM.

1679 quando quadrata, & res numero aequantur, post analysin

totius aequationis in vnum quadratum diuidas res in duo media, quorum alterum in ſemet producas, productoquè addas numerum, cuius radix minus alterum medium erit rei valor, vt reperias numerum, qui per ſex productus, cum ſuo tetragono faciat 27. ponas talem numerum eſſe 1. co. quae per ſex producta facit 6. co. poſt duc in ſemet dictum numerum, nempè 1. co. & faciet 1. ce. p. 6. co. quae ſumma erit aequalis numero 27. nam iuxtà regulam ſi alterum numerum medium ſumes, erit 3. qui in ſemet productus facit 9. cui ſi addatur numerus 27. erit 36. cuius radix m. 3. erit res.

ALGEBRAE SECVNDVM CAPVT COMPOSITVM.

2680 quando res, & numerus quadratis aequantur poſt analyſin in vnum quadratum diuidas res in duas aequas partes, & harum alterum in ſemet producas, huicquè producto addas numerum, & huius ſummae totius radix plus rerum medietas, erit rei valor, vt reperias mihi numerum cuius duplo additus 24. faciat ſuum quadratum, ponas talem numerum eſſe 1. co. quae ſi dupla ſit, facit 2. co. addas 24. facit 2. co. plus 24. quae ſumma erit aequalis 1. ce. ſi enim diuidas numerum rerum in aequas partes veniet 1. co. quae in ſemet ducta facit 1. cui ſi addas 24. facit 25. & ſic radix 25. plus rerum medietas erit quod petitur.

ALGEBRAE TERTIVM CAPVT COMPOSITVM.

2681 quando quadrata, & numerus rebus aequantur poſt analyſin ſupradictam diuidas res in duas aequas partes, quarum altera in ſemet productae numerũ aequationis detrahas, atquè radix reſidui alteri additae parti rerum eſt rei valor.

2682 et idem quoquè rei valor poteſt aſſumi ſi radix reſidui ſupradicti detrahatur, ab altera rerum parte.

2683 atq; quaeſita per hoc tertium caput interdũ per vtrumq; modum ſoluuntur, ſemper autem per eorum alterum.

MVSICA.

2684 iam verò ad Muſicam tranſeamus, quae ſola inter omnes matheſeos

mathefeos difciplinas mores etiam profitetur, fi quidem veteres ad manfuefcendos feros hominum mores, quafi pharmacum quoddā falubris voluptatis Muficam praemittebant: fic enim Amphion, fic Orpheus, fic Solon poemate, & Mufica leges ad continendos hominum mores induxerunt, fic Lycurgus Thalatem poetam ad praeparandos, tùm fuaui modulamine, tùm dictamine ad futuram Rempublicam ciuium animos permifit, fic dulciloquo poemate, & permulcente Mufica, & penè euocāte animos ritum, cerimoniafquè Deorum Orpheus, Linus, Eumolpus, Silenus, Thamiras, & qui tales fuerunt, induxerunt, fic & nos Mufica vtentes malè pofitis Refpub. mederi liceret, & ficubi feri mores funt, eos compofito cantu emollire, ficubi errāt in cultu Diuino blanda Mufica, & amico carmine ftudere fincerae religionis infundere purgationem, & extirpatis erroribus Deo dignè cognitionis auguftam iufundere lucem.

MVSICAE SVBIECTVM.

2685 Huius autem fubiectum eft numerus, vti fonorus.

2686 in qua re eft illud animaduertendum confonantiae numerum haud effe cauffam proximam, cum tantùm fit remota, fi quidem proportio eft confonantiarum cauffa proxima.

MVSICAE ORDO ADMIRABILIS.

2687 illud autem in Mufica admirandum eft fecundum naturā ea effe priora, quae compofitiora funt, ea verò pofteriora, quae fimpliciora, quod fanè ex eo prouenit, quòd Mufica proportio, fecus procedit ac Arithmetica, fi quidem haec multiplicationi vnitatum ftudet, illa verò diminutioni, nam ficuti termini progrefsionis proportionis Arithmeticae funt vnitates multiplicatae, fic termini Harmonicae funt numeri partium numeratarum in corpore fonoro, quae ex illius diuifione oriuntur.

COROLLARIVM.

2688 atquè hinc iam conftat inter maiores progrefsionis Harmonicae terminos proportiones maiores, fonumquè grauem contineri, & inter minores, minores, & fonum acutū, in Arithmetica verò, fi poffet fieri fecus accideret,

ſi quidem ab acuto ad graue deueniremus.

EPFA.

10. Met. 1. poſt. 1689 proinde errarunt Ariſtoxenus, & Ariſtoteles ipſe, caeteriquè antiqui, qui à Dieſi conſonantias incipere crediderunt.

1690 atquè ſupra dicta ex ea eueniunt, quòd ſoni magis ad quantitatem continuam, quàm ad diſcretam referri debent: ſi enim ſecus ex Diateſſaron, & Diapente non octaua, ſed nona componeretur.

1691 quapropter ſicuti errant illi, qui totum ex partibus ſuis generari aſſerunt, cum totũ ſuis partibus prius ſit (quod etiam ſuperius à nobis dictum eſt) ſic & illi labuntur, qui Diapaſon ex caeteris conſonantijs coaleſcere dicunt.

1692 ſed vt totam Muſicam paucis in ordinem redigamus, expendamus primò ea, quae omnibus Muſicae ſpeciebus, & modis cõmunia ſunt, deinceps ſpecies, poſtremò modos.

COMMVNIA OMNIBVS MVSICAE SPECIEBVS.

1693 ſunt autem cõmunia omnibus Muſicae ſpeciebus interualla, & conſonantiae

CONSONANTIAE.

1694 quae vel ſimplices ſunt, vel compoſitae.

CONSONANTIAE SIMPLICES.

1695 et ſimplices in perfectas, & in imperfectas diuiduntur.

CONSONANTIAE SIMPLICES PERFECTAE.

1696 perfectae Diapaſon, Diapente, & Diateſſaron ſunt.

DIAPASON.

Boet. lib. 2. cap. 20. & 21. 1697 Diapaſon autem eſt conſonantia, quae cunctarum optima eſt, & in multiplici inaequalitatis genere, & in dupli habitudine reperitur: ſi enim ea non eſſet in multiplici genere inaequalitatis, caderet in ſuperparticulare inaequalitatis genus, ſit igitur ſuperparticularis proportio Diapaſon conſonantia, & auferatur ab ea continua conſonãtia, id eſt Diapente, relinquetur igitur Diateſſaron, proinde Biſdiateſſaron minus erit vno Diapente, & ipſum Diateſſaron non implebit Diapente conſonantiae medietatem, quod eſt impoſsibile.

ſi quidem

1698 si quidem Bisdiatessaron tono, ac semitono consonantiam Diapente exuperat.

1699 haec autem demonstratio illo nititur canone, quòd si ab omni superparticulari continuam superparticularem auferamus, quod relinquitur minus est detracto.

1700 constat haec consonantia ex quinque tonis, & duobus semitonijs, quae tamen vnum non implent tonum, illud verò à multis quaesitum video, cur Diapason in compositis consonantijs recenseri non debet, si quidem ad vnisonum redit? an quòd vnisonum primum non est consonantia: sed consonantiae principium: Boet. lib. 1. cap. 19.

1701 verùm cur consonantia dupla diapason, idest per totum appellatur, & non dia octo, vt Diapente, & Diatessaron? an quòd antiquitus instrumentorum nerui ad octonariū numerum non perueniebant? Arist. probl. 32. part. 19.

DIAPENTE, ET DIATESSARON.

1702 post Diapason sequitur Diapente, & Diatessaron, quae consonantiae in superparticulari cōsistunt proportione: nam si in superparticulari quis has habitudines ponēdas esse non dixerit, in multiplici genere fatebitur collocandas, ponantur ergo, si fieri potest in multiplici genere, & quoniam Diatessaron consonantia minor est, Diapente maior, Diatessaron duplici, Diapente verò triplici proportioni multiplicitatis aptetur, Tonus autem quoniam in habitudinibus Musicis post Diatessaron locatur, nimirum in ea proportione ponatur, quae duplici minor est, quae sesquialtera est, atquè hinc sublato Diatessaron à Diapente tonus reliquus erit (nam si duplicē auferamus à triplici, quod relinquitur sesquialterum est) sed duae sesquialterae proportiones duplicem vincunt. Duo igitur toni Diatessaron superabunt, quod est inconueniens: Diatessaron enī duos tonos semitonij spatio trāscendit. Boet. lib. 2. cap. 22.

1703 quòd si quis tonum quoquè in multiplici genere esse perscribat, quoniam quidem tonus minor est, quàm Diatessaron; Diatessaron verò minus, quàm Diapente: Diapente quidem ponatur in quadrupla, Diatessaron in tripla, tonus in duplici: sed Diapente constat ex Diatessaron, & tono, quadruplum igitur secundum hanc rationē

constabit, ex triplo, & duplo, quod fieri nequit.

2704 rursus statuatur Diatessaron quidem in triplici, & Diapente in quadruplo, si igitur auferamus triplum à quadruplo sesquitertius relinquetur. Tonus igitur secundũ hanc rationem in sesquitertia ratione constabit: sed tres sesquitertij, vno triplici sunt maiores, tres igitur Toni vnum Diatessaron nulla ratione supplebũt, quod est falsissimum.

2705 dicimus etiam, quoniam nec Diapente consonantia in multiplici genere potest collocari: nam si in eo statuatur quoniam est ei minor continua Diatessaron, quae multiplicis generis non est, proinde Diapente in maiore hàbitudine multiplicis, quàm dupla aptari non potest, sit igitur Diapente in minima multiplici, dupla nempè, Diatessaron in sesquialtera, Tonus in sesquitertia: sed duo sesquitertij ampliores sunt vno sesquialtero: Duo igitur Toni vnam Diatessaron consonantiam vincent, quod nulla ratione continget.

Boet. lib. 1. cap. 18.

2706 est autem Diapente trium tonorum, & minore semitonio, proinde Diatessaron tono superat.

concordia Musicorũ

2707 solet autem illud à recentioribus perquiri, num Diatessaron consonantia sit, si quidem practici eam prorsus inter dissonantias adnumerasse videntur: sed facilis eorum conciliatio, si quidem Diatessaron in vocibus dissonans videtur, secus autem in neruis.

2708 sed antequam ad consonantias imperfectas transeamus illud quoquè perscrutatione dignum videtur, cur nempè veteres de perfectis tantum consonantijs pertractarunt, non etiam de imperfectis, an quòd illas tantũmodò amplexati sunt consonantias, quae simplices puraequè existerent, & à multiplici, superparticulariquè ratione continerentur? Ditonus enim, & Semiditonus, caeteraquè similia interualla licet in superparticulari ratione sint: tamen si cum perfectis coniungantur superpartientem reddunt rationem.

2709 dubitatur & iterum quo pacto in illa decantata inuentione Musicae potuerit oriri concentus ex illis duobus malleis, qui sesquioctauam continebant proportionem,

in qua

in qua tonus reperitur, qui quidem absquè dubio dissonans est: an quod mallei non simul omnes, sed succesiuè ac per ordinem sonum reddebant?

CONSONANTIAE SIMPLICES IMPERFECTAE.

1710 Consonantiae imperfectae bifariàm diuiduntur, si quidem nonnullae maiores sunt, aliae verò minores.

1711 maiores quidem sunt illae, cuius extrema ab habitudinibus maioribus,& à maioribus interuallis continentur, vt Ditonus, & exacordus maior; quorum primus tertiá maior, secundus sexta maior nuncupatur.

1712 minores sunt illae, quae minorem habent proportionem vt Semiditonus, qui tertia minor appellatur, & exacordus minor, sexta minor vocatur.

CONSONANTIAE COMPOSITAE.

1713 consonantiae compositae sunt, quae ex pluribus consonantijs, seu perfectis, seu imperfectis componuntur.

1714 in quibus illud est apud veteres maximè controuersum, num nempè Diapason Diatessaron consonãtia sit nec ne; & sanè consonantiam non esse affirmant Pythagorici, cũ in superpartiens inaequalitatis genus cadat, quod à Symphonia prorsus apud eos explosum est. Boeth. lib. 5. cap. 8.

1715 sed illis Ptolomaeus refragatur, qui quidem hac ratione contrarium affirmat, quòd sicuti numero denario quicunque numerus additus fuerit, integer, inuiolatusquè seruatur, cum in caeteris id minimè eueniat, sic & Symphonia Diapason, quamcunquè aliam susceperit consonam seruat, nec dissonam reddit. concordia Ptolomaei cum Pithagoricis.

2716 sed forsan adinuicem non dissentiunt.

2717 vniuersim autem solet in omnibus consonantijs perquiri cur à rationibus maioris inaequalitatis, non etiam à rationibus minoris inaequalitatis emanare dicantur, cui dubio sic satisfieri posse, arbitramur, vt dicamus rationes maioris inaequalitatis reales esse, rationales autem minoris inaequalitatis.

1718 verùm & in ordine quoquè consonantiarum perfectarũ adinuicem digladiati sunt veteres: Eubolides enim, & Hipasus ita statuerunt, vt ordo talis esset, Diapason, Diapente l. 2. c. 18.

pente, Diapason, ac Diapente, Diatessaron, Bisdiapason: dicebant enim multiplicitatis augumenta superparticularitatis diminutioni rato ordine respondere, itaquè nō posse esse duplum nisi dimidium, nec triplum, praeter tertiam partem.

2719 ex altera parte Nicomachus sic concessit, vt prima esset Diapason, secunda Diapason, & Diapente, tertia Bisdiapason, quarta Diapente, quinta Diatessaron, & magis est sanè, vt Nicomacho assentiamus.

2720 talis est enim numeri naturalis ordo, cum vni binarius comparatus duplicem proportionem faciat: si verò vnitati ternarius comparetur, Diapason, ac Diapente concordia nascitur, quaternarius autem ad vnitatem relatus quadruplum gignit, scilicet Bisdiapason efficiens Symphoniam: quòd si ternarius binario comparetur Diapēte fit, si demum quaternarius ternario, Diatessaron consonantiam supplet.

Lodouicus Folianus de Musica The. lectione 2. c. 2.

DISSONANTIAE.

2721 si itaquè vt superius apparuit consonantiae reperiuntur, & ex consequenti dissonantiae quoquè in rerum natura existunt: vno enim contrariorum posito, & alterum ponitur, & si consonantia est duorum sonorum secundum acutum, & graue distantium auribus amica comistio; quid dubitas (si dissonantia consonantiae contraria est) proferre, quòd dissonantia est duorum sonorum secundum acutum, & graue distantium?

2722 sed quaerat aliquis, cur dissonantiae considerentur à Musico, si quidem illae ad modulationem, & harmoniam inutiles prorsus videtur: sed huic dubitationi satisfactū iri arbitror, si dicamus Musicum dissonantias ex eo perpendere, vt sciat quomodo inter se, secundum quantitatem differant consonantiae, nec non & ipsarum consonantiarum excessus ad inuicem, quod sine dissonantijs fieri nequit: si quis enim differentiam quantitatis inter Diatessaron, & Diapente inquirat illas profectò per dissonum interuallum differre comperiet, cum praedictae consonantiae sint immediatae.

cap. 6.

2723 quaerat & hic iterum aliquis quot illae sunt dissonātiae

cap. 7.

quas

quas Musicus rimatur: nec enim omnes dissonantias poterit perscrutari, huic breuibus ita satisfacimus, vt dicamus, illas numero sex esse Tonum nempè maiorem, minoremquè, Semitonium maius, minus, minimum, & comma.

TONVS MAIOR.

1724 Tonus maior est Diapente, & Diatessaron differentia, quae sesquioctaua proportione colligitur, quod liquebit, si radices sesquialterae, & sesquitertiae sic disponantur, vt quadrati retineant speciem, deinde per oppositos angulos numeris se se respicientibus fiat multiplicatio: exurgent enim tum duo numeri octonarius, scilicet & nouenarius: quorum alter ad alterum comparatus sesquioctauam reddet proportionem, qua se inuicem excedunt propositae consonantiae.

1725 Tonus verò diuiditur in duo Semitonia inaequalia, quorum alterum Semitonium maius, alterum minus appellatur, labitur itaquè Aristoxenus, qui Tonum in duas aequas partes diuidebat: maiora enim Semitonia Tonũ superant, minora à Tono commate distant.

1726 quod & ita facillimè probari potest: nam si Diapason quinque Tonis, ac duobus minoribus Semitonijs continetur, superantquè sex Toni Diapason consonantiam vno commate, non est dubium quin Tonis quinis ab vtroquè spatio sublatis; fiant reliqua ex Diapason quidem duo Semitonia minora, ex sex verò Tonis, Tonus: sed hic Tonus duo Semitonia, quae relinquũtur vincit cõmate. Boeth. lib. 3. cap. 7.

1727 erit itaquè comma Semitonij maioris, & minoris differentia, quod & Philolaus sensit.

1728 nec tamen nobismet repugnabimus, si dixerimus Tonũ in duo aequa diuidi posse: praecedentes enim rationes contendunt id effici non posse Arithmeticè certo, constitutoq; numero, atq; rationali habitudine, modò verò id dicimus effici posse Geometricè, sine numeri certa, constantiquè ratione.

TONVS MINOR.

1729 Tonus minor est Semidytoni, & Diatessaron, vel Diapẽte & hexacordi maioris excessus; quod per supradictas

rationes

rationes facillimè probari potest.

2730 sed illud vertitur in dubium, quo pacto inter consonantias immediatas semper sit dissonantia, si quidem inter Semiditonum, & Diatessaron non modo Tonus minor: sed & etiam Ditonus adest: an potius, & Tonus minor etiam inter consonantias immediatas inest, inter hexacordum nempè maiorem, & Diatessaron.

SEMITONIVM MINIMVM.

2731 Semitonium minimum est Ditoni, & Semiditoni, vel hexacordi maioris, & minoris differentia ex ratione sesquiuigesimaquarta originem ducens.

MVSICAE DIVISIO.

Boeth. lib. 1. cap. 1.

2732 diuiditur autē Musica in mundanam, humanam, & eam quae in quibusdam constituta est instrumentis.

MVSICA ORGANICA.

2733 et quamuis instrumenta Musicae, quam plurima reperiantur, vt Cytharae, Tibiae, Tubae, Litui, Multiforatiles fissulae, dextrae, leuae, simplices, duplices, in quibus vno spiritu animandis fertur Hyagnis Lydorum Rex, Marsiaequè pater primus in canendo manus discapedinasse. praeterea vt Peltae, Cordacistae, Sambuci, Hydraulae, Nabiliae, Psalteria, Magades, Barbiti, Naula, Pentades, Cornua, Hetagona, Mele, Testudo, Barbati, Plectra, Monochorda, Tetrachorda, Polychorda, & caetera id genus Musica instrumenta, placuit tamen Philosophis in Monochordis, Tetrachordis, atquè Polychordis mõstrandis caeterorum nos intelligere rationē, atq; compositionē.

Apuleius

2734 rursus & Melorum tria genera considerarunt veteres, Diatonicum nempè, Chromaticum, & Enharmonicum.

GENVS DIATONICVM.

2735 Diatonicum genus Melos est, cuius partitio per Semitonium minus, & duos Tonos continuè procedit.

2736 ab hoc tamen canone demitur Tonus, qui proslambanomeno primo Semitonio propositus est, & Tonus qui Tetrachordi die Zeugmeni, hoc est disiuncti principium est.

GENVS CHROMATICVM.

2737 Chromaticum genus est quod per duo inaequalia Semitonia

tonia, & Trihemitonium conſcendit.

GENVS ENHARMONICVM.

2738 Genus Enharmonicum eſt, quod per duas dieſes conſcendit, & Ditonum.

2739 in omni autem Monochordo, atquè Polychordo haec obſeruatur proprietas, vt octaua, modo nota, modo chorda primae,& decimaquinta octauae in conſonantia Diapaſon recrepet, & vbiquè pro proſlambameno praeiungitur Tonus, interſeriturquè vbiquè inter meſem, ac parameſem pro concentu disiuncto Tonus, hoc eſt in Monochordis à prima nota in ſecundam, & ab octaua in nonam collocatur Tonus.

MVNDANA MVSICA.

2740 Mundana Muſica eſt, quae in ipſo Coelo,vel compage Elementorum, vel temporum varietate, vel his demùm, quae in mundo continentur, perſpicitur.

2741 et ſanè in ordine mundi mundana Muſica iuxtà Pythagoreos (ſi Plinio credimus) talis eſt, vt Luna à terra abſit per Tonum, ab ea ad Mercurium ſpatij eius dimidium,& ab eo ad Venerem ferè tantumdē, à qua ad Solem ſeſquiplum, à Sole ad Martem Tonum, ab eo ad Iouem dimidium, & ab eo ad Saturnum dimidium, & inde ſeſquiplum ad ſigniferum. Plinius li. 2. na. hiſt. cap. 22.

2742 ſed haec poſitio in ipſa Muſica nonnulla continet abſurda, ſi quidem verum eſt, vt ipſe Plinius teſtatur, ſeptem Tonos ideo Muſicam Coeli continere, vt vniuerſitatem concentus, quam Diapaſon harmoniam vocant, amplexaretur.

2743 Platonicorum verò nonnulli ſic ſentiunt, vt quantum ſpatij à terra vſquè ad Lunam extat, duplam à terra vſquè ad Solem protendi, quantumquè ab ipſa vſquè ad Solem, triplum ab eadem eſſe ad Venerem, rurſus quantū à terra ad Venerem, quater tantum ab eadem ad Mercurium, item quantum ad Mercurij Stellam ab ipſa terra, nouies tantum à terra ad Martem, & quantū à terra ad Martem, octies tantum à terra ad Iouem, quantumquè à terra vſq; ad Iouem, ſepties, & vicies tantum à terra vſquè ad Saturni circum, in quibus inter caetera vides grauiores Ficinus in Timeum cap. 34.

Planetas

Planetas Iouem, atquè Saturnum vtrinquè per solidos numeros designari.

2744 sed contra hanc positionem insurgunt etiam nonnulli, vt potè contra illam, quae & absurda in Musicis contineat, si quidem in illis septem limitibus Musicae consonantiae perspici nequeunt: verum istis possunt Platonici satisfacere, si dicant haec dupla, triplaquè interualla, sesquitertijs, sesquialteris, & sesquioctauis repleri debere.

2745 alij verò Platonici septē illos terminos, in septē Sphaeras ommissis elementis reducendos esse censent, alij ad motus reducunt, nonnulli ad astrorum magnitudines, sunt etiam qui ad circulorum velocitates hos ipsos accomodent, & ad alias plures huiuscemodi caussas, quibus cum alia complura accidunt difficilia, tamen hoc vel maximum, quod ad nouitiorū Astrologorum obseruationes, stabilitasquè demonstrationes nequaquàm respondere valeant, cum alioquin nequè ipse etiam Plato de astrorū magnitudine, vel distantia, aut velocitate, aut motu pertractasse videatur

Proclus in Tim.

2746 Amelius itaquè harmoniam hanc mundi iuxtà Platonis sententiam aliter explicauit: quoniam enim anima mūdi omnia in se mundana continere videtur, Deos scilicet Daemonas, Homines, irrationabilia, ipsam dicit secundum quidem vnitatem omne mundanorum Deorum genus complecti, secundum binarium autem, ternariūq; Daemonum genus omne: quoniam enim Daemones, & Dijs proximi sunt, & nobis praeesse dicuntur, secundum quidem binarium ipsorum ad nos prouidentiam excitat, secundum ternarium autem suum ad Deos regressum perficit: duplex enim ipsorum vt diximus est habitudo, quoniam inter nos, & Deos medij esse dicuntur, secundum quaternarium autem, & nouenarium omnem humanam temperat, gubernatquè vitam: duplex enim & haec existit, cum in meliorem, peioremquè diuidatur, nouenario igitur meliorem exarmat, quaternario verò peiorem, inferioremquè ordinat, secundum octonariū verò, nec non septenum, & vigenum ad vniuersa, vltimaquè etiam se se ostendit, perficitquè impari quidem ea,

quae mitiora sunt, pari autem agrestiora.
2747 nequè mirum ducamus si Deorum contentiuam dixerit animam: multipliciter enim dicitur Deus, & non solùm id quod super substantiã est, nequè intellectus solus; sed & diuinae animae, & corpora diuina Dij sunt.
2748 sed non est dubium haec omnia iuxtà Platonis sententiã explicari melius posse.
2749 quod & Amonius praestauit, qui quidem mundi animã, vel vt in se manentem, vel vt progredientem, vel vt regredientem, vel vt demùm prouidentem aliter quidem immaterialium, purarumquè mundi specierum naturis, & aliter corporeis substantijs considerauit.
2750 et manere quidem secundum vnicam illam partem dixit procedere autem per secundam, intelligendo de processu diuino, qui nulla ipsius animae compassione, imbecillitatequè prouenit, regredi autem secundum tertiam.
2751 cum autem inquit, & secundorum prouidentiam gerat, & aliter quidem illorum, quae sibi quasi continenter annexa videntur, & aliter solidarum, compactarumquè molium, proinde & alios processus, & alios regressus habet.
2752 ea enim, quae consequenter, animae quodammodò annexa, vicinaquè videntur, procedunt secundum quartae potentiam vires generatiuas habentis, regrediuntur aũt secundum quintam.
2753 rursum praeterea solida haec, & omnes quae in corporeis molibus cernuntur species, secundum primae octuplem procedunt, regrediuntur autem secundum septimã, & vigesimam, quae solidorum est regresio.
2754 Harmonica autem medietate animae demonstrauit idẽtitatem, qua coelestibus inseparabilis tribuitur communio, maioribus quidem circulis maiores motus, viresquè maiores, minoribus autem minores distribuens.
2755 Arithmetica verò medietate ea, quae sub orbe Lunae sunt amplexatus, est in quibus subtilioribus, & magis tenuibus corporibus maiores, velocioresquè motus, crassioribus autem, partiumquè magnarum minores, tardioresquè tributi sunt.

replet

2756 replet autem interualla Diapente, Diatessaron, Tono, & Lemmate, Diapente quidem ad diuina genera aspiciens, Diatessaron ad Daemonum genera, & particulares animas, quibus Sphaeras plenas esse dicunt.

2757 Tonis verò replet ad brutales animas deueniens, quae comparatio est tertij ternarij ad cubum dualitatis.

2758 Lemma autem ad corporeum, & vegetatiuum respicit, & vsquè ad metalla, lapides, & infima quaequè genera.

2759 aliter etiam haec animae mundi harmonia potest declarari, si dicamus Orpheum imitantes, quòd anima in intellectu primo suum collocat caput, secundus limes, qui duplam proportionē ad primā cōtinet, progressum innuit ipsius animae ab eo, tertius verò regressum ad eūdem, quartus autem egressum à se ipsa, vt circa alia peragenda versetur, quintus retrocessionem ad se se.

2760 vltimi verò limites, qui ex solidis constituuntur, corpora indicant, quibus annectitur ipsa anima, elementare sanè per cubum, aut solidum binarij, qui materiam signat, Coeleste verò per cubum ternarij denotatur.

MVSICA HVMANA.

2761 sed & eadem animae mundi Platonica harmonia animae etiam humanae conuenire potest: nam in ea est primò vnitas id est portio quaedam diuinitatis, qua Deum intelligit, & circa ipsum operatur.

2762 et haec duplatur in duplici intellectu agente, & passiuo.

2763 quadruplatur in quadruplici vi elementaria.

2764 octuplatur in combinatis quadruplicibus elementis.

2765 ex altera parte in trinum venit per triplicem animae potentiam.

2766 in nouenarium per nouem sensus quinque corporeos, & extrinsecos, & quatuor interiores.

2767 in vigesimum septimum autem pergit amplectendo tres ipsas enneades in homine.

2768 quarū prima est bifariàm corpus (vt Plato asserit) quorū vtrumquè ex quatuor elementis: corruptibile enim ex quatuor alterabilibus, & incorruptibile ex elementis nobilioribus, nequaquā corruptioni obnoxijs, qui duo qua terni dant octo, quibus vt viuat corpus additur vita.

est etiam

2769 est etiam & in anima secundus nouenarius collectus ex quinque sensibus exterioribus, & quatuor interioribus, videlicet imaginatiua, cogitatiua, phantasia, & sensu communi.

2770 adest & alius nouenarius purior, quibus cum nouem ordinibus superiorum diuinorum Idiomatum cõuenit, & in his sanè dictis non omnia tanquàm vera, vel Platoni consentientia sunt amplexanda, Geor.ven. in har. mũdi To. 5. cint. 1.

2771 solae itaquè duae vltimae expositiones de anima mundi Platonicae sententiae consonae sunt.

2772 humana etiam Musica est illa harmonia, ob quam incorporea illa rationis viuacitas corpori miscetur, & ob quã partes ipsius animae coniunguntur, & ob quam demùm corporis elementa permiscentur. Boet.lib.1. cap. 2.

MVSICAE MODI.

2773 Musicae modi sunt remissiones (iuxtà veterum sententiam) aut intentiones omnium Tetrachordorum gradatim in aliquo genere Melorum sui generis progressionem seruantes, atquè septem iam à Musicis crebriori calculo recepti sunt, Hypodonius, Hypophrygius, Hypolydius, Dorius, Phrygius, Lydius, & Mixolydius. Faber.stapul.vlt.cõ: vlt.propo. elem.Mus.

2774 septem enim modos, & non plures adiecit priscorum authoritas Pythagoricorum: vt enim numerus à monade ad denarium vsquè varius crescens progreditur, mox verò sequens vnitatis vicem obtinet, ita quoquè vocum dissimilitudo, ac varietas ex quibus instar Coelestis harmoniae concentus humani, modiq; formantur ad octonarium, vsquè surgit, suntquè septem continuae voces inter se variae, quibus succedens octonaria vocis plenitudo ad primam rursus sonat, vt eadem.

2775 hinc licet cognoscere cur Hypermixolidius septem Pythagoricis modis, haud multùm veniat accomodandus; nam in Diatonico genere Mixolydium Pentadecachordum pro Hypermixolydio vno tono amplius acueretur, atquè tùm octauus natus esset sonus, qui ad primum idẽ, congeneusquè naturali affinitate redditur.

2776 et modi quos adiecere recentiores, vt Diuus Gregorius ab hac modorum antiquitate recedunt, & pleraquè alia,

quae posteriores Musici inculcauerunt, qui duodecim
concordia Musicorũ modos tradiderunt nobis, iuxtà diuersam Diapason di-
uisionem, sex quidem iuxtà diuisionem harmonicam, &
alios sex iuxtà diuisionem Arithmeticam
2777 nequè tamen recentiores modi vetustis aduersantur.

GEOMETRIA.

2778 post Musicã Geometria vltrò se se nobis offert, in cuius
foribus illud statim perquirendum est, cur Musicam Geo-
metriae anteposuerimus, si quidem Geometria, & Astro-
Plutar. in Platonicis quaestion. quaest. 2. logia quoquè Musica priores videntur: Geometricae.n.
res sunt magnitudines ad numerum accedentes, Astro-
logicae, solida quae mouentur: Harmonicae vbi motum
sequitur sonus, an secus est interdum in rerum ortu, ac fit
in scientiarum serie?
2779 solet etiam illud perquiri qualenam sit illud vniuersale,
lib. 2 in Eucl. c. 1. quod Geometria perpendit, si quidem ab eo vniuersali,
quod in multis est, propriumquè scientiarum videtur,
abstrahit? verum huic dubitationi rectè Proclus satisfa-
cit, qui supradictum vniuersale bifariàm partitur, alterũ
quidem sensile, alterum in phantasia subsistens (materia
si quidem duplex est, vna quidem eorum quae sensui con-
iugata sunt, altera verò eorum quae sub phantasiam ca-
7. metaph. 35. & 39. dunt, vt quodam in loco, & Aristoteles ait)
2780 horumquè vniuersalium Geometriae imaginabile adiu-
dicatur.
2781 verùm repugnat nè hoc Platoni, qui omnium mathema-
ticarum cogitabilia facit obiecta, an cogitatio apud
Platonem est ratio cum phantasia coniuncta?
2782 et cum vna quaequè scientia aliud quidem habeat genus,
procl. lib. 2. cap. 2. circa quod versatur, cuiusquè passiones sibi consideran-
das proponit: alia verò principia, quibus vtitur in de-
monstrationibus, alia autem quae per se insunt, in Geo-
metria dicimus subiecta esse Triangula, Quadrangula,
Circulos, Figurasquè prorsus, ac magnitudines, harum-
què terminos, ea autem, quae per se insunt esse diuisiones,
rationes, contactus, aequalitates, applicationes, excessus,
defectus, huiuscemodiq; omnia, petitiones verò, & pro-
nunciata, quibus Geometria vtitur principia esse.

Geometriae

GEOMETRIAE ORDO.

2783 Geometriae autem ordo iuxtà Proclum talis est, vt haec vel principia, vel è principijs emanantia consideret.

2784 rursus autem quae ex principijs scaturiunt, in problemata, theoremataquè diuiduntur, illa quidem figurarũ ortus, sectiones, ablationes, vel additiones, omnesquè prorsus, quae circa ipsas sunt affectiones continentia: haec verò quae per se singulis accidunt ostendentia.

2785 omne autem problema, omnequè theorema, quod perfectis suis completum est partibus, haec omnia in se habere debet, propositionem, expositionem, determinationem, constructionem, demonstrationem, & conclusionem. lib. 3. cap. 5.

2786 maximè autem necessariae, & in omnibus existẽtes propositio, demonstratio, & conclusio, si quidem oportet, & quaesitum praecognoscere, & medijs hoc ostendere, quodquè ostensum est concludere.

2787 sed modò ista Geometriae series multas ob caussas à nobis relinquenda est, aliaquè assumenda, dicamus itaquè Geometriam, vel plana, vel solida cõtemplari, & ex planorum quidem speculatione Geometriam specialẽ oriri, ex solidorum verò contemplatione, Stereometriam.

GEOMETRIA SPECIALIS.

2788 Geometria specialis, vel magnitudines planas, vel earũ principia considerat.

SIGNVM.

2789 et sanè earum principium, signum est, quod quidem ab Euclide definitur, vt sit id, cuius est pars nulla, in qua definitione id solet perquiri, cur nempè à partium negatione principium nobis declarauerit; sed facilis est solutio, si dicamus negatiuas orationes principijs cõuenire, quemadmodum nos docuit Parmenides, qui primam, vltimamquè caussam solis negationibus tradidit: omne si quidem principium diuersa ab eis, quae scatent, cõstat essentia, & horum negationes illius nobis patefaciunt proprietatem:

2790 illud autem solet in dubium verti, num nempè signum huiuscemodiquè termini sola excogitatione subsistant

concordia Stoicorũ cum Platonicis.

quemadmodum Stoici censuerunt, an etiam & in rerum natura reperiantur, quod Platonici asserunt, quod per axes, centraquè mundi se probare facile credunt, an quia termini duplices sunt, naturales nempè, & mathematici, proinde iuxtà hos duos terminos, illae quoquè duae opiniones verae sunt.

2791 hinc & Aristoteles eorum veluti Orizon fuit, qui dixit eos excogitatione à sensibilibus separari.

PLANAE MAGNITVDINES.

2792 planae autem magnitudines, quae à puncto veluti à primo principio emanant, vel rationales sunt, vel irrationales, & rationales vel lineae sunt, vel lineata:

LINEA.

2793 linea verò est longitudo, sine latitudine, cuius extrema sunt signa.

Procl. lib. 2. com. 3.

2794 in qua quidem Euclidis definitione id solet perquiri, quo pacto lineae extremitates signa dicta sunt: circularis enim quae in se se coit extremitates, signa non habet: sed cum definitio linearũ, vti lineae sunt propria sit, obiectio nulla est: quaelibet .n. circuli, clypeiq; linea quādā etiam aliam assumpsit sibi proprietatem, per quam non solum linea est: verum etiam & figura.

LINEAE DIVISIO.

2795 diuiditur autem linea, vel in simplicem, vel in mistam.

LINEA SIMPLEX.

2796 linea verò simplex in rectam, & circularem.

2797 ambigit autē Xenocrates aduersus hanc diuisionem, cũ Helicem etiam, quae circa Cylindrum describitur simplicem credat: nam in Cylindro fit Helix, quae omnes sui partes omnibus secundum partium similitudinem adoptat, vt ostendit Apollonius, quae quidem passio ex omnibus Helicibus illi soli competit; planae nāq; Helicis partes inter se dissimiles sunt, nec nō eius, quae circa conũ, & eiusq; circa Sphaerā describitur, cui dubitationi occurrem' dicētes similiũ quidē partiũ esse huiuscemodi Helicem, quemadmodum & Apollonius docuit, simplicem autē minimè: Cylindricae enim mistionem ex simplicibus ipsamet generatio indicat: oritur enim dum

in lib. de cochlea.

recta linea circa Cylindri axem circulariter mouetur: signum verò in ipsa recta linea fertur.

1798 admirabile autem problema in lineis simplicibus illud est, quo nonnulli conati sunt demonstrare fieri posse, vt illae lineae rectae, quae ab angulis minoribus, quàm duo recti producuntur, non coincidant, quod ex eo se probare credunt, si semper illae rectae lineae ea proportione secetur, vt superior, & inferior sectio basi semper aequetur: tùm enim ex quorundam sententia, vel nunquam lineas coincidere necessarium est, vel duo trianguli latera, altero nō esse maiora, quod sanè nullo pacto fieri potest, neque huic rei satis rectè facit Proclus, qui tandem triāgulum necessariò fieri opinatur, cum rectae basis partes vltrà lineas sibi annuentes relinqui arbitretur: hoc enim verum esset forsan in mechanicis, non etiam in puris Geometricis. Procl. lib. 4. com. 3.

1799 inter eas verò, quae interuallum semper imminuunt, nequè tamen coincidunt est Hyperbole ad rectam lineam.

1800 et chonchoides ad rectam lineam, in quibus quidem annuunt sibi inuicem lineae: nunquam tamen omnino annuunt, quod etiam (vt & Proclus dicebat) maximè admirabile est in Geometria, ostendens nutum quarundam linearum non annuentem. lib. 2. cap. final.

LINEA CIRCVLARIS.

1801 Duabus autem lineis simplicibus existentibus (recta inquam, & circulari) recta vtiquè simplicior est: in hac .n. nè opinione quidem dissimilitudo excogitari potest: in circulari verò concauum, & conuexum dissimilitudinē indicant, & recta quidem circumferentiam secundum excogitationem non infert: circumferentia verò rectam (licet non iuxtà generationem) iuxtà tamen respectum ad centrum secum affert, propterea rectè prius de recta, nunc de circulari linea agendum est.

1802 illud verò in circuli speculatione perquiri solet à nonnullis, quo pacto si vna existente dimetiente duo semicirculi fiunt, infinitae verò dimetientes per centrum ducantur, non eueniat vtiquè duplicia infinitorum esse secundum numerum: nos autem dicimus, quòd secatur Philopon. cont Proc. de mun. aeter.

quidem magnitudo in infinitum: non autem in infinita: nam hoc quidem actu facit infinita: illud verò potentia tantum, & hoc quidem essentiam infinito praebet: illud verò ortum duntaxat, simul igitur cum vna dimetiente duo sunt semicirculi: nunquam tamen dimetientes infinitae erunt.

LINEAE MISTAE DIVISIO.

2803 mista verò linea, alia in planis est, alia verò in solidis cuius vltimae consideratio ad stereometriam pertinet.

Procl. lib. 2. com. 4.

LINEAE MISTAE IN PLANIS DIVISIO.

2804 et eius quae in planis est, alia quidem in se se coincidet, vt quae figuram refert haerae, quae Cissoides vocitatur, alia verò in infinitum producitur, vt puta Helix.

LINEATI DIVISIO.

2805 lineata verò, vel anguli sunt, vel figurae.

ANGVLVS.

com. 8.

2806 Angulum alij quidem veterum Philosophorum in praedicamento eorum, quae sunt ad aliquid collocarunt, inclinationem dicentes linearum, quae ad se inuicem inclinatae sunt, quibus & Euclides ipse adstipulatur, alij verò in qualitate hunc quoquè includerunt, vt qui dicũt rectitudinem, atquè obliquitatem talem linearum esse passionem, inter quos forsan adnumerādus videtur Aristoteles, alij demùm ad quantitatem referunt, superficiē ipsum, vel solidum esse fatentes, à quibus forsan Apollonius non dissentit, proinde opus est ipsum, aut qualitatem dicere, aut quantitatem, aut aliquid eorum, quae sunt ad aliquid.

defin. 8.

in praedic. qualitatis.

2807 et quid erit, si sub omnibus istis praedicamentis angulus reponatur: vt enim figura qualitas est, vt rationes ad se inuicem habet, est eorum quae sunt ad aliquid, vt autem spatium continet, vel superficies, vel solidum est, sub quātitate collocari debet.

concordia Matheaticorum.

2808 si verò melius loqui volumus operae pretium erit dicere, nil quidem praedictorum per se esse: sed per horum omnium concursum constitui, & propter hanc caussam dubitatio semper illis allata est, qui ad vnum solum spectarunt.

indiget

2809 indiget ergo angulus subiecta magnitudini quantitate, indiget & qualitate, per quam quasi propriam habet formã, indiget demùm & linearum ipsum terminantium respectu, adeo vt nihil aliud sit angulus, quàm superficies ipsa in vno signo collecta, ab inclinatisquè lineis comprehensa, vel ab vna ad se se inclinata linea, ipsumquè solidum ab inclinatis ad se inuicem superficiebus collectũ.

ANGVLORVM DIVISIO.

2810 Angulorum verò, alij quidem in superficiebus, alij verò in solidis consistunt. Procl. lib. 2. com. 8.

ANGVLI IN SVPERFICIEBVS.

2811 et eorum qui in superficiebus, alij quidem in simplicibus, alij verò in mistis.

2812 et in mistis sanè sunt anguli, qui fiũt in cylindrica superficie, in conica, & in similibus.

ANGVLI IN SVPERFICIEBVS SIMPLICIBVS.

2813 eorum autem, qui in simplicibus consistunt superficiebus alij quidem in Sphaericis, alij verò in planis constituuntur: facit enim angulos & ipse signifer aequinoctialem in duas dissecans partes.

ANGVLI IN PLANIS SVPERFICIEBVS.

2814 eorum verò qui in planis, alij quidem à simplicibus comprehendũtur lineis, alij verò à mistis, alij verò ab vtrisq;.

2815 in Clypeo enim ab axe, Clypeiquè linea angulus cõprehenditur: sed harum vna quidem mista est, altera verò simplex, quod si Clypeum circulus secet, erit angulus à circumferentia, & Ellipsi comprehensus, cum autẽ cissoides angulum fecerint, ex mistis lineis erunt anguli, itidem cum Hyppopeda hoc est equinae similis pedicae linea, quae spiricarum vna est, angulum ad aliam proclinata fecerit, hunc quoquè mistae comprehendunt lineae.

ANGVLI EX SIMPLICIBVS LINEIS.

2816 qui demùm à circumferentia, & recta linea continentur à simplicibus comprehenduntur lineis.

2817 duae namquè circumferentiae se inuicem secando, vel se se contingendo angulos efficiunt, ipsosquè triplices: aut enim vtrinquè conuexos, quando scilicet extrà fuerint

circumferentiarum conuexa, aut vtrinquè cauos quãdo vtraquè caua extra sunt, quos Systroides vocant, aut mistos ex conuexa, & caua linea, quemadmodũ lunulares.

2818 quinetiam à recta linea, & circumferentia anguli dupliciter continentur: aut enim à recta linea, & caua circũferentia, vt semicircularis, aut à recta linea, & conuexa circumferentia, vt cornicularis.

ANGVLI RECTILINEI.

2819 cuncti verò qui à duabus comprehenduntur rectis lineis rectilinei vocabuntur triplicem ipsi quoquè differentiã habentes: si enim recta linea super rectam consistens lineam eos, qui sunt deinceps angulos aequales ad inuicẽ fecerit, vterquè aequalium angulorum rectus est, & quae insidet recta linea perpendicularis vocatur super quam insedit.

2820 obtusus autem angulus est, qui maior est recto.

2821 acutus verò, qui recto est minor.

def. 11. & 12. 2822 quibus Euclidis definitionibus illud solet opponi, quòd non omnis absolutè, qui recto minor est acutus sit, cornicularis namquè omni recto est minor, quandoquidem & acuto, nec tamen acutus, semicircularis itidem quocunquè recto est minor: acutus tamen non est, quin etiã multi curuilineorum angulorum rectis maiores apparebunt: nec ob id tamen obtusi sunt: verùm pro Euclidis tutela in eius definitionibus vbi semper dicit angulus, rectilineus subintelligendus est: oppositiones verò in mistis locum sibi vendicant.

Procl. lib. 2. com. 10.

15. prop. 3. elem. 2823 et in his angulis illud sanè admirabile videtur, quod illis angulis mistis, qui recto sunt maiores, acuto verò minores nullus angulus rectilineus dabitur aequalis, licet maior, & minor dari possit.

2824 quod idem etiam, & in his angulis mistis asserendum videtur, qui obtuso sunt minores, recto verò maiores.

FIGVRA, ET ILLIVS DIVISIO.

2825 figura est, quae ab aliquo, vel ab aliquibus terminis cõprehenditur, illiusquè diuisio iuxtà numeri ordinẽ procedit, si quidem post monadicam figuram, circularem nempè, quae principij rationem ad omnes figuras habet,

Procl. lib. 2 com. 6.

biformemquè

biformemquè ſemicirculum rectilinearum figurarum iuxtà numeros in infinitum progreſſus traditur.

TRILATERAE FIGVRAE ET EARVM DIVISIO.

1826 inter quas primae ſunt Trilaterae figurae, quarum ſeptẽ ſpecies exiſtunt: nam aequilaterum tantum vnum eſt, cũ acutangulum ſolum ſit: reliquorum autem vtrumquè eſt triplex. Aequicrus namquè, aut rectangulum eſt, aut obtuſangulum, aut acutangulum, ſcalenuſquè ſimiliter hanc triplicem habet differentiam. Procl. lib. 2. com. 17.

1827 videtur autem Euclides ad illud ſolum reſpiciens, ſeorſum quidem ab angulis, ſeorſum verò à lateribus diuiſionem feciſſe, quod ſcilicet non omne Triangulum trilaterum etiam eſt: ſunt enim Triangula quadrilatera, quae ἀκιδοειδῆ hoc eſt cuſpidis ſimilia à Mathematicis ipſis vocantur, Zenodoro autem Κοιλογώνια hoc eſt cauum angulum habentia.

COROLLARIVM.

1828 atquè hinc apparet non eſſe temerè ab angulorum multitudine de numero linearum afferendam ſententiam.

ΕΡΓΑ.

1829 Triangulo autem iuxtà Ariſtotelis opinionem internos angulos duobus rectis aequales habere per ſe, & ſecundũ quod ipſum ineſt, cuius ſanè rei probatio non modò ex demonſtrationibus Mathematicis: verùm etiam ex communibus notionibus liquet: ſi enim rectam lineam, in eiuſquè extremis quaſdam ad angulos rectos ſtantes, deinde annuentes ad Trianguli ortum intellexerimus, videmus quòd quatenus annuunt, eatenus rectos angulos imminuere, quos ad rectam lineam efficiebant: quamobrem tantum adeptae iuxtà eum, qui fit ad verticẽ nutum, quantum eſt, quod abſtulerunt, neceſſariò tres angulos duobus rectis aequales efficiunt. in poſter. Eucl. in 32 propoſ. p. lib. elem. & ibi Proclus.

COROLLARIA.

1830 ex qua ſanè re nonnulla oriuntur ſuperpondia, & primũ eſt, quod ex illo Theoremate colligimus aequilaterum quidem triangulum, vnum quemquè angulum duarum recti tertiarum habere.

aequicrus

2831 aequicrus verò cum verticalem rectum habuerit, reliquos recti dimidios habere.

2832 Scalenum autem nempè semitriangulum, quod fit in aequilatero triangulo perpendiculari ducta à quouis angulo ad latus illum subtendens vnum quidem habere rectum, alterum autem duarum recti tertiarum, reliquũ verò necessario tertiae partis recti, quae omnia ad Timaei doctrinam nos praeparant.

2833 colligamus etiam quòd cum omnis rectilinea figura in triangula resoluatur, omnium si quidem constitutionis principium est Triangulum, vna quaequè autem figura in Triangula binario pauciora proprijs lateribus soluatur, atquè omne Triangulum angulos duobus rectis aequales habeat, proinde Triangulorum duplum angulorũ numerum, eorum quae composita sunt habere: quapropter omnis quidem quuadrilatera figura, quatuor rectis aequales angulos habet, ex duobus si quidem Triangulis est composita, omnis verò quinque laterum sex, hocquè consequenter eodem modo.

2834 aliud autem, quod est huic consequens summatim dicamus, quòd scilicet omnis rectilinea figura, vno quoquè ex lateribus semel producto, angulos, qui extrà constituuntur rectis quatuor aequales habere. nam oportet quidem angulos, deinceps rectos multitudinis laterum duplos esse, quoniam in vno quoquè duobus rectis aequales constituti sunt, ablatis autem rectis, qui internis angulis sunt aequales, reliqui anguli, qui extra sunt quatuor rectis aequales sunt.

2835 quapropter si figura triangula fuerit, dum vnumquodq; ipsius latus semel producitur, sex rectis aequales anguli constituuntur interni, atquè externi, quorum interni duobus aequales sunt, reliqui ergo externi quatuor sunt rectis aequales.

2836 si verò quadrilatera fuerit omnes sũt octo, laterũ si quidẽ dupli sunt, quorum interni quatuor rectis sunt aequales, & externi totidem alijs aequales sunt.

2837 si autem quinque laterum decem quidem omnes sunt, sex autem rectis interni sunt aequales: quatuor verò reliquis externi

externi aequales sunt, im infinitumquè similiter eadem erit via.

ΕΡΓΑ.

2838 verum illa Trianguli pasſio, ex qua iſta corollaria eliciebantur, non videtur ineſſe Triangulo per ſe, & ſecundùm quòd Triangulum, ſi quidem figura habens internos angulos duobus rectis aequales rectilinea, omnino Triangulum eſt: non autem ſi aliqua figura internos duobus rectis aequales habuerit, omnino eſt Triangulum: figura enim ex quatuor circumferentijs, quarũ tres circa quadratum, vna verò intrà quadratum ſit, conſtructa, internos duobus rectis aequales habentem reperies, nec tamẽ erit Triangulum: verum pro Ariſtotelis defenſione dicere poſſumus illum Triangulis illam paſsionem veluti propriam adiudicaſſe, cum rectilineas figuras tantummodò ab hac proprietate ſeiunxerit.

2839 verùm illud in Geometria admirabile prorſus videbitur, quòd duo Triangula vnum intra alterum ita conſtituemus, vt contentum latera maiora continente habeat. Procl. lib. 3. prop. 22

2840 ex quo & aliud admirabile quoquè oritur: quomodo .n. admirabile non eſt, lineas ſuper toto latere conſtitutas externarum minores eſſe, ſuper parte verò maiores?

QVADRILATERAE FIGVRAE, EARVMQVE DIVISIO.

2841 quadrilatera figura ſeptem nobis conſtituitur modis: nam vna quidem quadrangulum eſt, altera verò parte altera longior, tertia Rhombus, quarta Rhomboides, quinta Aequicrus Trapezium, ſexta Scalenum Trapeziũ, ſeptima Trapezoides. Procl. lib. 2. com. 18.

2842 ſed vt methodicè procedamus, dicamus quadrilaterarũ figurarum primam diuiſionẽ in duo membra fieri oportere, & alias quidem ipſarum parallelogramma eſſe, alia verò non parallelogramma.

PARALLELOGRAMMA.

2843 et parallelogrammorum alia quidem, & rectangula, & aequilatera, vt quadrangula, aut non.

2844 et quae quadrangula non ſunt, vel aequalitate laterum, aut angulorum rectitudine participant, aut non.

quae

2845 quae enim rectangula quidem: sed non aequilatera sunt altera parte longiora vocantur: alia verò, è cõtrario aequilatera quidem: at non rectangula, Rhombi sunt.

2846 quae verò neutro participant Rhomboidea sunt.

2847 in his autem illud est pulcherrimum, & admirabilissimũ problema, ob quod nonnulla parallelogrammata pollicemur, quae licet latera maiora habuerint altero parallelogrammate, minus tamen spatium continebunt.

RELIQVAE FIGVRAE POLYGONAE.

2848 fieri autem potest, vt in circulo describatur polygonum aequilaterum, & aequiangulum habens quot quot latera quis proposuerit: si enim heptagonum in circulo describere velimus, vtemur triangulo aequicrure, cuius anguli qui ad basim reliquo tripli sint, deinde ex demonstratis eos tripartitò secantes, habebimus totam circuli circũferentiam in septem partes aequales diuisam, si verò nonagonum describendum sit, vtemur triangulo aequicrure, cuius anguli ad basim reliquo quadrupli sint, & eodẽ modo in alijs.

38. 4 pappi.

COMMVNES FIGVRARVM.

AFFECTIONES.

2849 Affectiones figurarum sunt, vel in ordinatione, & primatu, quae iam ni fallor satis exposita sunt, vel in comparatione, proportione, & similitudine, qua si nihil in Geometricis rebus praestantius esse dixero, nihil à veritate (opinor) aberrabo: hinc enim ex isoperimetris homogeneis ordinatius est maius, & ex heterogeneis ordinatis terminatius, quae quidem isoperimetrorum ratio ea est ex cuius ignoratione ψευδογραφία infiniti per omnes humanae vitae partes erroris orta est, isoperimetra esse aequalia: ex hoc enim falso Theoremate Geodesia in agrorum dimensionibus fraudolenta est, & Geographia in regionibus, & insulis mendax, & mendosa.

Theon. primo magnę construc.

2850 Hinc in directa proportione figurae similes aequealtae sunt, vt bases, in reciproca verò sunt aequales, in figuris autem similibus est duplicata ratio homologorum laterum: in medijs verò proportionale medium est vna minus.

Magnitu-

MAGNITVDINES IRRATIONALES.

2851 Magnitudo autem irrationalis, vel simplex est, vel composita.

IRRATIONALIS SIMPLEX.

2852 atqui simplex irrationalis antiquae authoritatis priuilegio media appellatur, estquè media inter duas simplices rationales vi tantum Symmetras, & apud Euclidem duplex est. 22.propos. 10. elem. Eucl.

2853 videlicet potens, quòd rationalibus potentia solum cōmensurabilibus continetur, & quae mediae est commensurabilis. Schol.post propos.24.

IRRATIONALIS COMPOSITA.

2854 irrationalis composita est recta irrationalis, quae componitur è duabus rectis re asymmetris, diuiditurquè in affirmatam, & negatam, quae quidem negata residua dicitur.

2855 genera verò speciesquè residuarum velut è regione respondent suis affirmatis, ideoquè coniunctam doctrinã expostulant.

2856 affirmata itaquè irrationalis, vel est bipartita, vel quadripartita.

BIPARTITA, ET EIVS DIVISIO.

2857 Bipartita est, quae cōstat è duabus simplicibus partibus, estquè vel binomia, vel bimedia.

BINOMIA, ET ILLIVS DIVISIO.

2858 Binomia est bipartita è duabus rectis rationalibus vi tantum Symmetris, & hic partes nomina dicuntur, quia rationales sunt, & numeris tanquàm nominibus appellari possunt. 37.propos. 10.

COROLLARIVM.

2859 atquè hinc apparet simplicem irrationalem esse mediam inter nomina binomiae.

ΕΡΓΑ.

2860 residua verò istius binomiae, propriè residua dicitur.

2861 estquè binomia vel excessus Symmetri, vel Asymmetri. 10. 14. 17,

2862 Symmetri quando maius nomen plus potest, quàm minus quadrato re sibi Symmetrae. 18. 29. 30. 31. 32. p. 10.

Binomia

BINOMIA EXCESSVS SYMMETRI, ET ILLIVS DIVISIO.

2863 Binomia excessus Symmetri est alterius nominis rationalis, aut vtriusquè irrationalis, quae dicuntur prima, secunda, tertia, eorumquè residuae prima, secunda, tertia.

2864 Binomia prima est, quando maius nomen est rationale, vt 6. p. ℞ 20. nam 16. quadratum est 36. cuius supra 20. quadratum minoris nominis excessus est 16. quadratus è latere 4. Symmetrum ad ipsum 6. & 6. ipse rationalis est.

2865 residua autem prima 6. m. ℞ 20.

2866 Binomia secunda, quando minus nomen est rationale, vt ℞ 18. p. 4.

2867 residua secundae ℞ 18. m. 4.

2868 Binomia tertia, quando vtrunquè nomen est irrationale, vt ℞ 24. p. ℞ 18.

2869 residua tertia ℞ 24. m. ℞ 18.

BINOMIA EXCESSVS ASYMMETRI, ET ILLIVS DIVISIO.

2870 Binomia excessus Asymmetri est, quando maius nomen plus potest quadrato re sibi Asymmetrae.

2871 Binomia excessus Asymmetri est, nominis alterius rationalis, aut vtriusquè irrationalis, quae dicuntur Binomia quarta, quinta, sexta, residua item quarta, quinta, sexta.

2872 Binomia quarta est, quando maius nomen est rationale, vt 6. p. ℞ 24. nam 36. quadratum est maioris nominis, cuius supra 24. excessus est 12. quadratus è latere ipsi Asymmetro: nam ℞ 12. re Asymmetra est ipsi 6.

2873 residua quarta est 6. m. ℞ 24.

2874 Binomia quinta est, quando minus nomen est rationale, vt ℞ 6. p. 2.

2875 residua quinta est ℞ 6. m. 2.

2876 Binomia sexta est, quando neutrum nomen est rationale, vt ℞ 24. p. ℞ 12.

2877 residua sexta est ℞ 24. m. 12.

BIMEDIA ET ILLIVS DIVISIO.

26. p 10. 2878 Bimedia est bipartita è duabus medijs, estquè vel prima, vel secunda.

Bimedia

BIMEDIA PRIMA.

2879 Bimedia prima eſt, quae poteſt ſpatium irrationale. 38. p. 10.
2880 reſidua Bimediae primae, dicitur reſidua mediae prima.

BIMEDIA SECVNDA.

2881 Bimedia ſecunda eſt, quae poteſt ſpatium medium. 38. p. 10.
2882 reſidua Bimediae ſecundae, dicitur reſidua mediae ſecunda. 75. p. 10.

QVADRIPARTITA, ET ILLIVS DIVISIO.

2883 quadripartita eſt, cuius partes eſt bipartita vi Aſymmetra, quae vel eſt potens rationale, vel medium.
2884 et potens rationale eſt, è cuius partibus ſimul vtrunquè quadratum eſt rationale, & maior dicitur 40. p. 10.
2885 reſidua dicitur minor. 77. p. 10.
2886 potens medium eſt, è cuius partibus quadratum ſimul, vtrunquè eſt medium.
2887 potens medium poteſt, vel rationale etiã, vel duo media.
2888 potens medium, & rationale eſt, è cuius partibus oblongum eſt rationale. 41. p. 10.
2889 reſidua rationale, mediumquè potentis dicitur cum rationali medium totum faciens. 78. p. 10.
2890 duo media potens eſt, è cuius partibus oblongum eſt medium. 42. p. 10.
2891 reſidua duo media potentis dicitur cum medio totum faciens. 78. p. 10.

STEREOMETRIA.

2892 Stereometria ita vt Geometria, vel principia, vel à principijs emanantia ſpeculatur.

SVPERFICIES ET ILLIVS DIVISIO.

2893 et ſanè cum ſuperficies corporis ſit principium minimè dubium eſt ſuperficiem eſſe illud ſubiecti principium, quod Stereometria perpendit.
2894 eſt autem ſuperficies, vel plana, vel gibba.
2895 Gibbum verò, vel eſt Sphaericum, vel varium.
2896 Sphaericum eſt gibbum aequidiſtans à centro comprehenſi ſpatij, & fit conuerſione Semiperipheriae, manente diametro. 14. def. 11.

Super-

SVPERFICIES VARIA, ET EIVS DIVISIO.

2897 Superficies varia est, vel Conica, vel Cylindracea.

2898 planus è latere, & dimidio basis est Conicus.

2899 Conicum verò, quod à subiecta peripheria aequaliter fastigiatur ad verticem.

2900 planus autem è sua basi, & illius totius altitudine est Cylindraceum.

2901 Cylindraceum autem est, quod à subiecta peripheria ad sublimem aequalem, & parallelem peripheriam aequaliter erigitur.

CORPVS.

2902 ex Superficierum ductu oritur corpus, quod quidem est lineatum, latum, & altum, & proinde solidũ appellatur.

10.def.11.

2903 si solida comprehenduntur à superficiebus homogeneis aequalibus multitudine, & magnitudine sunt aequalia: neq; tamen hinc dixeris isoperimetra, solida quaelibet esse aequalia: fallere enim posit in heterogeneis.

COROLLARIVM.

in frag. lib. 9.

2904 hinc itaq; rectè Polybius disputans de Geometriae emolumentis, Megalopolis ait ambitu suo quinquaginta fuit stadiorum, Lacedaemon quinquaginta octo, & tamen Lacedaemon duplo maior Megalopoli, hoc inquit ignaris mathematum incredibile videatur, quid si ait dixero fieri posse, vt ciuitas ambitu quadraginta octo stadiorum sit dupla ciuitatis centum stadiorum ambitu? insanum, atquè amens videatur: attamen vtrumquè verum, & Geometrica necessitate demonstratum, falsumquè conuincitur magnitudines, vel locorum, vel exercituum ex ambitu metiri, collibus, & vallibus distracti anfractus videntur maiorem ciuitatem efficere, at secus est: Aedificia enim recta eriguntur, itaquè si aequè alta fingantur, aequalis & parallela multitudo in plano, atquè cliuo cõstructorum deprehendetur, haec rectè Polybius.

ΕΡΓΑ.

33.p.11. 8.p.12. Plato in Timeo.

2905 solida similia habent triplicatam rationem homologorum laterum, & duo media proportionalia.

Solidi

SOLIDI DIVISIO.

2906 est autem solidum, vel planum, vel gibbum.

SOLIDVM PLANVM, ET ILLIVS DIFFERENTIA A PLANO.

2907 plani rectilinei differentiae fuerunt à numero laterum, vel angulorum, vt trilaterum, quadrilaterum, multilaterum, vel triangulum, quadrangulum, multiangulum, sic corporis plani differentiae sunt à numero terminorum, quos hedras nuncupant: sed aliter quàm in planis series perpetua est in pyramide à quaternario, in pyramidato autem à quinario.

2908 nec numerus angulorum numero terminorum perpetuò respondet, pyramis tetraedra, pentaedra, polyedra est quidem quadrangula, quinquangula, multangula: sed prisma pentaedrum est sexangulum, hexaedrum octangulum, & sic deinceps.

PLANI SOLIDI DIVISIO.

2909 solidum planum est pyramis, aut pyramidatum.

PYRAMIS.

2910 pyramis est solidum planum à basi rectilinea aequaliter fastigiatum, cuius hedrae sunt vna plures angulis in basi.

PYRAMIDATVM ET EIVS DIVISIO.

2911 pyramidatum est solidum planum à pyramidibus comprehensum, quod vel prisma, vel polyedrum mistum est.

PRISMA.

2912 prisma est pyramidatum, cuius duo opposita plana sunt aequalia, similia, parallela, reliqua parallelogramma, & è triplici pyramide componitur. 13. d. 11. 7. p. 12.

PRISMATIS DIVISIO.

2913 prisma est pentaedrum, aut à pentaedris compositum.

2914 et è pentaedris compositum, est vel hexaedrum, vel polyedrum.

2915 hexaedrum aut parallelepipedum, aut trapezium.

2916 parallelepipedum rectangulū est, vel cubus, vel oblongū.

CVBVS.

2917 cubus autem est, corpus ex sex lateribus aequali latitudine planitierum, quadratum, is cum est iactus quā in partē incubuit, dum est intactus immotam habet stabilitatem. Vitruuius lib. 5. in proemio.

COROLLARIA.

2918 proinde Pythagoricis, & illis qui eius haeresim fuerunt secuti placuit cubicis rationibus praecepta in voluminibus scribere, constitueruntquè cubum CCXVI. versuum, & hanc similitudinem ex eo sumpsisse videntur, quòd is numerus versuum vti cubus in quemcunquè sensum insederit immotam efficiat ibi memoriae stabilitatem.

2919 sed hoc superstitiosè nimis.

EPΓA.

2920 de reliquis autem parallelepipedis, oblongo, rhombo, rhomboide, dequè trapezio, & polyedris pentaedris apud veteres Stereometria nota praecipua nulla est.

POLYEDRVM MISTVM ORDINATVM
ET ILLIVS DIVISIO.

2921 polyedrum mistum ordinatum est, vel triangulae basis, vel quinquangulae.

2922 mistum ordinatum triangulae basis est octaedrum, aut icosaedrum.

OCTAEDRVM.

2923 octaedrum est polyedrum mistum ordinatum, quod ab octo triangulis comprehenditur, cuius latera sunt duodecim anguli plani vigintiquatuor, & solidi sex.
17. d. 11.

ICOSAEDRVM.

2924 icosaedrum est polyedrum mistum à viginti triangulis comprehensum, cuius latera sunt triginta, anguli plani sexaginta, solidi duodecim.
29. d. 11.

DODECAEDRVM.

2925 polyedrum mistum ordinatum quinquangulae basis est, quod à duodecim quinquangulis comprehenditur, & dodecaedrum dicitur, cuius latera sunt triginta, anguli plani sexaginta, solidi viginti.

OMNIVM SOLIDORVM PLANORVM, ET
EORVM NVMERI RATIO.

2926 supradictis autem quinque figuris, pyramide nempè, cubo, octaedro, icosaedro, & dodecaedro non constituitur alia figura, quae aequilateris, & aequiangulis inter se aequalibus continuatur, ex duobus enim triangulis, vel ex alijs duobus planis non cōstituitur angulus solidus, ex

tribus

tribus autem triangulis constituitur angulus pyramidis, ex quatuor octaedri, ex quinque icosaedri, at ex sex triangulis aequilateris, & aequiangulis ad vnum punctum constitutis non est angulus solidus: cum enim trianguli aequilateri angulus sit duae tertiae recti, erunt sex quatuor rectis aequales, quod fieri non potest: omnis enim solidus angulus minoribus, quàm quatuor rectis continetur, eadem ratione neque ex pluribus, quàm sex angulis planis constituitur solidus angulus, itaquè quadratis tribus, angulus cubi continetur, vt autem quatuor contineatur fieri non potest: essent enim rursus quatuor recti, pentagonis autem aequilateris, & aequiangulis, tribus quidem continetur angulus dodecaedri: sed vt quatuor contineatur fieri non potest: nam cum pentagoni lib.13.vlt. aequilateri angulus constet ex recto, & quinta recta par- propos. te, erunt quatuor anguli quatuor rectis maioris, quod fieri non potest, neque verò alijs polygonis figuris constituetur angulus solidus propter absurda, quae consequuntur, non igitur praeter iam dictas figuras, alia figura solida cõstituitur, aequilateris, & aequiangulis contẽta.

SOLIDVM GIBBVM, ET ILLIVS DIVISIO.

2927 solidum gibbum est, quod comprehenditur à superficie gibba.

2928 estquè vel sphaera, vel varium.

VARIVM ET EIVS DIVISIO.

2929 solidum varium est, quod comprehenditur à superficie varia, & basi.

2930 estquè vel conus, vel cylindrus.

CONVS.

2931 conus autem sic primus est in solidis varijs, vt triangulũ in planis rectilineis, & vt pyramis in solidis planis, neq; in alia solida varia simpliciora diuidi potest.

2932 vt autem ab hoc Hyperbolem, parabolam, & ellipsim Archimedes secaret, varios conos excogitauit: sed melius Appolonius, ab vno eodemquè cono illas sectiones mutuatus est.

CYLINDRVS.

11.d.11. 2933 Cylindrus eſt, quod fit conuerſione parallelogrammi rectanguli manente altero latere.

GEODAESIA.

2934 Geodaeſia eſt, quae menſuras rebus materialibus accommodat: nec enim vt ait Proclus Geodaeſiae munus eſt, vt cylindrum, aut conum metiatur: ſed rerum materialium aceruos, tanquàm conos, & puteos tanquàm cylindros.

Procl. lib. 1. in Eucl. cap. 13.

GEODAESIAE DIVISIO.

2935 diuiditur autem in duas principes partes, quarum altera figurarum internam quantitatem, altera verò diſtantias metitur.

FIGVRARVM INTERNAE QVANTITATIS GEODAESIAE DIVISIO.

2936 rurſus & prima pars bifariàm quoquè ſecatur, ſi quidem altera Geometriae, altera Stereometriae reſpondet.

GEODAESIA GEOMETRIAE RESPONDENS.

2937 et quae Geometriae reſpondet in tot etiam particulas ſecatur quot ſunt figurae Geometricae: nos verò nonnullas tantùm expendemus.

GEODAESIA TRIANGVLI.

2938 in triangulis aequicruribus linea à puncto verticali ad baſim protracta, ſi ducatur in dimidium baſis aream trianguli dabit.

2939 in qua re illud pulchrum adnotauit Proclus, quòd duobus aequicruribus triangulis exiſtentibus, quorum vtrũquè aequalia latera quinquè vnitatum habeat: baſium autem alteram quidem octo, alteram verò ſex, horum ſanè qui Geometriae quidem ignarus eſt, maius dixerit illud, quod baſim octo vnitatum habet; totús enim ambitus octodecim erit, Geometricus autem vir dixerit, quod vtriuſquè area duodecim eſt, haecquè demonſtrabit perpendicularem in vtroquè triangulo à vertice ducens, hancquè cum altera parte ſegmentorum baſis multiplicans.

lib. 3. in Euc. prop. 4. com. 8.

2940 in obtuſiangulis verò triangulis protrahatur primò baſis obtuſi anguli, donec à vertice in baſim perpẽdicularis

duci

duci queat, deinceps protractae basis spatium reperiatur quod quidem sic habebimus, vt quadrata laterum, quae sunt circa obtusum angulum simul sumpta, à quadrato alterius lateris, quod obtuso angulo subtenditur, detrahamus, & quod reliquum fuerit, diuidemus per duplum primae basis, ex hac enim diuisione prouenit linea, quã quaerimus.

2941 vt autem praeterea trianguli obtusianguli aream habeamus, secetur vtraquè basis simul composita in dimidio, atq; ab hoc dimidio ducatur recta, donec aequetur perpendiculari supra basim, compleaturquè ex istis duabus rectis parallelogrammum, iam dico hoc ambobus triangulis esse aequale.

2942 eadem ratione inuenietur area alterius trianguli additi, cum & in eo angulus rectus fit.

2943 cuius spatium si demamus iam relinquitur area trianguli obtusianguli.

2944 in acutiangulis lineae, quae à vertice ad basim cadit mẽsuram prius certò habeamus, quam ni fallor sic venabimur, si maioris basis partis quadratum à quadrato lateris maioris minoris trianguli detrahemus; quadratum enim quod relinquitur quadrato lineae à vertice ad basim cadente est aequale, & proinde radix radici.

2945 hanc autem si in dimidium totius basis acutianguli trianguli ducemus, spatium totius trianguli proueniet.

2946 si recta verò est à vertice trianguli ad datum in basi punctum, & parallela sit à medio basis in latus recta à vertice parallelae in dictum punctum bisecabit triangulum, cuius sanè propositionis permagna est vtilitas, si quidem saepius inter cohaeredes puteus, fons, arbor, & similia sic bisecari debent. Iordanus 21.p.1.li.

2947 est autem trianguli cuiuscũquè Geodaesia generalis vna apud Heronem laterum additione, subductione, multiplicatione, & quadrati lateris inuentione hoc modo, vt si latera trianguli collecta sint 24. dimidium 12. vnde subductis lateribus 6. 8. 10. reliqua sunt 6. 4. 2. iam fac continuè primò 72. è 12. & 6. secundò 288. è 72. & 4. tertiò 576. è 288. & 2. latus continuè facti est 24. area

trianguli, huius autem Theorematis caussa valde difficilis est.

GEODAESIA MVLTIANGVLI ORDINATI.

2948 planus è perpendiculari à centro in latus, & dimidio perimetri est area multianguli ordinati, nã (exẽpli gratia) de quinque triangulis in quinquangulo planus è perpendiculari, & dimidio basis est vnum, quintuplex igitur facit totum.

GEODAESIA CIRCVLI.

2949 peripheria est tripla Diametri, & ferè sesquiseptima, quae quidem ratio vt apud Heronem est Euclidi, & antiquis Geometris nota fuit: quòd enim tripla sit sex radij, id est tres Diametri indicant, quibus peripheria est circumscripta, & ideo continens maior: sed excessus non planè est sesquiseptima, longè tamen maior quàm sesquioctaua: itaquè quia differentia vicinior erat sesquiseptima, ipsa assumpta est, vero quippè propinquum pro ipso vero.

2950 planus è radio, & peripheriae dimidio est area circuli.

2951 vt quatuordecim ad vndecim, sic quadratum Diametri ad circulum, pro cuius rei inuentione tres proportionis termini dantur potestate, quartus multiplicatione tertij per secundum, & facti diuisione per primum inuenitur, vt sit quadratum è Diametro 14. 196. quo per 11. multiplicato factus 2152. diuidatur per 14. quotus erit 154. pro quaesito circulo, quod è dimensis quadrato, & circulo per analysim nascitur.

COROLLARIVM DE QVADRATVRA CIRCVLI.

2952 atquè hinc circuli Tetragonismus Euclidis est apud Heronem hoc modo propositus, si de quadrato Diametri tollantur $\frac{3}{14}$ relinquitur area circuli, vt ter 14. desumpta à 196. relinquunt 154. quadratum aequale circulo.

ΕΠΓΑ.

2953 planus è radio, & peripheriae quadrante est area semicirculi.

Geodaesia

GEODAESIA STEREOMETRIAE RESPONDENS.

2954 Geodaesia Stereometriae respondens est, quae solida corpora metitur.

GEODAESIA PYRAMIDIS.

2955 Pyramidis basis in altitudinis triens ducta efficit totam soliditatem pyramidis, quod ex eo euenit, quia basis in totam altitudinem ducta prisma producit, prismatis verò tertia pars pyramis.

GEODAESIA SPHAERAE.

2956 Sphaerae habent triplicatam rationem Diametrorum: si enim circuli sunt, vt à diametris quadrata, cũ Sphaerae sint triplicis dimensionis habent rationem diametrorũ triplicatam.

2957 quantus verò sit vsus propositionis huius Astronomia insigne exemplum suppeditat de differentia Solis & Terrae: nã cum Ptolomaeus Diametros Solis, & Terrae deprehendisset esse vt 11. ad 2. ex triplicata ratione Sphaerarum reperit rationem Solis ad Terram esse 331. ad 8.

GEODAESIA QVAE DISTANTIAS METITVR.

2958 Geodaesia quae interualla metitur rudis (vt & caeterae res) primò fuit: Thales enim Milesius per vmbras mensurarum, dum Sol quadragesimum quintum supra Orizontem gradum tangeret, altitudines corporum rimatus est. Vegetius lib. 10. cap. 30.

2959 deinceps in vno quoquè supra Orizontẽ gradu, ex mensurae, & corporis mensurabilis vmbris, proportionabiliter altitudinem corporum veteres sunt metiti. Plutarc. in symposio sapientum

2960 postremò mathematico modo exactius rem discusserunt duasquè excogitarunt vias, quarum altera per triangulũ altera verò per quartam circuli partem perficitur.

GEODAESIA INTERVALLORVM. PER TRIANGVLVM.

2961 Geodaesia per triangulum perficitur ex instrumento perantiquo, quod vulgo baculus Iacob dicitur tanquàm à Sancto Patriarcha illo iam olim inuentus sit, Archimedes in arenae numero simile quidpiam notauit, & Hip-

parchus instrumento non absimili ausus est rem etiam Dijs improbam, annumerare posteris stellas, & sidera velut ad normam expangere, & sanè radius non solum metiendis terris: sed astris loco, & ordine definiendis, omnibusquè regionibus, ac vijs describendis vsurpatur, & sic vtrumque vsum Virgilius eleganter expresit.

„ ecquis fuit alter

Eglo. 3. „ Descripsit radio totum qui gentibus orbem.

& „ coeliquè meatus

6. Aeneid. „ Describent radio, & surgentia sidera dicent.

2962 hoc autem instrumento possumus primò metiri, vel lõgitudinem, vel latitudinem.

2963 longitudo autem, & altitudo triplicem mensuram habent, primam, & secundam vnius distantiae, tertiam autem duplicis distantiae.

GEODAESIA LONGITVDINIS PER BACVLVM IACOB.

2964 si visus sit ab initio indicis recti in metam longitudinis, erit vt segmentum indicis ad segmentum transuersarij, sic mensoris altitudo ad longitudinem, atquè hoc modo poteris metiri latitudines fluminum, vallium, fossarum, in mari nauium distantiam, & similia. (Euclid. in opticis)

2965 longitudinis secunda dimensio sic est, si cuius sit ab initio indicis paralleli, erit vt segmentum transuersarij ad segmentum indicis, sic data altitudo ad longitudinem.

2966 tertia superest dimensio per duplicem distantiam, in qua si visus sit ab initio transuersarij paralleli, erit vt in indice differentia maioris segmenti ad minus, sic differentia secundae distantiae ad longitudinem.

GEODAESIA ALTITVDINIS PER BACVLVM IACOB.

2967 adhuc dimensio fuit longitudinis triplex prima, & secunda è data altitudine, tertia è distantia duplici, sequitur altitudinis dimensio item similis triplex.

2968 prima altitudinis Geodaesia sic est, si visus sit ab initio transuersarij recti, erit vt segmentum transuersarij ad segmentum indicis, sic data longitudo ad altitudinem. (prop. 8. 2. op. Eucl.)

2969 si verò visus sit ab initio indicis paralleli erit vt segmentum

tùm transuersarij ad segmentum indicis, sic data longitudo ad altitudinem, atquè hoc Theorema valde confert ad dimensionem putei, rupis, turris, & similium. prop. 20. 2.op.Eucl.

2970 secunda altitudinis dimensio est quando visus est ab initio indicis recti: tùm enim vt segmentum indicis ad segmentum transuersarij, sic data longitudo ad altitudinẽ.

COROLLARIVM.

2971 Hinc de altitudinis nota parte consectarium est, ob quod & reliquum cognosci potest: si enim visus sit ab initio indicis recti per pinnas transuersarij, in terminos notae partis, erit vt interuallum pinnarum ad reliquum transuersarij, sic nota pars ad reliquam.

Ε Ρ Γ Α.

2972 sequitur tertia dimensio altitudinis, in qua per duplicẽ distantiam mensuratur latitudo, id est transuersa linea recta, in qua si visus sit ab initio indicis recti per pinnas transuersarij in terminos latitudinis erit, vt in indice differentia segmenti ad differentiam distantiae, sic interuallum pinnarum ad latitudinem.

2973 atqui è distantia duorum locorum, idest è latitudine, vt arborum, montium, vrbium, magna Geographis, & Chorographis adiumenta comparantur, quamobrem Geodaesia rectarum linearum eiusmodi est in lõgitudine, altitudine, latitudine. vnde Pictor, Architectus, Cosmographus loci cuiuslibet insignis, fenestras, statuas, pyramides, signa, deniquè longitudinem, & altitudinem dimensione simplici, aut duplici, latitudinem tantùm duplici, id est locorum omnium naturam, Symmetriamquè perspiciet.

INTERVALLORVM GEODAESIA PER BACVLVM SIMPLICEM, QVAE ANTEDICTAE PRORSVS SIMILIS EST.

2974 possumus & etiam metiri interualla per baculum simplicem, si primò rectissimus baculus erigatur orthogonaliter super dato, & circumposito plano, quod rectos cum altitudine data faciat angulos, praeterea demisso in terrã oculo recedamus, vel accedamus ad ipsum baculum, Orontius de praxi Geometr. c. x. l. 1.

donec

donec verticem, aut supremum ipsius rei mensurandae fastigium per eleuatum eiusdem baculi terminum rectissimè conspexerimus, quo facto metiamur postremò spatium inter oculum, & pedem baculi, eisdem quippe mésuris, aut partibus, in quas praefatum baculum distribuimus: nam quam rationem habebit ipse baculus ad idem interuallum, eandem habebit altitudo proposita ad plani longitudinem, quae sit futura inter oculum suum, & basim eiusdem altitudinis.

GEODAESIA INTERVALLORVM PER QVADRANTEM.

2975 sequitur Geodaesia per quadrantem, & per quadratum Geometricum, si quidem vtraquè eodẽ modo procedit.

ILLIVS DIVISIO.

2976 quae quidem duplex est, si quidem altera corpora ex alijs rebus, altera verò corpora ex se ipsis metitur.

2977 et quae ex alijs rebus corporum quantitatem rimatur, vel ex vmbris, vel ex radijs visualibus procedit.

GEODAESIA INTERVALLORVM PER QVADRANTEM EX VMBRARVM RATIONE.

2978 ex rectis itaquè vmbris officio quadrati Geometrici in circuli quadrante descripti rerum erectarum ita perquiras altitudinem, obijcias primò Soli radianti sinistrum latus, & laeuum ipsius quadrantis pinnacidiũ, quo facto consideretur contactus ipsius fili: nam si filum inciderit in sinistrum latus (quod euenire solet, quoties altitudo solaris non excedet 45. gradus) tùm vmbra maior erit vmbrosi longitudine, & in ea ratione, qua se habet totũ latus quadrati ad ipsas partes filo comprehensas.

2979 quòd si filum perpendiculi ceciderit in vtriusquè lateris intermedium: tùm omnis vmbra proprio aequatur vmbroso, id autem fit quoties altitudo Solis est praecise 45. graduum metienda itaquè solum est vmbra, & proposita colligetur altitudo.

2980 si autem idem filum inciderit in alterum latus, tũ vmbra erit vmbroso, siue rei altitudine minor, in ea quippe ratione, quã partes filo interceptae habent ad totũ latus.

Geodaesia

GEODAESIA INTERVALLORVM PER QVADRANTEM EX RADIIS VISVALIBVS.

2981 possumus etiam absquè vmbris per radios visuales rerum altitudines metiri eadem ferè seruata ratione, quae superius in vmbris dicta fuit:

2982 Additur solum hoc, quod demittendum est ab inspectore oculo in terram paratum ad hoc perpendiculum filo colligatum, cui pars ipsius retrorsum adiungenda est in ea quippe sumpta ratione, quam habent partes quadrantis interceptae ad totum latus.

GEODAESIA INTERVALLORVM PER QVADRANTEM ABSQVE VMBRIS ET RADIIS VISVALIBVS.

2983 metimur autem etiam per quadrantem absque vmbris, & radijs visualibus per ea, quae dicta sunt ab Euclide in quarta propositione sexti elementorum.

INTERVALLORVM GEODAESIA PER VVLGAREM GNOMONEM.

2984 et per gnomonem etiam simplicem ita metiri possumus, detur recta, cuius desideres habere longitudinem, ponatur itaquè prius gnomonis angulus supra baculum, & conuertatur alterum gnomonis latus vsquequò incidens radius visualis pertingat terminum lineae mensurandae, ex quibus duo triangula iam constituuntur, in quibus quae proportio erit baculi ad minimum minoris trianguli latus, eandem seruabit data linea mensuranda ad baculum.

2985 atquè iste modus mensurandi emanat è vigesima sexta primi elementorum Euclidis, quam quidem propositionem Eudemus in Geometricis ennarationibus ad Thaletem refert, asseritquè hac nauigiorum, quae in mari sunt distantiam metitum esse. Procl. ibi

2986 nequè etiam dubitandum est hunc modum ad quadrantem referri.

GEODAESIA INTERVALLORVM PER SPECVLVM.

2987 possumus etiam & per radium visualem à speculo reflexũ hunc

hunc in modum metiri, si posito speculo super terrestri plano, ab eo tamdiu accedamus, vel recedamus, quousq; rei mensurandae verticem in eodem intueamur speculo, post quae demittenda est perpendicularis ab inspectore oculo in ipsum terrestre planum, tùm enim quam rationem habebit interuallum, quod inter eandem perpendicularem, & centrum intercipitur speculi ad longitudinē ipsius perpendicularis, eam obseruabit, & longitudo plani inter ipsum speculum, & basim rei metiendae comprehensa ad datam altitudinem.

PERSPECTIVA,

2988 perspectiuae opus in eo versatur, vt in locis planis, tabulisquè suppositis, omnes formas, & figuras visibiles demonstret, atquè ita prae oculis ponat, vti positio, situs, earumquè interuallum postulare videtur: quamobrem considerabit perspectiuus id, quod videt, rem visam, modumquè videndi.

ID QVOD VIDET,
NEMPE OCVLVS.

2989 id quod autem videt oculus est, qui centrum punctum, signumquè à perspectiuis appellatur, principium, & fundamentum totius peritiae, quare generalis eius denominatio ad oculum refertur, cum à Graecis optica, à Latinis àutem prospectus fuerit appellata.

2990 cum autem oculus organum virtutis visiuae deberet esse, proinde Sphaericus fuit: sed cur nam parentis naturae sagax, ac prouida cura orbiculares contribuit oculos? gētilis quidem Auicennae interpres esse oculum circumacta, globataquè prodit figura, quià inter omnes haec praecipuè impedimenta, & quicquid se ingerat noxium reclinare potest.

Caelius Rhod. lib. 16. lec. antiquarum

2991 Mathematici solertius re perpensa oculum non suffecturum quantitati capiendae colligunt, si non sit rotundus, quippe si pupilla, per quam immutatur non esset Sphaerica non perciperet nisi aequale sibi, liquet verò id; quoniam visum perfici contingit per lineas rectas super eum orientes perpendiculariter, quarum cōcursus sit in oculi centro: in Sphaerica namquè figura illa est perpendicularis

Vitellio theor. 3. l. 3. opticae. Alahazen. 35. n. 1.

cularis linea, quae ad centrum tendit, proinde cum orbicularis sit oculus, à quaecunque parte occursent radij, vbi oculo insinuentur, diriguntur ad centrum pupillae.

1992 quòd si esset superficiei planae non ingererent se perpẽdiculares, nisi à superficie aequali: nequè enim in hac vna quaequè perpendicularis linea tendit ad centrum: sed aliqua solum.

1993 sed quo pacto dictum est radios visuales in oculi centro concurrere? si enim hoc verum esset radij in centro concurrentes, & vlterius procedentes in centro se secarent, & proinde dextra apparerent sinistra, & è conuerso, proinde diaphaneitatis diuersitatem natura posuit in oculo, vt refrangerentur radij, & per consequens in centro minimè concurrent? an quia radij refracti, non penitus ad perpendicularem franguntur: sed perpendicularem versus? & propterea ad centrum tendere possunt, licet id nõ tangant, nequè in eo se secent. Vittell. li. 3. the. 8.

1994 atquè hinc rectè dictum est, non sub quocunque angulo res sensibiles videri: non enim sub angulo acutissimo, id est angulo contingentiae, quia iste angulus (vt Euclides testatur) est indiuisibilis: angulus autem sub quo videtur aliquid, est diuisibilis per axem. Vittell. li. 4. the. 3. in 3. elem.

1995 maximus autem angulorum, sub quo fit visio, est minor recto, licet non multũ: diameter enim foraminis vueae, est quasi aequalis lateri cubi inscriptibilis Sphaerae eius, vel lateri quadrati inscriptibilis circulo magno illius Sphaerae, cui quidem lateri semper subtenditur angulus rectus, si ergo visio fieret per lineas radiales ad centrum vueae declinantes, tùm maximus angulus secundùm quẽ fieret visio esset quasi angulus rectus solidus: sed visio fit per lineas declinantes ad centrum visus, quod est remotius in profundo, quàm centrum vueae, maior ergo angulus secundum quem fit visio, est minor recto. Vittell. li. 4. the. 3.

1996 non multum autem minor, quia illorum centrorum, Sphaerae scilicet vueae, & oculi non est magna distantia.

COROLLARIA.

1997 hinc & si aliquis stet in campo plano erectus, & aperiat oculum, vt amplius potest, tunc videbit quasi quartam

circuli Sphaerae coeleſtis.

2998 patet quoquè nos à rebus viſibilibus (vt eas rectè perſpiciamus) adeo remoueri debere, vt angulos obtuſos, & rectos linearum ab oculo ad rem viſam prodeuntium, & linearum ſuper plano Orizontis erectarum euitemus.

2999 patet demùm viſionem fieri ſub curta pyramide, & angulo inchoato.

ΕΡΓΑ.

RES VISA, ET EIVS DIVISIO.

3000 res viſa, vel eſt per ſe viſibilis, vel per accidens.

3001 per ſe viſibile duplex eſt, lux nempè, & color.

3002 per accidens vero viſibilia ſunt remotio, magnitudo, ſitus, corporeitas, figura, continuitas, ſeparatio, vel diuiſio, numerus, motus, quies, aſperitas, lenitas, diaphaneitas, denſitas, vmbra, obſcuritas, pulchritudo, deformitas, conſimilitudo, & diuerſitas.

Vittel. in petitionibus.3.libri

3003 in quarum numero vna quaequè malè poteſt percipi, in viſione, ob malam diſpoſitionem octo circumſtantiarũ cuiuſlibet rei viſae, quarum prima eſt debilis lux, ſecunda nimia diſtantia, tertia mala ſitus diſpoſitio, cũ nempè vna res locatur poſt aliam, quarta praua quantitatis diſpoſitio, cum nempè minor primo loco apparet, ſecũdo autem maior, quinta intemperata corporum ſoliditas, cum nempè aliquid viſibile eſt in vitro, ſexta diaphaneitatis intemperies, ſeptima intuitionis paruum tempus, octaua, & vltima organum malè diſpoſitum.

Vittel lib. 4. the. 16.

3004 quod autem diximus vniuerſaliter, & in vna quaquè rerum viſibilium ſingulatim locum habet, vnico autem exemplo nos rem communem omnibus patefaciemus, in pulchritudinis igitur, & deformitatis viſione virtuti diſtinctiuae error accidit ex intẽperata diſpoſitione octo circumſtantiarum cuiuſlibet rei viſae, ex paruitate, namquè lucis error accidit viſioni pulchritudinis, & deformitatis: noctis enim tempore videbitur facies formoſa, licet in ea ſint maculae.

Vittel.lib. 4.the.150. Alhazen 32.n. 3.

COROLLARIVM.

3005 hinc & rectè dicebat Ariſtophanes meretricum Solem lucernam eſſe.

et ſi

ΕΡΓΑ.

3006 et si fuerint in re visa picturae subtiles rem perfectius decorantes, cum illae in nocte visum lateant, res visa videbitur deformis.

3007 Remotio etiam excedens modum est caussa erroris in pulchritudine, & deformitate: cum enim longè conspicitur res aliqua, si fuerint in ea maculae paruae ipsam deformantes, illas ex distantia accidit occultari, & iudicabitur res formosa, & si à magna distantia videatur res in qua sint picturae minutae, in quibus consistit pulchritudo illius rei, illa res iudicabitur deformis: quoniam virtus distinctiua iudicat res secundùm quod apparent.

3008 ex inordinata quoquè situs oppositione accidit error: cum enim corpus aliquod remotum fuerit ab axe visuali: tùm nonnunquàm maculae minutae occultabuntur, propter obliquationem axis visualis, & ob hoc facies lentiginosa obliquè visa videtur pulchra.

COROLLARIVM.

3009 atquè hinc accidit quòd cum luna obliquè aspicitur latent vmbrosae maculae ipsius, & tunc pulchrior videtur.

ΕΡΓΑ.

3010 si autem in corpore aliquo viso fuerint picturae subtiles rem decorantes, illae picturae obliquatae ad visum latebunt ipsum.

3011 oritur etiam error ex paruitate magnitudinis, cum propter solam sui paruitatem, aliqua minuta ipsas res visibiles deformantia, vel decorantia non videntur.

3012 nec non & ex defectu soliditatis fit error, si enim in vase vitreo multum raro sint aliquae paruae particulae ipsi decorem inferentes, & imponatur vasi illi vinum turbidum, & faeculentum, tunc illae particulae decoris caussae occultabuntur, & si vas tale deformant aliae particulae, & imponatur ei vinum clarum, & lucidum, occultabuntur illae caussae turpitudinis.

3013 ex intemperantia etiam raritatis accidit error visioni pulchritudinis, cum propter aerem obscurum, & nubilosũ caussae pulchritudinis, vel deformitatis nõ vidētur.

3014 ex temporis quoquè breuitate decipitur visus, quoniam

in paruo

in paruo tempore non ſunt comprehenſibiles minutae cauſſae pulchritudinis, vel deformitatis.

3015 ex viſus demùm debilitate eſt error in viſione pulchritudinis: minuta enim quae ſunt cauſſae pulchritudinis, vel deformitatis viſus debilis non videt.

MODVS VIDENDI.

ſup. 2. opti.

3016 fit autem viſus iuxtà Euclidem per conum, cuius vertex in oculo: baſis autem in re viſibili, at de hac re dubitant multi, ſi quidem coni baſis eſt circulus, cum tamen nos ſaepius res quadratas, & trilateras aſpiciamus: ſed rectè huic dubio ſatisfaciunt nonnulli, quòd cum oculos in rem videndam dirigimus, non modò rem ipſam videndam, verùm etiam & alia multa videmus, quae omnia ſub circuli ſpecie comprehendit oculus.

Helio.lor' lariſſaeus i copiibus opticorũ

MODI VIDENDI DIVISIO.

Vitello in proemio lib. 3.

3017 triplex autem eſt videndi modus, is nempè qui per ſimplicem viſionem fit, & is qui per refiexionem, & is qui per refractionem.

SIMPLEX VISIO.

concordia Perſpectiuorum Vitel. the. 23. & 22. ſecundi

3018 illud autem in viſione ſimplici cõtrouerſum eſt, an nempè corpora vmbroſa magis à corpore luminoſo vicino, vel remoto illuminentur: nos ſanè vtramq; partem tuebimur: magis enim ab vna parte corpus vmbroſum vicinum illuminatur: remotum autem à maiori radiorum copia.

7 hypoteſi opticorũ concordia perſpectiuorum. l 4. th. 19.

3019 illud quoquè perſcrutatione dignum videtur, nùm nempè quod aſſeruit Euclides viſa ſub eodem angulo aequalia videri, ſemper verũ ſit: experimẽtũ .n. huic hypotheſi aliquando refragari videtur: verùm in hac re optimè admodum ſatisfacit Vittello, qui ea viſa ſub aequali angulo aequalia videri aſſeruit, quorum diſtantia ad inuicem non perpenditur.

4. de nat. rerum concordia perſpectiuorum

3020 ſed contradicit nè ſibi Lucretius, qui quodam in loco de quadratis turribus ſic canit.

„ Quadrataſquè procul Turres cum cernimus vrbis
„ Propterea fit, vti videantur ſaepe rotundae
„ Angulus obtuſus quia longe cernitur omnis.

in eodem autem libro alio in loco ſic dicit.

„ Porticus

„ Porticus aequali quamuis eſt deniquè ductu,
„ Stanſquè in perpetuum paribus ſuſtulta columnis
„ Longa tamen parte ab ſumma cum tota videtur
„ Paullatim trahit anguſti faſtigia coni?

in primis enim carminibus omnem angulum obtuſum è longinquo cerni dixit, in poſterioribus verò ob diſtantiam affirmauit lineas è regione ſub angulo acuto videri: an diuerſo modo vtrumquè dixit? verum eſt etenim angulum omnem obtuſum videri, & verum quoquè lineas è regione paullatim coincidere videri.

3021 quod vtrumquè & Vitello faſſus eſt. 95. & 21. the. 4.

3022 maximum verò apud perſpectiuos dubiũ eſt, cur remotiora minora videantur, & quam ob cauſſam à nobis lõgiſsima ſpectacula, & inter ſe diſtantia videantur etiam minori diſtare ſpatio, atquè in hoc hinc & inde digladiantur: alij & praecipue Platonicorum nonnulli id ex eo putarunt eſſe, quòd rei videndae forma habeat in ſe materialem naturã: ſed inde ſpiritale ſuſcepto lumine materiam paullatim exuat, & quamuis longè propenſionem ſeruet ad materiam: amittat tamen illam deniquè, tumquè videri minorem, poſtremò penitus propria conſumpta proportione: oculis non vlterius apparere, ſicut etiã formales, & ideales rationes non apparent, quae penitus carent materia: ſed horum dicta nobis minimè ſatisfaciunt. Plotinus 1 lib. cur remotiora appareant

3023 alij verò ab obiecto viſibili per lineas radiorum pyramidales ad oculum protendi figuram, quae cono quodam pupillam tangat, putarunt, hincquè accidere vt quantò remotius ſit obiectum, tantò gradatim acutiorem effici conum, praecipuè, quando iam ad id deuenit res, vt angulus ipſe iam pupilla ſit minor, & idcirco minus videri corpus, quòd minor euaſerit coni vertex, quàm pupilla, atquè ita dicunt Mathematici, quibus tamen nos aliquo pacto refragamur.

3024 nam toto viſu conſpicitur Coeli pars, quae aſpici poteſt, quod vſquè adeo pupillam implet, vt nihil praeterea cõſpicere queamus, & tamen minor, ac verè ſit apparet.

3025 alij verò inter quos eſt Plotinus dixerunt, quòd quemad-

modum in forma substantiali perfectius, & imperfectius reperitur, sic & in forma accidentali intensius, & remissius, in quantitate maius, atque minus, in motu velocius & tardius, in tempore diuturnius, atque minus diuturnum, cum igitur ipsum maius, minusque proprium quātitatis quandam habeat cum eo proportionem, quod est intensius: & remissius qualitatis, cumq; ipsa quantitas in notitiae ordine, qualitatem sequatur, nimirum vbi visus sub remissiori gradu percipit qualitatem, interim sub minori mensura percipit quantitatem, quae dicta ni fallor disputando sustineri possunt.

VISIO PER REFLEXIONEM.

3026 Visio per reflexionem fit vbicunque formae reflectuntur à superficiebus speculorum, neque per specula corpora tantum intelligo formata, & polita per artificium: sed etiam ipsa corpora naturalia, à quorum superficiebus fit eadem reflexio, quae & à corporum artificialium superficiebus accidit.

3027 in speculis angulus incidentiae aequalis est angulo reflexionis, ex qua re nonnulla pulchra oriuntur corollaria.

Eucl. 1. th. specul. Vitel. lib. 5. the. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Ptol. 7. th. 2. catop. Vitel. 57. the. 5. Ptol. 2. catop the. 6. Vitel. 59. the. 5.

COROLLARIA.

3028 primùm est possibile esse speculum vnum planum in cubiculo proprio ita poni, vt in ipso videantur ea, quae geruntur in domo alia, vel in vicis, & plateis.

3029 secundùm possibile est speculum, ex speculis planis cōpositum construi, in quo conspiciens suam imaginem videat volantem.

3030 tertiùm possibile est in aliquo cubiculo, occlusis, fenestris parua rima pyramidis figura constructa intrà cubiculum in pariete albo è regione fenestrae respondente, conspicere quae extra cubiculum geruntur.

3031 quae licet in pariete albo in contrario situ disponantur, ac in vero loco sint, possibile est tamen ea ita in pariete albo apparere, vt sunt in proprio loco sita.

EPTA

3032 in speculis etiam dextra apparent sinistra, & sinistra dextra, eo quod in speculis imago apparet in concursu radij cum catheto, proinde altitudines in speculis directae suprapositae

praepositae, euersae apparent, & sinistra, dextraquè per mutatim opposita.

3033 rudis est itaque planè Lucretius in hac re. 4. de nat. rerum

„ Aut quia de speculo in speculum transfertur imago
„ Inde ad nos elisa bis aduolat, aut etiam quòd
„ Circumagitur, cum venit imago, propterea quòd
„ Flexa figura docet speculi conuertier ad nos.

3034 possumus tamen in speculis interdum dextras partes, à dextris perspicere, & sinistras, à sinistris, quod erit in speculis concauis, quando oculus erit extra diametrum speculi. Eucl. the. 29. & 30. catoptr. Vitel. lib. 9. the. 35.

3035 illud autem pulcherrimum est dubium cur vltra speculū videatur imago, cui rectè admodū satisfacit Lucretius. 4. de nat. rerum

„ Nunc age cur vltra speculum videatur imago
„ Percipe nam certè penitus remota videtur,
„ Quod genus illa foris, quae verè transpiciuntur
„ Ianua cum per se transpectum praebet apertum,
„ Multa facitquè foris ex aedibus, vt videantur,
„ Is quoquè enim duplici gemino fit aere visus
„ Primus enim citra postes, qui cernitur aer
„ Inde fores ipsae dextra, laeuaquè sequuntur,
„ Post extraria lux oculos pertingit, & aer
„ Alter & illa foris, quae verè transpiciuntur,
„ Sic vbi se primum speculi proiecit imago
„ Dum venit ad nostras acies procudit, agitquè
„ Aera, qui inter se cunquè est, oculosquè locatus,
„ Et facit, vt prius hunc omnem sentire queamus,
„ Quā speculū: sed vbi speculū quoq; sensimus ipsum
„ Continuò à nobis cum, quae fertur imago
„ Peruenit, & nostros oculos reiecta reuisit.

3036 sunt autē specula regularia septē, planum nempè, concauum sphaericum, pyramidale, columnare, conuexum sphaericum, pyramidale, columnare. Vitel. lib. 5 the. 10.

VISIO PER REFRACTIONEM.

3037 posset autem in primis, quoad tertium modum videndi aliquis dubitare, quo pacto ille sit distinctus modus à primo, si quidem omne, quod videtur directè, videtur etiam, & refractè, ostensum est enim superius in oculo

frangi omnes radios praeter vnum: sed facilis est huiusce dubitationis solutio si dicamus refractionem extra oculum à visione simplici esse distinctam.

3038 res visa per radios fractos extra locum suum necesse est apparere: si enim in concursu perpendicularium, & radiorum visualium apparet res visa, & hic conuersus est, extra locum rei visae, necesse est ergo rem alibi, quàm vbi sit apparere.

Vitel. 10. persp.

COROLLARIA.

3039 hinc patet possibile esse aliquid videri per radios fractos quod per directos ad oculum non pertingeret: si enim aliquid ponatur in profundo vasis mediocris altitudinis & in tantam distantiam à visu promoueatur, vt amplius apparere desinat, deinde aqua infundatur, statim oculo manifestabitur: qui enim radij propter interpositionem opaci ad oculum pertingere non poterãt, fracti possunt.

3040 hinc & patet etiam per refractionem rem visam maioreͦ apparere quàm sit, cum enim ipsa propinquior visui nostro appareat, ac verè sit, propterea & sub maiori angulo oculo praesentatur, quàm si videretur per directos radios.

ΕΡΓΑ.

3041 sed illud apud perspectiuos maximi dubij caussa semper fuit, quo pacto nempè ab illis sit dictum stellas ex refractione minores apparere quàm sint, quod sanè dubium, vt rectè declaretur sciendum est prius stellas, & media secundum naturalem dispositioneͦ considerandas esse exclusis vaporibus, & perpetua illa caussa, quòd minores circa verticem, quàm in Orizonte apparent.

Vitel. in x. persp. cóm. lib. 3 propos. 22.

3042 his praehabitis dico locum imaginis esse in conuersa perpendicularium procedentium à re visa, & radiorum visualium, cumquè iste concursus propinquior sit visui, quàm corpora stellarum, erit igitur locus imaginis, in loco propinquiori cono visualis pyramidis: sed cum iste locus minor sit ac corpus stellae, idcirco stella minor apparebit.

3043 possumus itaquè absquè contradictione tuere res per refractionem, & minores, & maiores apparere, minores quando

quando ab oculo refractio est posterior, maiores quando est prior: de nubibus verò, & de Iride in Meteorologicis agemus.

PICTVRA.

3044 Pictura est adeò perspectiuae coniuncta, vt de illa quoq; post perspectiuam non pertractare, esset quasi ipsius perspectiuae praxim silentio inuoluere.

3045 nititur & pictura quoquè radijs visualibus, quos quidem trifariàm partitur: alij enim sunt postremi, alij medij, alij centrici.

RADII POSTREMI.

3046 radij postremi sunt, ob quos totum quantitatis spatium comprehendimus, cumquè pyramidem efficiant basim habent in re picta: verticem verò pyramidis in oculo, proindè quò remotior erit quantitas radijs postremis aspicienda, eò minor etiam angulus in oculo, & proindè eò minor quantitas apparebit.

3047 quod tamen non est verum simpliciter: euenit enim aliquando nonnullas superficies, quò proximiores, eò minores apparere, quod in Sphaericis superficiebus liquet: horum autem effectuum contrariorum ratio ex eo est, quòd radij medij interdum postremi: postremi verò interdum medij fiunt.

3048 atquè primo modo rem visam minorem efficiunt, secũdo autem maiorem, quapropter possumus absquè repugnantia defendere ex maiori interuallo rem aliquando maiorem, aliquando minorem apparere.

RADII MEDII.

3049 radij medij sunt illi, qui à postremis circumdati intrà pyramidem sunt, qui coloribus adeò implentur, vt quocunque eos absciuderes eosdem colores etiam referrent. Leo Bapt. Albertus i opusc. de pictura.

COROLLARIA.

3050 atquè hinc isti radij ex longiori interuallo visum debiliorem reddunt: cùm enim colorum, atquè luminum pleni sint, accidit ob multum pondus eos deorsum ferri.

3051 et proindè dicunt pictores, tùm superficiem obscuriorem reddi.

ΕΡΓΑ.

RADIVS CENTRICVS.

3052 radius centricus est, qui tendit in eam quantitatis partem, in qua anguli ex ambabus partibus, angulis ex lateribus omninò sint aequales, atquè ex istius radij, vario situ, variatur etiam visio.

3053 nec vlla quantitas vnquam maior apparebit, quàm cum radius centricus erit in ea.

PICTVRAE PARTES.

3054 sunt autem picturae partes tres, circumscriptio nempè, ipsius loci, in quo variae sunt superficies, ex quibus pictura constat, compositio, & luminum, atquè vmbrarum receptio.

3055 in compositione à pictoribus illud quaesitũ video, quid nempè sit maius opus, colossus nempè, an historia, nos quidem illis fauemus, qui historiam maius opus asserũt.

3256 in coloribus autem albis, atq; nigris effingendis pictor maximè cauere debet, ne illos adeo albos, adeoquè nigros efficiat, vt & albiores, & nigeriores si opus fuerit nequeant fieri, nec enim Pictor alia re, quàm colore albo lucem, & splendorem imitari potest, sic & tenebras nulla alia re, quàm nigro colore prae oculis ponit.

COROLLARIVM.

3057 et proindè apud Pictores nigrum, & album non sunt veri colores.

ΕΡΓΑ.

3058 quaesitum autem est, cur inter obiecta colorata, Iridis formam sola exactè exprimi non potest: sed huiusce rei duplicem existimo caussam, quarum prima est, quod Iridis colores in substantia sunt peruia, ac diaphana, quam rem aemulari nulla potest ars, quae terrestri materiae colores appingit, altera est, quòd Iridis colores à similibus adeò auspicantur, vt indiscreti videantur colores, qui tamen desinant in diuersissima, quod & Ouidius his carminibus testatur.

„ Qualis ab imbre solet percussis solibus arcus
„ Inficere ingenti longum curuamine coelum
„ In quo diuersi niteant, cum mille colores

„ Transitus

„ Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit.

STATVARIA:

3059 sequitur statuaria ipsius picturae germana quaedã, quae statuaria à statu appellata creditur.

3060 soletquè à diuersis perquiri vtra harum nobilior, nos diuersis rationibus vtramquè nobiliorem indicabimus.

STATVARIAE PARTES.

3061 sunt autem statuariae partes principes Anaglyphice, & Diaglyphice.

ANAGLYPHICE.

3062 porrò Anaglyphicem intelligimus, cum ita exculpsimus vt promineant imagines.

ANAGLYPHICES PARTES.

3063 sunt autem Anaglyphices partes quinque iuxta rationes subiectae materiae, si quidem lignorum, vel eboris elaboratrix Tomice nuncupatur, ex quo & artifices id genus à quibusdam dicti disectores.

3064 quae argillam tractat plastice vocari solet

3065 at quae gyphem paradigmatice: quoniam ab typis non abscedit. gypsochios sunt, qui dicent ipsos artifices.

3066 quae lapides scalpit, colaptice nomen habet, seu scalptura lithoxoos appellant hosce.

3067 postremò quae cum metallis contrahit glyphice est cuius ratio duplex: nam si adhibeatur caera, deductionis ratione agogice vocatur, ab fundendi autem augumento chetnicem alteram dixere. Caelius Rod. lib. 29. c. 14.

DIAGLYPHICE.

3068 Diaglyphice est, quae ad impressuram spectat, in qua sanè illud prae omnibus admirabile accidit, vt dum videmus non operemur, dum operamur non videamus.

DIAGLYPHICE PARTES.

3069 huius autem tres fuerunt partes, encolaptice nempè, torectiue, & encaustice.

3070 encolaptice laminas caelando confirmat.

3071 sicut vasa, fibulas, candelabra, & id genus plura torectice.

3072 encaustice vel inastoria argentum aes, vitrum expingit, vnde encaustum dicere vulgò smaltum possumus.

ASTRONOMIA.

3073 verùm iam de Aſtronomia pertractemus, in qua quatuor principes opiniones ſunt rimandae:

ASTRONOMIA IVXTA PLACITA SELEVCI MATHEMATICI, ET NICOLAI COPERNICI.

3074 et in primis occurrunt Seleucius Mathematicus, nõnulliquè è pythagoraeorum grege, & demum è recentioribus Nicolaus Copernicus, qui Solem in centro collocãtes vltimum coelum ſemper quietum: at Terram perpetuò motam in mundi medio repoſuerunt, quas hypotheſes licet valdè admirabiles, nonnullis tamen veriſimilibus rationibus confirmant.

3075 quòd enim omnium reuolutionum terram centrum non ſit, motus errantium inaequalis apparens, & variabiles earum à terra diſtantiae declarare videntur, quae in homocentro terrae circulo non poſſunt intelligi.

Coper. lib. 1. cap. 9.

3076 cumquè coelum ſit, quod continet, & caelat omnia communis vniuerſorum locus, non ſtatim apparet, cur non magis contento, quam continenti, locato, quàm locanti motus attribui debeat.

cap. 5. l. 1.

3077 in medio verò omnium reſidet Sol, quis enim in hoc pulcherrimo templo lampadem hanc in alio vel meliori loco poneret, quàm vnde totum ſimul poſſet illuminare? ſi quidem non ineptè quidam lucernam mundi, alij mentem, alij rectorem vocant.

cap. 10. l. 1.

3078 et proindè minimè contemnendum arbitratur Copernicus, quod Martianus Capella in Aſtronomia ſua ſcripſit, quòd nempè Venus, & Mercurius circumcurrant Solem in medio exiſtentem, & eam ob cauſſam ab eo nõ vlteriuś digredi, quàm ſuorum conuexitas orbium patiatur, quid enim aliud voluit ſignificare, quàm circa Solem eſſe centrum illorum orbium?

3079 ordo itaquè Sphaerarum iuxtà opinionem iſtorum eſt hunc in modum, prima, & ſuprema omnium eſt ſtellarũ fixarum Sphaera, ſe ipſam & omnia continens, ideoquè immobilis, nempè vniuerſi locus ad quem motus, & poſitio caeterorum omnium ſiderum conferatur: nã quòd aliquo

aliquo modo illam etiam mutari existimant. caeteri, ipsi cur ita appareat in deductione motus terrestris asignãt caussam.

3080 sequitur errantium primus Saturnus, qui trigesimo anno suum complet circuitum, post hunc Iupiter duodecennali reuolutione mobilis, deinde Mars, qui biennio circuit, quartum in ordine annua reuolutio locum obtinet, in quo terram cum orbe lunari tanquam Epicyclo contineri dicunt, quintò loco Venus vno mense reducitur, sextum deniq; locum Mercurius tenet octuaginta dierũ spatio circumcurrens, in medio verò omniũ residet Sol.

TRIPLEX MOTVS TELLVRIS.

3081 primùm itaquè dicunt νυχθήμινον à Graecis vocatum, diei nempè, noctisq; circuitum proprium, circa axem telluris ab occasu in ortum vergi, prout in diuersum mũdus ferri putatur, aequinoctialem circulum describendo quem nonnulli aequidialem dicunt, imitantes significationem Graecorum apud quos ἰσημερινὸς vocatur. Copernicus lib. 1. cap. 11.

3082 secundus est motus centri annuus, qui circulum signorũ describit circum Solem ab occasu in ortum, quo fit, vt ipse Sol simili motu Zodiacum pertransire videatur.

3083 ad hunc motum, qui per medium signorum est, & eius superficiem oportet intelligi aequinoctialem circulum, & axem terrae conuertibilem habere inclinationẽ, quoniam si fixi manerent, & non nisi centri motum simpliciter sequetentur, nulla appareret dierum, & noctium inaequalitas: sed semper vel Solstitium, vel bruma, vel aequinoctium, vel aestas, vel hyems, vel vtrunquè eadem temporis qualitas maneret sui similis.

3084 sequitur ergo tertius declinationis motus annua quoq; reuolutione: sed in praecedentia hoc est contrà motum centri reflectens, sicquè ambobus inuicem aequalibus ferè, & obuijs mutuò, euenit, vt axis terrae, & in ipsa maximus parallelorum aequinoctialis in eandem ferè mundi partem spectent, perinde ac si immobiles permanerẽt.

3085 atq; ex his egregiè sanè omnia phaenomena tuentur.

HORVM EXPVGNATIO.

3086 quòd autẽ isti Solem in medio collocant à Pythagoraeis

sumpsisse

Arist. 2. de coelo

sumpsisse videntur, qui non oportere terram: sed ignem in medio esse dixerunt: nobilissimo enim corpori debetur natura nobilissimus locus, quibus si addas nobilissimum locum medium esse, quoandoquidem Sphaerae terminus est, concludes in prima figura ad Solem ipsum medium pertinere: sed longè aliter se se res habet: nam quemadmodum in animalibus aliud est medium magnitudinis, puta vmbilicus, aliud rei ipsius medium, cuiusmodi est cor, simili pacto de vniuerso dicendum.

3087 centrum enim etsi magnitudinis medium est, non tamē dixeris vt opinor rei medium esse, ergo mediū rei quaerendum erat, quippe quod principium dici debet, cuiusmodi coelum est, cuius proprium est, continere, ac definire, non contineri, ac definiri quemadmodum centro euenit, quod & potius simile est, in quod res definit, quā vnde principium sibi sumit, contineri enim, & definiri materiam spectat: contra verò formam definire, & continere, at forma longè potior, quàm materia est, quò fit vt medium rei longè melius, quàm medium magnitudinis existimandum sit.

3088 propterea concludere possumus, Pythagoricos ineptè asseruisse totius centrum ex eo Iouis custodiam dici debere, quòd illic ignis seu vt alij dicunt Sol tanquàm in nobilissimo loco adseruetur.

3089 atquè si in orbē terra moueretur, vt isti dicunt, violentia sic moueri necesse esset, argumento, quòd nec terrae particulae secundum naturam in orbem feruntur: mouentur enim omnes in rectum, eadem verò totius, & partis motio est: quò enim gleba secundum naturam fertur, illuc & totam terram ferri necesse est.

3090 quòd autē terra eo modo non possit moueri, quò ignis in propria Sphaera inferius commodiori loco demonstrabitur.

PAPEPTA, IN QVIBVS DECLARATVR PLATONIS, PYTHAGORICORVM QVE SENTENTIA DE TERRAE MOTIONE.

3091 sed forsan operaepraetium erit antequā caetera aggrediamur

diamur Pythagoreorum, ac Platonis sententiam declarare: nam & Aristoteles etiam (quod pace sit dictum tāti viri) nimis agit in eos dissimulanter, Pythagorici igitur, ac Plato putauerunt, terram in totius medio statutam esse, atque hanc omnino manere, quod tùm ex Phaedro percipi potest (in Deorum inquit aede sola manet Vesta terram intelligens) tùm ex Platonis Timaeo, terram (ait) alumnam nostram, circa axem per vniuersum protentum, alligatam, diei, ac noctis effectricem, custodemquè esse voluit, alligatam dixit, non quae circumferretur, queádmodū interpretatur iniquè Aristoteles. 2. de coelo lxij. concordia.

3092 et in eodem Timaeo figuram cubicam terrae tribuit, quippè quae ineptissima sit ad motum.

3093 Terram autem stellae nomine dignati sunt, quoniam & ipsa temporis instrumentum est: nam diem ac noctem efficit, quemadmodum etiam Plato asserit, noctem quidem propter conum, qui ab ipsius vmbra fit, diem verò quatenus à Sole illustratur. concordia Pythagoricorū cū Peripatet.

3094 dixerunt etiam esse, & aliam terram huic oppositam, Lunam intelligentes: nam Lunam terram coelestem putauerunt, tùm quoniam terrae instar varijs maculis suffusa est, ac luminis natura indigens, tùm quoniam coelestis luminis defectus, propter Lunae, ac terrae obiectionem, nobis eueniunt, tùm quoniam inter duodecim vniuersi partes terra, Luna, ac firmamentum, quasi tres terrae connumerantur.

3095 sed ambigat quispiam quomodo dictum sit Pythagoricos velle in totius medio terram esse, quando ignem ibi esse clara voce testantur, an Pythagorici adstruentes ignē in medio esse, intelligunt vim principis animae viuificā, eiusquè vehiculum, qui ignis dicitur in medio vigere, quasi à medio totius vita auspicetur? quapropter id ipsū Iouis Turrim, custodiam, ac Solium appellauere, Iupiter enim mundi animam significat, cuius beneficio viuunt etiam quaecunque propria anima praedita sunt.

3096 cum quibus & Plato etiam sentit, quando dixit, mundi opificem cùm animam in mundi medio posuisset, per totum extendisse: non esse enim hoc medium centrum, in Timaeo

quem-

quemadmodum credit Syrianus (centrum enim magnitudinis medium est) sed potius firmamentum, rei quidẽ ac naturae medium; huic autem ab anima primò vitam tributam esse, quod & Plato asserere videtur, dum affirmat ignem, id est coelum primò à Deo creatum esse.

3097 sed quid erit tandem, si & cum Syriano mundi medium centrum intelligamus? non enim intellexit, vt etiam animaduertit idem Syrianus animam centro vitam primò tribuere: nam paullò ante dixit, opificem ipsum mentem quidem animae, animam verò corpori dedisse significans, id quod est praestantius, semper deterius antecedere: sed quemadmodum ipse mundi corpus prius quàm animam constituit, sequutus ea, quae sensuum sunt sic quoquè praeposterè ab externis incipiens primo quidem medio, deinde toti animam adcommodat.

3098 possumus etiam & id tueri, quod Porphyrio placet, medium nempè in hoc loco, nequè corpus, nequè interuallum significare: sed potius mundanae animae ingenium, quae quidem rerum media sit; inter intelligibile, sensibileque constituta.

ΕΡΓΑ.

3099 praeterea si omnia naturalia corpora principium motionis, principiumquè quietis habent interius (firmamentum autem natura constat) quomodo id per se mobile non erit.

3100 atquè cum corpus duplicem habeat actionem, vnã quidem secundùm proprietatem corporis, vt scilicet agat per motum (hoc enim est proprium corporis, vt motum moueat, & agat) aliam autem vt participat aliquid ab incorporeis, quae quidem actio non est ad transmutationem materiae: sed ad quandam diffusionem similitudinis formae in medio secundum similitudinem spiritalis intentionis, quo quidem modo Sol illuminat aerem, & color speciem suam multiplicat in medio, cumquè vterquè modus actionis in istis inferioribus efficiatur ex corporibus coelestibus: nam & ignis suo calore trãsmutat materiam ex virtute corporis coelestis, & corpora visibilia multiplicant, suas species in medio virtute luminis,

D. Thom. in quaest. de potent. Dei quęst. v.

luminis, cuius fons est in coelesti corpore, quis non videat actionē vtraquē corporis coelestis cessante, nullam actionem in istis inferioribus remanere posse.

3101 et proindè quis non videat cessante motu primi coeli, & primam saltem actionem, & in inferioribus cessari necessariò debere.

3102 postremò si motus primi coeli non esset: vnde nam haberemus motum eiusdem? cum tamen quaecunque sunt in inferiori mundo eiusdem, alteriusquè motu egeant: motus enim diuersi, id est orbium erraticorum, generationem, corruptionemquè absoluit: ex motu verò eiusdem firmamenti nempè generatio, corruptioquè perennitatem consequuntur.

3103 quod ab Aristotele minimè discrepat, si quidem ait verisimile quoquè est ex his nonnulla magis participare naturam primi motus, & eiusdem nonnulla secundi, & diuersi. lxiij. concordia. in fine 2. de gener.

COROLLARIA.

3104 atquè sic forsan Pythagoricos tueri poterimus, qui dextrum, & sinistrum ex numero principiorum affirmarunt, quando ex motu orbium erraticorum, ac firmamenti, tota pendet generatio, illiusquè perennitas. concordia Pythagor. cū Plat. & Aristotele

3105 nequè etiam discrepabunt à Platone, qui non modò in coelo dextrum, & sinistrum natura distincta negauit: verum etiam & in animalibus, si quidem ostendit sinistra consuetudine tantum esse dextris imbecilliora, quando natura in neutram partem magis inclinat, aliòqui non integra: sed dimidiata natura forent animalia, quod quidem dictu absurdum est, argumento non solum ambi dextri: sed etiam geminae aures, gemini quoquè oculi, naresquè, quorum ministerio simili ratione natura semper vtitur. concordia Pythagor. cum Plat. 7. de ll.

ΕΡΓΑ.

ASTRONOMIA IVXTA PRINCIPIA PTOLOMAEI, ET COMMVNIS SCHOLAE ASTROLOGORVM.

3106 Alia in Astronomicis via est, quā Hipparchus Rhodius, & Ptolomaeus secuti sunt, qui cum planetas celeriores, tardiores,

tardiores, maiores, minores, propiores, altiores, nec non tùm stare, tùm praecedere, tùm subsequi, & defectus Solis, & Lunae viderent, decreuerunt harum rerum caussas reddere, & in reddendis caussis eccentricis, & epiciclis vsi sunt.

3107 sunt autem iuxta ipsos vnius cuiusquè planetae propria, & communia haec, compositio, altitudo, ordo, magnitudo, orbis continens, & contentus, motus tàm longitudine, quàm latitudine, tempus quo cursus metimur, lux, color, facultas.

SATVRNI THEORICA, ET PRIVS COMPOSITIO.

3108 Compositio Saturni est huiusmodi, vt licet tribus constet orbibus, tamen vna sit Sphaera ex his coagmentata, addas etiam, & epicyclum, tribus enim conficitur orbibus, primò excentrico, secundùm concauam superficiem concentrico vero secundùm externam, secundo autem omni ex superficie excentrico, tertio autem concaua concentrico, externa excentrico, totus tamen orbis ex his homocentricus.

3109 addunt etiam aequantem circum omnibus communem Sole excepto: quamuis etiam quidam Lunam excipiant, aequans autem circus ab illis potissimum introducitur, vt inaequalitas deferentis, epicycliquè cursus reddatur aequalis.

SATVRNI ALTITVDO.

3110 Altitudo eius bina est, vna orbis, altera stellae: orbis autem sub stellifera est Sphaera altior reliquis planetarū orbibus multis coniecturis.

SATVRNI ORDO.

3111 Ordo vel naturae, vel nostrum, naturae quidem ordine tertius est, secundùm Hipparchum, & Ptolomaeum asserentes nouem Sphaeras: nostrum autem septimus, quippè cum à Luna incipiamus, & ascendamus vsq; ad primū.

SATVRNI MAGNITVDO.

3112 Magnitudo orbis secundùm rotunditatem, & crassitiem inferius commodiori loco declarabitur, sic magnitudo stellae, quae nonagies, & semel maior est orbe terrarum: sed visa

Ptol. l. 12. cap. 2.

ſed viſa magnitudo ſtellae, tùm maior, tùm minor ſuſpicitur: nam maior in antabſide, minor autẽ in abſide. Alphrag. diff. 15.

SATVRNI ORBIS.

3113 Orbis continet, & continetur ab octaua comprehenditur, & ſextam comprehendit.

SATVRNI MOTVS.

3114 motus ei duplex communis à prima Sphaerarum, qui rapit quotidie orbem planetae ab ortu in occaſum,& alter proprius, qui & duplex etiam eſt, cum alter fiat per deferens, ſeu excentricum, alter verò per epicyclum.

3115 motus etiam epicycli duplex eſt, in longitudinem nempè, & in latitudinem.

3116 mouetur in longitudinem epicyclus quoties fertur ab occaſu ad ortum, vel contrà ab ortu ad occaſum, parte ſupera epicyclus fertur ab occaſu ad ortum, & ſecundùm ſuceſsionem ſignorum qua parte etiam celerior eſt, & directus, atquè motus deferentis, & epicycli ijdem ſunt, quatenus ad idem feruntur, contrà infera parte mouetur ab ortu ad occaſum contrà motum deferentis, vnde ſegnior eſt planeta, & retrogradus.

3117 adde motum in latitudinem, cum ſtella accedit ad eclypticam velox, directa: cum verò recedit retrograda, & tarda.

SATVRNI TEMPVS.

3118 fertur epicyclus vnius anni, & 13. dierum ferè ſpatio, in quo Saturnus, tùm directus, tùm retrocedens, tùm ſtans vtraquè in ſtatione videtur, & epicyclus in menſe, in die, in hora fertur.

SATVRNI LVX.

3119 Lux Saturni non admodum fulget, idcirco plumbei coloris planetam aiunt Aſtronomi.

SATVRNI FACVLTAS.

3120 Facultas aſtri à Iudiciarijs ſuperſtitioſè tractatur: crediderim tamen magnam illius facultatem: ſed nobis ignotam: non enim temerè ſunt condita aſtra fixa, & errantia, quòd ſi natura nè pilum quidem temerè produxerit in humano corpore, quantò magis in tanto opere aſtra non temerè producta ſunt.

Iouis

IOVIS THEORICA, ET PRIVS COMPOSITIO.

3121 constat Iupiter quatuor, vel quinque orbibus, si adaequantem vis adiungi, Purbachius sanè solum Mercurio ob motum centri orbiculi, Alphraganus verò cuilibet planetae, existimarem ego addendum cuiquè propter aequabilitatem motus inaequalis, tùm deferentis, tùm epicycli: Soli tantùm non est dandus, quia circa centrum deferentis aequè fertur.

IOVIS ALTITVDO.

3122 Iuppiter sub Saturni orbe est caeteris alijs sublimior.

3123 verum petierit quis quibus coniecturis Iuppiter inferior Saturno putetur, cui satisfactum iri puto non modò ob eius motum proprium breuiorem: verùm etiam quia Mars in coitu cum Ioue, eum occultat nobis, & ille Saturnum.

3124 visa seu stellae altitudo est in abside puncto remotissimo à Terra, & in Virgine ponebatur absis, in Piscibus antabsis.

IOVIS ORDO.

3125 tertius est, quoad naturam, sextus quoad nos.

IOVIS MAGNITVDO.

3126 Magnitudo re ipsa maior terra existimatur nonagies quinquies, visa autem (sicut in caeteris planetis) in abside minor, in antabside maior, quòd propinquiora videantur maiora, remotiora minora.

IOVIS ORBIS.

3127 Iouis orbis contentus est Martis, continens est Saturni.

IOVIS MOTVS.

3128 Ioui motus quinque tribuuntur, cõmunis, diurnus nempè, motus augium octauae Sphaerae 100. annos 1. gradi tertius deferentis, quartus in longitudine epicycli, quintus in latitudine Zodiaci.

Ptol. c. 2. lib. 21. Alphrag. diff. 16.

3129 nec mirum tibi, si cum legeris libros Astronomorum modò tres, modò quinque motus inueneris: nam aliqui solũ motus deferentiũ, alij etiã addunt motus epicycli.

concordia Astrologorum

IOVIS TEMPVS.

3130 fertur Iouis epicyclus in vno quoquè anno per spatium signorum

signorum 1. & ferè diebus 20.

IOVIS LVX, ET FACVLTAS.

3131 Lux praeclara, & visu grata, & ob id Plinius à Graecis φαέθοντα nuncupatum affirmat, color stannei instar, facultas ad iudicialem pertinet Astrologiam. l. 2. c. 18.

MARTIS THEORICA, ET PRIVS COMPOSITIO.

3132 Compositio, & fabrica Sphaerae Martis tot orbibus cōstat, quot & praemissae, tribus nempè orbibus, aequanti, & epicyclo.

MARTIS ALTITVDO.

3133 sub Iouis orbe collocatur supradictis coniecturis in altitudine Iouis

MARTIS ORDO, ET ORBIS.

3134 est quartus quò ad naturam, quintus quò ad nos, ex quo & orbis continens, contentusquè innotescunt.

MARTIS MAGNITVDO.

3135 de magnitudine visa idem dicendum, quod de Ioue, re verò Martis stella est orbe terrarum maior semel cum dimidio, ac paullò plus.

MARTIS MOTVS.

3136 motibus quinque implicatur, sicut superi.

3137 ingentem habet epicyclum, & maiorem reliquis errantium supradictorum, parte supera fertur ab occasu ad ortum secundùm seriem signorum, parte infera retrograditur segnior, stat in medijs punctis, vt in Saturni epicyclo ostendebatur.

MARTIS TEMPVS.

3138 Epicyclus Martis gradus 13. pertransit in mense, deferēs autem ipsius duobus annis Zodiacum peragrat, motu proprio.

MARTIS LVX.

3139 Lux est ignea, & color rubet.

MARTIS FACVLTAS.

3140 de facultate illius pertinet ad Astrologum iudicialem, de quo texere solet mille fabellas, inter quas vna haec est Martem esse maleuolum, at si merum corpus astri accipitur non habet voluntatem, ergo nec maleuolum est, si

astrum cum mente, & intelligentia motrice, ergo mens illa diuina maleuola, & cur coelestia corpora animata maleuola? quid facit infans in vtero Marti, vt illũ odio prosequeretur? sed de his in tertio libro.

SOLIS THEORICA, ET PRIUS COMPOSITIO.

3141 Fabrica tanti luminis, vel excentricum solum, vel epicyclum desiderat: non enim dirigitur, nec retrocedit, nec stat, solstitia hyberna, & aestiua videntur nobis: sed Sol re vera nunquam stat: sed quoniam hortante Ptolomaeo commodior est excentricus, hinc posteri omisso epicyclo excentricum fecere deferentem Solis, cuius Sphaeram tribus constituerunt orbibus, binis sanè mouentibus augem eius, altero in medio deferente corpus Solis.

3. lib. Almag.

SOLIS ALTITUDO.

3142 Altitudo eius siue situs est in medio planetarum, in medio autem dixi secundùm numerum, non secundùm spatium, quia magis à summo ipse, quàm ab ipso recessit ima postremitas, quod sine vlla disceptationis ambage compendiosa probabit assertio, Saturni stella quae summa est Zodiacũ annis 30. peragrat, Sol medius vno anno, Luna vltima vno mense non integro: quantum inter vnũ & triginta, tantum inter Solem, Saturnumquè, quantum inter duodecim, & vnum, tantum inter Solem, & Lunam quae omnia probabiliter sustineri possunt.

Macrobi⁹ de somn. Scip.

SOLIS ORDO, ET ORBIS.

3143 Plato, & Aristoteles non rectè collocarunt à Luna proximè: fuit enim collocandus in medio, vt prouideret aptè superis, & inferis, proindè quintus est à suprema Sphaera, & à Luna quartus, idcirco Marte cingitur, & Venerem cingit.

SOLIS MAGNITUDO.

3144 magnitudo visa est in abside, re apud Ptolomaeum centies, sexagies, septies ferè maior orbe terrarum.

in 5. Almag.

SOLIS MOTUS.

3145 tres illi motus assignantur communis, alter augium, alter proprius, qui quatuor anni tempora facit, ver, aestatẽ autumnum

autumnum, hyemem, periſcijs autem duo tempora anni, & amphiſcijs, vel aeſtatem, vel hyemem.

3146 nobis autem, & his qui nobis è regione reſpondent ſub aequatore pariter quatuor anni tempora, & dies, noctesquè: ſed intereſt, quia cum nobis dies, illis nox, & viciſſim nox nobis, illis dies, Temperata vtrinque regio, aliquantò tamen calidior illa, cum Sol illis fiat proximior gradibus 2. cum dimidio.

SOLIS TEMPVS.

3147 Tempus curſus Solis per ſpatium 365. dierum, & horarum ferè ſex abſoluitur.

SOLIS LVX, ET FACVLTAS.

3148 Lux fulgentiſsima, vnde & reliquae ſtellae hauriant, licet nos cuiquè aſtro proprium lumen tribuamus, color aureus, facultas viuifica, magnaquè poteſtas.

VENERIS THEORICA.

3149 Venus componitur eo modo, quo & alia errantia ſupra Solem, altior eſt orbis eius Mercurio, & Luna, quò ad naturam ſexta eſt in ordine, quò ad nos tertia, multò minor orbe terrarum.

3150 motus habet ſex, diurnum, quo quotidie fertur ab ortu in occaſum, alterum augium vt alij planetae, tertiũ proprium ſui deferentis ab occaſu in ortum, ob quem in annuo ſpatio luſtrat ſigniferum, & ob quẽ habet haec propria, vt nunquàm ſit oppoſita Soli, neque vllum aſpectum faciat cum eo, niſi ſynodum: quandòquidem à Sole non poſsit digredi niſi quanta eſt ſemidiameter epicycli, quae eſt 45. graduum cum ferè dimidio.

3151 et cum etiam deprehenſa ſit 47. grad. & m. 32. abeſſe à Sole, id accidit ei propter motum eiuſdem excentrici in latitudinem, quem motum aiunt eſſe quartum, deferentem autem ferri ad latitudinem coacti ſunt dicere, cum viderent epicyclum in nodis, tumquè tamen Venerem reuerti ad ſeptentrionem, non autem in auſtrum, huncq; motum tribui epicyclo non poſſe dixerunt, quia in nodis eſt: ſed excentrico.

3152 quintum motum epicycli in longitudinem, & parte quidem ſuperiori pro ſerie ſignorum, inferiori autem cõtra

sextum motum eiusdem epicycli in latitudinem.

3153 ab ea quoquè editur quaedam vmbra, quod nec Mercurio, nec superioribus errantibus adscribi potest, vnde & Pontanus.

p. Vraniæ ,, die radios ostentat, tanquàm aemula Solis

,, Haec vmbram in tenebris obtédit tanquàm aemula Phaebes.

MERCVRII THEORICA.

3154 propria est compositio Mercurij ex orbibus quinque, & suo epicyclo, extremi duo excentrici aliqua ex parte, cũ superioris tantùm superficies conuexa, & infimi concaua concentrica sit, inter quos extremos duo medij sunt quintum orbem deferentem epicyclum complectentes.

3155 altitudo natiua locum habet septimum secundùm naturam, quò ad nos secundum, de altitudine stellae, in absìde excentrici, vel epicycli, est vt in superioribus vera magnitudo stellae multò minor terrra.

3156 motus ei septem dicantur, diurnus primus, secundus motus deferentium augem aequantis ad motum octauae Sphaerae, tertius deferentium augem excentrici contra successionem signorum, quartus est excentrici deferentis epicyclum pro ordine signorum, ob quẽ non solet abesse à Sole grad. plus 26. m. 30. propterea quòd centrum epicycli semper est coniunctum cum centro Solis, à quo Mercurius non potest abesse plus semidiametro grad. 22. min. 30. nisi in Ariete, & Libra, Aquario, Geminis, atq; motus ille in longitudinem, tùm celerior, tùm tardior esse solet, in Libra segnior, in Ariete tardior: tùm enim Libra absis erat, & antabsis Aries.

3157 Verùm haec facilia fuere Astronomis, illud mirum his videbatur, in Geminis, & Aquario addi celeritatem, & tarditatem, vnde commenti sunt, bis in anno centrum epycicli ferri proqinquius terrae, semel in Geminis, semelquè in Aquario, & quo docerent hoc medios deferẽtes complectentes excentricum omninò commenti sunt, qui absidem, & antabsidem habent, & contra motum planetae delati faciunt vt bis planeta sit in abside, bis in antabside.

3158 conficiunt eius Sphaerã ex orbibus quatuor & epicyclo, quibus visa in Lunae cursu tueri possent, primùm itaquè fabrica orbium est ex supremo, & infimo aliqua ex parte excentricis, & medio inter hos excentrico omninò, in quo inest epicyclus, deinde orbis deferens caput Draconis omocentricus, qui ambit, & complectitur illos excentricos, supremus, & infimus deferentes augis, excentrici simpliciter dicũtur, qui secus ac alij deferẽtes auges in alijs planetis se habent, si quidem illi pro motu octauae Sphaerae feruntur, hi contra signorum seriem.

3159 altitudo eius supra ignem, infima omnium in orbe suo, idcirco Plinius nouissimum sidus terris familiarissimũ scripsit, altitudo item visa planetae in absside, & quo ad ordinem est vltima errantium natura: sed prima quo ad nos, magnitudine multò minor terrarum orbe, quod & inferius particulatim dicetur, maior autem solet videri in antabside, quia vicinior, vt fit in alijs planetis, & minor in abside, orbis eius continetur proximè à Mercurij globo, & continet elementa. c. 9. 2. lib.

3160 septem agi motibus dicitur, diurno ab ortu in occasum 24. horarum spatio, secundo motu octauae Sphaerae apud Ptolomaeum, tertio motu proprio deferentium augem Lunae contra ordinem signorum, quarto excentrici Lunae deferentis epicyclum, quinto deferẽtis Draconem contra ordinem signorum, sexto motu epicycli circa centrum propriũ, quo fertur Luna parte superiori contra seriẽ signorum, & parte infera pro ordine signorum quotidie gradus 13. m. 3. ob quem motum Luna velox, & tarda est: sed non dirigitur modò, & modò retrocedit, nec stat: sed semper directa est, cum celerior grad. conficit 15. cum segnior vix 11. cum mediocriter incedit 13. & m. fere 10. additur etiam à nonnullis septimus corporis Lunae, quo macula sẽper versa est ad nos.

3161 in suo cursu Luna multa praesefert homini miranda: sed prae caeteris figuras sui, & aspectus cum Sole, de quibus inferius exactius est discurrendum, & in istis illud est nõ leuioris admirationis caussa, quod post synodum interdũ

prima die cernitur Luna in occasu, idquè rarò modo secunda die, idquè plerunquè, interdum etiam tertia, vel quarta die perrarò, quarum rerum caussam Purbachius triplicem finxit, primam Zodiaci, & Orizontis obliquitatem, quo circa septentrionalibus videtur citius, cum est synodus in aliquo signo à Geminis vsquè ad Sagittarium, secundum declinationem Lunae à linea deliquij: si enim peracta coniunctione Luna fertur in latitudinem septentrionalem, celerius cernitur, tertiam celeritatem veri motus Lunae, si celerior enim erit cursus, citius apparet, quam si tarda fuerit.

3162 si omnes hae caussae simul conueniunt, eadem die noua Luna, & vetus cernitur.

3163 sed quando duae tantùm conueniunt, secunda die apparet post synodum.

3164 si verò vna sola fuerit tertia die videtur, interdum etiam quarta, & praesertim si nulla fuerit caussa.

HORVM EXPVGNATIO.

Frac istor. cap. vlt. omocen.

3165 sed si haec vera sunt vnde Epicyclus habet duos motus in longitudinem, & latitudinem, si vni orbi vnus motus per se adiudicatur?

3166 verùm ridenda penitus est moles epicycli Veneris, cuius asserunt Diametrum gradus esse 86. vnde peripheria triplicata, eo vsquè pertingeret, quo nullo pacto posset, si Geometricae rationes verum ostendunt.

3167 praeterea si excentricus planetis opportunus esset, vel ob motum eorum in longitudinem, vel latitudinem diceretur opportunus: sed neutro modo cũ alia rectior via sit, qua visa tueri possumus, proindè est explodendus.

FRACASTORII ASTRONOMIA.

3168 melius enim homocentricis suis satisfacit Fracastorius, cuius dicta tuebimur.

PLATONIS ASTRONOMIA.

3169 optimè verò admodum satisfacit Plato, & illius sectatores, in his praesertim quae circa coelum sunt, quorum sententiam, vt optimè calleamus, nonnulla prius vniuersim perpendenda sunt.

3170 Dico itaquè apud Platonem vniuersum, coelum nempè, & quatuor

& quatuor elementa rotunda esse: neq; enim in hoc ipse discrepat ab Astronomis, licet visus sit aliàs dodecaedrã figuram coelo, pyramidalem igni, octaedram aeri, icosaedram aquae, cubicam terrae tribuere: rotunda enim sunt apud ipsum elementa per accidens, coelum autem ob animam, proinde defendemus, quoad sensum litteralem in hoc Platonicos ab Astronomis non discrepare. concordia Platonicorum cum Astronomis. in Tim.

CENTRVM MVNDI.

3171 cuius medium centrum ab omnibus appellatur, in cuius natura perscrutanda diuersimodè sensisse videtur Astronomi ab Aristotele: is enim per se vniuersi centrum, ipsius vniuersi medium dixit, per accidens autem terrae medium, siquidem iuxta ipsum ex accidenti grauia delabuntur ad medium terrae, propterea quod accidit medio mundi, vt sit medium terrae, quae habet medium suum in medio mundi. lib. 2. de coelo t. c. 79.

3172 Astronomi verò, & Geographi orbem terrarum totum aiunt esse medium mundi: medium namquè mundi tanquàm partem vniuersi asserunt, dicuntquè medium terrae esse mundi medium ex accidenti, quia est medium medij, ceu vmbilicus est medium hominis: sed punctus medius vmbilici non dicitur medium, nisi quia est vmbilici medium.

3173 atquè suam sententiam hisce confirmant rationibus, & primò quòd medium illud per se est, vbi homo videre potest dimidium coeli, quod ipse cum summitatem terrae habitet in toto orbe aspicit. Hinc Ptolomaeus terram insensilis qualitatis ad coelum statuit, & Alphraganus semidiametrum terrae prodidit insensilis quantitatis ad coelum. p. li. Alm. cap. 6.

3174 praeterea nisi ipsa terra mediũ esset (ait Plinius) aequinoctij pares horae non essent. li. 2. cap. 5.

3175 sed quid si Aristoteles ab Astronomis minimè discrepet? si enim sumatur medium, vt est medium magnitudinis, quis Aristotelem coarguet? si verò vt est medium firmamenti, quis Astronomos accusabit? si enim coelum sempiterno motu mouetur, oportet aliquid esse in medio, quod suaptè natura semper maneat, taleq; terra est. concordiã Aristotelis cum Astronomis

3176 sed illud hic solet in dubium verti, nùm nempè aqua, & terra duos globos, vel vnum tantùm efficient, nos sanè vt hanc quaestionem paucis absoluamus, in ea sumus opinione, vt orbis terrarum concretus sit ex aqua, & terra: nauigantes enim aequè suspiciunt dimidium coeli, & sex signa supra, atquè ortus, & occasus siderum, deliquiaquè ac si essent in terra, proinde in mare non altius terra: sed cum ea facit vnam Sphaeram.

3177 nec obstat illud, quo credunt mare altius terra, quòd in mari nauis si fuerit, nauta nō videbit basim turris prius, quàm apicem, cùm tamen pro ratione videndi, basis prius videri deberet, quia propinquior apice est; dicunt .n. basim non prospici propter tremorem aquae, quae est altior: sed haec ratio non concludit, nisi aquam verti in rotunditatem.

Plinius c. 67. 2. lib.

3178 quòd autem nonnulli dicunt in terra centrum grauitatis à centro magnitudinis distinctum esse, si quidem dicunt magnitudinis esse centrum illud, siue aqua, siue terra sit, quod abest aequaliter à superficie rotunda orbis huius, quale etiam apud eos grauitatis dici potest: sed non simpliciter grauitatis, cum corpus non sit eiusdem naturae, & aequabile similiumuè partium: centrum autem grauitatis esse in fundo maris, quandòquidem terra cooperta aquis quacunquè alia terra plus ponderis habet (lutum enim molle, & humidum, plus ponderis habet, quàm cū igne humor omnis eius exhaustus est, ceu apparet in lateribus, vbi cocti sint: leuiores enim multò sunt) nobis minime satisfacit.

3179 quin nec Aristoteli, nec Platoni.

COELORVM NVMERVS.

3180 recedunt autem ab hoc centro aequis lineis, vndiquè coelestes orbes, de quorum numero iuxta Platonis decretum ambigunt Platonici, nec enim desunt, qui illos ex Platonis sententia nouem affirment, vt singulae diuinae animae singula sibi induant diuina corpora, quarum diuinissima, diuinissimum quoq; vehiculum sibi sumat, quod etiam & vniuersi ordine comprobare nituntur: nā quemadmodum princeps anima, quasi monas duodecim diuinis

Diacetus in epistola vltima.

diuinis animis praeest, sic quoquè duodecim primis corporibus, quasi monas corpus omnium longè eximium praeesse dicendum est.

3181 probant, & ratione: quomodò enim fieri potest, vt inter omnes vna princeps anima proprio corpore exauctoretur, quò etiam ei sit opus ad vitam vbiq; propagandam?

3182 probant, & orphica disciplina, quam vbiquè diuinus Plato aemulatur: nouem enim Musae apud Orpheum nouē diuinas animas significant ita scilicet, vt suus cuiq; Bacchus praesit: Musa verò vim viuificam: Bacchus autem intelligendi facultatem significat. in hymnis

3183 probant, & verbis Platonis in Phaedro, vbi magnus Dux (ait) in coelo Iupiter citans alatum currum primus incedit, exornans cuncta, proindeq; disponens, hunc sequitur Deorum, Daemonumquè exercitus per vndecim partes ordinatus, Vesta autem in Deorum aede manet sola: haec enim illud sibi velle indicant, vt sit praestantissima anima praestantissimum habens corpus, cui caeterae animae diuinae cum suis corporibus quasi subancillentur,

3184 in Philebo quoquè dicit magnum Iouem regiam habere animam, regiumquè intellectum significans principis animae, tùm intelligentiam, prouidentiamquè, tùm etiā vim viuificam, propriumquè vehiculum ea esse dignitate, vt caeteris praesint.

3185 quae opinio iuxta Platonis principia cur defendi non potest?

3186 placet tamen, & cum Aristotele, & cum Platone octo tātùm globos coelestes tueri, & proindè demonstrabimus motum diurnum non posse alteri orbi, quàm octauo stellifero tribui, atquè hunc impartiri aequè singulis septem etiam si superiores celerius circumuehantur. lxiiij. cōcordia.

3187 quòd autem dixi superiores celeriori motu moueri, id non tantùm de motu diurno intelligendum est: verùm etiam & de motu proprio: si enim orbes orbibus, tempusquè tempori conferas, inuenies superiores longè citatius inferioribus agitari, quod etiam manifestè asserit Plato, atquè id ipsum sensisse, quoquè Pythagoricos, ex in 7. de ll.

Porphyrij

Porphyrij ennarrationibus in Timaeum colligi potest.

2. de coelo 3188 dubium autem est, quidnam in hac re senserit Aristoteles alicubi ostendit enim ipse cũ globum, qui à primo abest longius propterea in conficiendo cursu minus temporis absumere, quòd rapiditatem primi in contrariam partẽ nitentis minus sentiat, contra verò plus, qui propior est, proindè Saturni motum, vt potè qui primo propter propinquitatem magis obsequitur, segniorem esse, Lunae verò citatiorem, quòd propter intercapedinem mitius retrahitur.

p. Meteor. 3189 alibi verò visus est Aristoteles sibi ipsi negotium facessere, qui Lunae motum asseruit tardum esse: reliquarum verò erraticarum properantem: nam cum aerem (quem fomitem Latini dicunt) tùm Lunae motu negauit accẽdi, quia pigrescat: tametsi Luna proxima sit, tùm etiam aliarum praeter Solem: quandòquidem pernicitati desit propinquitas, Solis autem motum idoneum esse, vt potè qui pernicitatem cum propinquitate coniunxerit, quorũ vtrunquè exigi asseruit.

3190 atqui nonnulli defendunt Aristotelem, quasi nõ de proprijs erraticarum motibus verba fecerit, cum Lunae cursum affirmauit tardum esse: nam cum earum globi rapiditate principis orbis ab ortu in occasum trahantur, quò propiores primo sunt, eò velocius agitantur, quòd maius spatium eodem tempore conficiunt, contra verò si suam cuiusquè motionem spectes, rectè igitur erraticarũ motus interim veloces, interim tardos appellasse Aristotelem dictitant.

lxv. concordia. 2. de gen. 3191 sed mea quidem sententia longè errant: nam si erraticae sua quaequè ministeria exercentes proprijs motibus totam generationem consumant, quomodo dabimus non sua Solis motione: sed ea qua trahitur in occasum subiectum aerem, fomitemquè accendi?

3192 quòd si quis obijciat Aristotelẽ exerta voce asserere Saturnum propterea cursum remorari, quòd imperio principis orbis plurimum temporis absumat, nos ad hunc respondeamus eum ipsum maximè omnium propinquitatem primi naturam participare: cum igitur primum

eo motu

eo motu, qui est ab ortu generationem perennitate donet (quem propterea & motum eiusdem Plato nũcupat) dum Saturnus non vi: sed suapte natura aliquanto parcius renititur, his quae fiunt constantiae author est, atq; id est obsequio primi in expediendo cursu plurimo tempore indigere.

3193 sic & Luna proprio motu velox esse videtur, quoniam breuissimo tempore cursum suum conficit.

3194 triplici autem motu ducitur, vna quaeque stella vaga, orbium nempè motu qui duplex est, & proprio: fixae verò duplici orbis nempè, & proprio.

3195 nequè Aristoteles in motu stellarum proprio dissentit à Platone, nam etsi dictum sit ab eo stellas infixas esse: non continuo tamen commeat eas motu proprio nõ moueri: infixae enim appellantur, non quòd nullo pacto moueãtur: sed quoniam locum proprium non egrediuntur. 2.de coelo

3196 cùm itaquè ex motu proprio astrorum quaecunque visa tueri possimus, ridendi penitus sunt excentrici, epicycli, reliquaquè commenta Astronomorum.

COROLLARIVM.

3197 atquè hinc melius apparet nullum alium orbem praeter octo in coelo admittendum esse, & sanè nouem, vel decẽ orbes coelestes facere rationi prorsus repugnat: si enim altera Sphaera esset anastron, existeret temerè, cum quilibet globus ob astrum sit.

ΕΡΓΑ.

ORDO ET SITVS SPHAERARVM.

3198 Non memini me legisse authorem, vel in Philosophia, vel in Astrologia qui de superioribus globis controuersiam faciat, de inferioribus autem orbibus digladiantur Philosophi cum Astrologis: Philosophi enim Solem nõ in medio planetarum: sed vicinum Lunae asserunt his ferè rationibus, quòd Luna à Sole instar speculi accipiat lumen: itaquè ab ea non longè abesse oportet, quod si longius Sol abesset non redderet vmbram adeo latam, vt eam Luna omnis posset adire, quòd Sol interuentu Lunae non occultaretur nobis: quoniam intercapedo ingens facit, ne obstaculum remotum eripiat oculis aspe-

ctabile

ctabile longè, quòd demùm si eminus distaret, calorem in terras mittere minimè posset, quae omnia nullius sunt ponderis.

3199 contendunt etiam Philosophi, de Mercurio, & de Venere vter sit alter superior: Plato enim in Timaeo, & in Epinomide Veneris stellam supra Mercurium statuit, secus autem in decimo de Republica, vbi dicit tertium colorē candidissimum superare, quartum subrubeum, secundū verò sextum albedine superare, qua in re sanè quo pacto sibi Plato constet minimè scio nisi dicamus in decimo de Repub. alicuius historici (historiam enim vt ipse fatetur narrat) verba, & opinionem recensere.

contradictio Platonis conciliata.

3200 et in eadem contradictione versatur quoquè Cicero, qui secūdo de natura Deorum à Marte statim reposuit sacrū Mercurij: secus verò in libello de somnio Scipionis, in quo Mercurium subijcit Veneri.

contradictio Ciceronis.

3201 libellus item de mundo inter opera Aristotelis relatus ordini planetarum recitato à Cicerone in libro de natura Deorum assentitur, cum post Martem Mercurij orbem collocet.

3202 at verò Astronomi ordinem melius decreuerunt, quàm Philosophi: illi enim in medio planetarum Solem collocarunt: vmbra enim à centro terrae vsquè ad conum, habet (vti Ptolomaeus probauit) partes 268. quod nō esset nisi Sol supra tres planetas situm occuparet.

5. Almag.

INTERVALLA, ET MOLES GLOBORVM COELESTIVM.

3203 quatuor modis adhuc interualla Sphaerarum metita sūt, ex quadam proportione concentus, & Musicae, quē modum Pythagoras Samius, ac Plato sequuti sunt, ex vmbra terrae, quam amplexatus est Macrobius ex cursu planetarum, quem sequuti sunt idem Macrobius, & nonnulli alij referente Plinio, ex Semidiametroquè terrae multiplicato, quem modum sequuti sunt Ptolomaeus, & Alphraganus, & de primo modo dictum est superius, expendātur itaquè alij.

in Tim. & in x. de rep. de somnio Scip. cap. 2. lib. 24.

3204 sequitur ergo mensura ex Macrobij sententia ab vmbra terrae desumpta, is posuit à terra vsquè ad Solem vmbrā

esse

esse diametrum terrae sexagies, quae cum capiat octuaginta stadiorum millia, proinde illis sexagies multiplicatis summa erit quadraginta octies centena millia stadiorum, quod interuallum est à terra vsquè ad Solem, cui si alteram semidiametrum iunxeris planè erit tota diameter: verùm haec sententia petit vmbram esse sexagies diametrum terrae, quod probandum esset, praesertim cũ id maximè dubium sit, & Astronomi cum Ptolomaeo principe secus sentiant. Macrob. lib. 1. de som. Scip. cap. 20.

3205 tertia mensura ex cursu planetarum talis est, quia Saturnum annis triginta conficit circum suum, & Sol annum tantum, ob id interest spatij inter Saturnum, & Solem, quantum inter vnum, & triginta, & sic de singulis, at in hac re Plinius, & Macrobius castigandi sunt, propterea quòd cum Venus, Mercurius, & Sol pari ferè cursu ferãtur, aequè abessent à Luna, vel à Saturno, quod insigne mendacium est.

3206 quarta est, ex sententia Ptolomaei, Alphragani, & ferè Astronomorum omnium veterum, quae licet diuersis modis procedat in idem tamen tendit: haec enim ex semidiametro terrae cognito secundùm Alphraganum dimetitur interualla orbium: cũ enim dicat ille interuallũ à terra ad concauum Lunae tricesies ter continere semidiametrum terrae, hoc eodem modo reliqua interualla, molesquè globorum metitus est.

3207 sed & haec via nobis minimè satisfacit, cum principium petat.

3208 vel itaquè in hoc mortalium labor incassum fuit, vel inter caeteras vera solum est Platonis, Pythagoricorumquè opinio, ex harmonia huiuscemodi interualla, & moles dimetiens.

SOLIS, CAETERARVMQVE STELLARVM QVANTITAS.

3209 Epicurus benè doctus in sensibus, & malè meritus de ratione ita adhibuit fidem sensibus, vt cum eos nunquàm labi, & decipi posse putaret, Solem pedalem, vel ferè quãtus apparet existimauit, labitur itaquè Lucretius, qui illius sententiam his carminibus tuetur.

„ Nec

„ Nec nimio Solis maior rota, nec minor ardor
„ Esse potest nostris quàm sensibus esse videtur,
„ Nam quibus è spatijs, cumquè ignis lumina possunt
„ Allicere, & calidum membris adflare vaporem
lib. 5. „ Nil ipsis ex interuallis de corpore libant
„ Flammarum, nihil ad speciem est contractior ignis.

3210 in quo errore, etiam fuit Heraclitus, cui Sol videbatur pedalis.

3211 Anaxagoras aliquantò peloponneso maiorem credidit, at nimis illum paruum effecit.

3212 Plinius sex rationibus magnitudinem Solis comprobauit ob defectum Lunae, ob vmbram terrae in pyramidis verticem desinentem, quòd arborum in limitibus perrectarum in quotlibet passuum millia, vmbras paribus iaciat interuallis, quòd per aequinoctium omnibus in meridiana plaga habitantibus supra caput eodem modo fit, quòd circa solstitialem circulũ habitantium meridie ad septentrionẽ vmbrae cadant, ortu verò ad occasum, quae iuxta illius opinionem fieri non possent, nisi Sol esset maior terra, quòd vltra montem Idam exoriens latitudine exuperat, dextra, laeuaquè largè amplectens, praesertim discretus tanto interuallo, quòd demum partitis vicibus abscedit, vt noctium opacitate terras reficiat exusturus haud dubiè, & sic quoquè exurens quadam in parte, ob tantam illius magnitudinem, quarum rationũm prima, & sexta aliquid momenti habent, reliquas verò facile est infringere, & praesertim quia non conuincunt Phaebum maiorem orbe terrarum. (l. 2. c. 11.)

3213 sed quicunque ad amussim quantitatem Solis explicare voluerunt, finierunt prius terrae molem, de cuius quantitate magna est dissensio: conueniunt tamen omnes in methodo perquirendi diametrum eius, & latitudinem ex vsu Astrolabij: omnes enim iubent sumi Astrolabium in manu vbicunquè quis fuerit in hemisphaerio septentrionali, & notato polo in coelo per dioptram, dein proficisci versus polum, donec opera Astrolabij cognoscatur polus sublimior factus vno gradu, tumq; emetiri spatiũ terrestre, & quãtũ fuerit, tãtũ vnus cęlestis gradus cõtinet.

et cum

3214 et cum quilibet orbis trecentas, & sexaginta partes contineat, & teste Archimede diameter sit tertia pars ambitus minus sesquiseptima, proindè vbi quis semidiametrū terrae emensus fuerit, facillimè & totam terrā metietur. ex 9. prop. l. 1. Almag

3215 itaquè tota cura est reponenda in cognitione semidiametri, Eratosthenes itaquè cuiquè gradui respondere voluit septingenta stadia, quae cum nonnulli Romano more statuissent, decepti planè sunt, cum stadium Eratosthenis sit minus stadio Romano.

3216 contra autem Alphraganus stadium maius Romano accepit, cui Thebitius assentiebat, idcirco constituerunt, cuiquè gradui coelesti respondere miliaria Italica 56. & sex stadia, proindè nulla discordia inter Eratosthenē, & Alphraganum. d st. 22. concordia Eratosthenis, & Alphragani.

3217 non video tamen quo pacto Alphraganus cū Ptolomaeo consentiat, si quidem Ptolomaeus, cuiquè gradui coelesti quingenta stadia tribuit. 1. Geogr.

3218 dixerunt tamen ambo Solis diametrum esse quinquies cum dimidio maiorem diametro terrae, subiunguntquè Solis corpus continere 166. vices cum fractione terrarū orbem.

3219 quod tamen ex tribus rationibus cōmentum esse prorsus crediderim; & primò quia non conuenit inter eos de quantitate semidiametri terrae, proindè si Alphraganus dissentit à Ptolomaeo in metro terrae, & in quantitate milliariorium, quae vni gradui coelesti respondere debent, quomodo possunt in dimetiendo Solem ijsdem verbis consentire?

3220 praeterea Sol multò maior appareret Lunari orbe, cum Luna iuxta eorum opinionem adeò minor sit Sole.

3221 postremò & Sol ipse maior cerneretur.

3222 crediderim itaquè ego Macrobij sententiā probabiliorem esse, quam & veterum Aegyptiorum esse constat, quae hac via reperta est, aequinoctiali die ante Solis ortum saxeum vas in speciem hemisphaerij cauatum, duodecimq; lineis designatum quas stili prominentis vmbra iuxta horas aequinoctiales distinguebat, acceptū est deinceps huic aequabiliter collocato circa tēpus Solis ortui propinquantis l. 1. c. 20.

pinquantis inhaesio diligens obseruantis obtutus, & cum ad primum Solis radiũ vmbra Soli adnotata esset, deinde obseruatum est quamdiu super terram ita Solis orbis integer appareret, vt vna eius summitas adhuc orizonti videretur insidere, & mox locus ad quem vmbra tunc in vase migrauerat adnotatus est, habitaquè dimensione inter ambas vmbrarum notas, pars nona reperta est illius spatij, quod à summo vasis labro vsquè ad horae primae lineam continetur, & ex hoc constitit, quod in cursu Solis vnam aequinoctialem horam faciat repetitus nouies orbis eius accessus.

3223 et quia conuersio coelestis hemisphaerij peractis horis duodecim diem condit, nouies autem duodeni efficiunt centum octo sine dubio Solis diameter cẽtesima, & octaua pars hemisphaerij aequinoctialis est, ergo totius aequinoctialis circuli ducentesima sextadecima pars est, quem circulum habere stadiorum trecenties centena millia, & insuper cẽtum, & septuaginta millia suo modo probauit Macrobius.

3224 pars autem ista à centum ferè quadraginta millibus cõtinetur, diameter itaquè Solis centum quadraginta millium ferè stadiorum est, vnde penè duplex, quàm terrae diameter inuenitur.

3225 constat autem Geometricae rationis examine, cum de duobus orbibus alterius diameter, alterius diametrum duplo vincit illum orbem, cuius diameter dupla est orbe altero, octies esse maiorem, ergo ex his dicendum est Solem octies terra esse maiorem.

3226 Lunam quoquè terra maiorem decies nouies tradiderunt Anaximandri sectatores: sed falsò, quo in errore versati sunt Stoici, & Parmenides, cum & ipsi Lunam terra maiorem fassi sint, quin & Plinius quoquè in hac re coarguendus est, qui Solem non posse totum adimi nobis intercedente Luna arbitratus est, ni Luna maior esset terra: hoc enim ex eo est, quia moles vicinior oculis potest nobis abscondere molem multò maiorem.

Plin. lib. 2. cap. 21.

3227 atquè si Luna amplior orbe terrarũ esset omnibus simul posset totum Solem adimere, quod tamen minimè facit.

compertum

3228 compertum autem est apud Astronomos ratione vmbrae terrae proportionem semidiametri terrae ad Lunae semidiametrum triplam superpartienté quintae esse, quae est 17. ad 5. vnde si orbes colligeris inuenies terram Luna maiorem tricesies nouies, & plus etiam. Ptolom. in v Al. Alphraga. diff. 28. & 22.

3229 tradunt etiam diametrum terrae continere diametrum Mercurij vicies octies, diametrum autem Veneris ter, & tertiam eius.

3230 dicunt etiam diametrum Martis semel diametrum terrae, & sextam eius partem continere, Iouis autem diametrum terrae diametrum quater, ac dimidium, & vnam decimam sextam continere, Saturni verò diametrum ad terrae diametrum proportionem 9. ad 2. id est quadruplam sesquialteram habere, at horum quinque planetarum molium demonstrationes infirmiores sunt, ac fuerint illae molium luminarium,

3231 quod & dicimus de stellis fixis, quarum sex gradus Ptolomaeus constituit simul cum Alphragano, quorum primus primae magnitudinis capit stellas orbe terrarum maiores centies septies, secundus secundae magnitudinis stellas terra ampliores nonagies, tertius septuagies ferè, quartus quinquagies quater, quintus tricesies sexies, sextus decies octies. diff. 22.

COSMOGRAPHIA.

3232 Cosmographia Astronomiae subalternatur, estquè mundi, qui ex quatuor elementis, & coelo constat descriptio, & in primis contemplatur circulos ex quibus illa supercoelestis Sphaera componi intelligitur, deinde ex ipsorũ distinctione terrarum illis subiectarum situs, & locorum commensurationem, rationem insuper climatum, dierũ noctiumquè diuersitates, quatuor mundi cardines, poli eleuationes parallelos, meridianos circulos, & caetera iuxta Mathematicas ostensiones demonstrat. Petr. App. cap. 1. cosmograph.

GEOGRAPHIA.

3233 huic verò subiacet Geographia, quae terram distinguit per circulos coeli, & proindè quinque coelestes Zonas, totidemquè terrenas cogitauit, quae re vera plures non debent esse, rectè itaquè Strabo inuehitur in Polybium, lib. 2.

qui contra Parmenidem supradictae sententiae authorẽ sex Zonas ausus est affirmare.

2. meteor. indifferẽt. lib. 16. de ciuit. Dei cap. 9. l. 3. c. 24. diuin. insti.

3234 verùm de habitabilibus magna fuit dissensio inter veteres, si quidem Albertus magnus, Alphraganus, Lucretius, Augustinus Diuus Aphricanus, Lactantius Firmianus Zonam tantùm nostram temperatam, vt habitabilẽ amplexati sunt, despexerunt autem, vel inhabitabilem existimarunt Austrinam, qua de re sic Lucretius cecinit.

„ Illi cum videant Solem non sidera noctis
„ Cernere, & alternis nobiscum tempora coeli
„ Diuidere, & noctes pariles agitare diebus:
„ Sed vanus stolidis haec omnia parturit error.

lib. 2. meteor. de somn. Scip. Pompon. mel. lib. 1. Sol. c. 66.

3235 at contra possumus plerosquè adducere, qui illam & rectius incoli existimauerunt Aristotelem, Ciceronem, Plinium, Macrobium, Pomponium Melam, Solinum, quin & Albertus ipse inconstans recantauit in libello de natura locorum, quòd si producant carmina Lucretij, cui non saepius credendum, ego aduersus illud producã M. Manilij versus, qui vtinam in vna re non errasset: reliqua enim verè dicta sunt.

„ Altera pars orbis sub aquis iacet inuia nobis,
„ Ignotaequè hominum gentes, nec transita regna,
„ Commune ex vno lumen ducentia Sole
„ Diuersasquè vmbras, laeuaquè cadentia signa,
„ Et dextros ortus coelo spectantia verso,
„ Nec minor est illis mundus, nec lumine peior,
„ Nec numerosa minus nascuntur sidera in orbe.

3236 nec enim quia Sol sit in perigaeo, & in opposito augis ibi, vbi datur excentricus, proindè sequitur ob feruorẽ eam regionem inhabitabilem esse: non solum quia non diu moratur, in antabside: verum etiam quia nunquàm Sol est in vertice ipsorum, si quidem extra Tropicum incolunt.

3237 rationes autem Physicae quibus Augustinus, & Lactantius nituntur prorsus ridiculae sunt, Lactantij sanè ridiculosae.

3238 sic & ob eam Zonam, quam torridam appellarunt antiqui diuersae fuerunt opiniones licet cõmunior ea fuerit, quae

quae ob magnum Solis calorem torridam Zonam premi vestigijs hominum negauit, quam sanè opinionem, & vbiquè passim decantarunt poetae: sed prae caeteris digladiati sunt Auicennas, & Auerroes in hoc.

3239 Auicennas enim vir summus existimauit ad feruorem, & aestum regionis non tantùm facere directionem radiorum Solis, quantùm nimiam moram Solis: quamobrem cum circa Tropicos Sol diutius moretur propter obliquitatem, & flexum Zodiaci, in aequinoctiali verò circulo vix (vt ita dicam) momento temporis perseueret, confestimquè vlterius progrediatur, existimauit Auicēnas sub aequinoctiali circulo esse habitationem temperatissimam, & maximè idoneam hominum habitationi, quòd ibi sit perpetuum aequinoctium, quod etiam & Ptolomaeus apertè dixit: tametsi alibi haec animo ancipiti reliquit.

refert Auerroes in paraphr. 2 lib. meteo.

in l. de iud. 2. l. Alm. cap. 6.

3240 hanc Auicennae positionem Auerroys eius viri laudis aemulus, acerrimusquè insectator plurimis rationibus euertere conat̄: inquit .n. cū nullus diffiteri queat, quin directio radiorum Solis calorem maximum faciat, itemquè sensu compertum sit post solstitium plurimis diebus maiores fieri aestus, quàm in ipso solstitio, eo quod aer iam concepto in se calore citius, & vehementius inflammatur à Sole etiam magis distante, quàm in solstitio, his ita constitutis putauit Auerroys liquidò patere posse sub aequinoctiali circulo esse aestus intollerabiles: nam Sol in aequinoctijs perpendiculares radios iacit, ac propterea magnos calores cit iam feruefactus aer, & quamuis per vigintiquatuor ferè gradus recedat, & non amplius maiores aestus concipiat: post hoc tamen non subit Autumnus, & Hyems, vt apud nos: sed iterum Sol incipit accedere ad eorum verticem: quamobrē augetur potius aestus, quam imminuatur.

3241 hanc quaestionem, quae multis iam annis versata est inter maximos Philosophos nostris temporibus, sicut & quaestionem superiorem, experientia dissoluit: patet .n. modò sub aequinoctiali circulo esse habitationem: non tamen omnium temperatissimam, vt putauit Auicennas,

quod ex colore, atquè ex operationibus earum gentium, quae incolae sunt eorum locorum facile conijci potest: nam & imbelles sunt, & timidi, nequè ingenij dotibus cum Graecis, aut Italis conferendi, sub Tropicis verò sunt regiones feruentiores non tamen inhabitabiles, nequè tamen in his Auicennam, ab Auerroe discrepare credimus.

concordia Auicénae, & Auerro.

3242 ex his sensu, atquè experientia compertis possumus cômodè rationem reddere, cur sub aequinoctiali sit habitatio cum tamen Solis radij ita perpendiculares sint bis singulis quibusquè annis: etenim hoc incommodum ex perpendicularibus radijs illatum illis regionibus, resarciunt, tùm nulla ferè mora in circulo aequinoctiali, tùm noctes continuis temporibus horarum duodecim.

3243 iuuat & postremo recessus Solis ab eorum Orizonte, qui praeceps descendit, ac recta fertur sub pedes eorum populorum.

Card.con. lib. 2. de elem.

3244 contra sub Tropicis mora Solis ob flexum Zodiaci, longiores dies aestiui, nec tàm magnus discensus Solis sub Orizonte faciunt aestatem feruentiorem.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

3245 sed quaesitum video cur Aethiopes in Aphrica tantùm inueniantur, & nusquam alibi, ego verò illud ob eam caussam fieri puto, quòd in Lybia maxima est planities arenosa, nulliquè fontes, proindè ea loca maximum côcipiant à Sole calorem, vicissimquè aerem calefaciant, vnde immutetur complexio hominum eas regiones incolentium, efficianturquè Aethiopes.

3246 in alijs verò locis Tropico subiectis, aut vicinis, irriguis, fontibus, montibus frequentibus, & solo vliginoso id nô item fiat, ibiquè nascantur homines fusci, non tamen Aethiopes.

3247 mirum namquè quantum in generatione rerum omniû faciant materia, caeteraequè caussae, maximè quae sunt sub coelo, quamobrem plerunquè euenit, vt qui ex caussis tantùm coelestibus rationes harum rerum mortalium contemplari voluerit, non habita ratione materiae, caeterarumquè caussarum mortalium, quae saepe numero

euariant

euariant, facili labatur, plurimùmquè erret.

EPΓA.

3248 errauit quoquè & vetustas in zonis gelidis, quas ob eximium frigus inhabitabiles asseruit. nobis enim gelidae sanè sunt: non autem indigenis: natura enim & Deus prouidè cursum Solis à medio aequatore flecti voluerũt tot gradibus, vt etiam extremis affulgeret, & vitam afferret, conseruaretquè, argumento quòd multa ibi nascãtur, & vireant, suisquè temporibus suos fructus edant, ergo ob eam gentem quoquè tuendam Sol declinat ad vtrumquè Tropicum, vt sub circulo arctico, & antarctico gens vitalem calorem, & diem acciperet.

COROLLARIVM.

3249 hinc insipienter cecinit Homerus de extremis regionibus terrarum haec.

„ Illis Sol nunquàm Phaeton sua lumina spargit.

EPΓA.

CHOROGRAPHIA, ET TOPOGRAPHIA.

3250 adsunt praeter haec Chorographia, & Topographia quarum prima orbis partes magnas: secunda verò vnum locum seorsum, & separatim pingit.

GNOMONICA.

3251 sequitur Gnomonica, siue ars de analemmate, quae horologia, eorumquè passiones perpendit, quam etiam Astronomiae subiacere minimè dubitamus.

3252 cuius semina ex eo fluunt, quòd cum Sol quotidie ob motum primi coeli parallelum ferè circulum efficiat, animo comprehendere debemus Solis radium, veluti rectam lineam ad centrum mundi pertinentem, atquè vlterius productam vnà cum Sole semper ferri, quousquè ad eum locum reuertatur, vndè primò moueri incoepit: describet enim superficiem ex duabus superficiebus constantem, quae ad mundi centrum, tanquàm ad verticem inter sese iunguntur, quarum altera luminis, altera vmbrae superficies rectè nuncupatur.

3253 itaque horologij planum superficiei vmbrae occurrens eã veluti abrumpit, & varias gignit sectiones, vt ex his, quae ab Apollonio demonstrata sunt colligere possumus: lib. 1.

data namquè inclinatione coeli, Gnomonisquè altitudine, & parallelo, in quo Sol mouetur, facile nobis erit lineam ab vmbrae extremitate in plano factā describere.

COROLLARIVM.

3254 valeant itaquè illi Philosophi, qui parabolem, hyperbolem, & ellipsim, vt inutiles spreuerunt.

ΕΡΓΑ.

3255 quòd autem dictum est superficiei planū vmbrae superficiem abrumpere in Sphaera obliqua, & in horologijs Orizontalibus locum semper habet.

3256 in verticalibus verò fit sectio luminosi coni, iuxtà quam sectionem (ni fallor) idem quaesitum potest Apollonius absoluere.

3257 necessarium est autem ad hanc artem rectè intelligendā animo concipere tres circulos in Sphaera, quorum vnus intelligatur distinguens hemisphaerium, quod sub terra est, ab eo quod supra terram, quem Orizontem dicimus: secundus distinguens orientale hemisphaerium ab occidentali, qui meridianus appellatur: tertius autem & reliquus intelligatur septentrionale hemisphaerium separās ab eo quod est ad meridiem, qui secundum verticem, seu verticalis dicitur.

Ptolom. de analemm.

3258 et istorum circulorum diametrorum (quae in Sphaera tres solùm constituuntur inter sese ad rectos angulos) communis sectio circuli Orizontis & meridiani vocatur meridiana, meridiani, & verticalis Gnomon, verticalis, & Orizontis aequinoctialis.

3250 translatis igitur vnà cum Sole his circulis circa communes sectiones manentes, veluti circa axes duos motus intelligere possimus; Orizontis quidem circa aequinoctialem diametrum, tanquàm ad id, quod supra terram, & sub terra est, & circa meridianam, tanquàm ad orientem, & occidentem Solem: meridiani circa meridianam diametrum, vt ad ortum, & occasum, & circa diametrū Gnomonis, vt ad septentrionem, & meridiem: verticalis autem circa diametrum Gnomonis, vt ad septentrionem & meridiem, & circa aequinoctialem, vt ad id quod supra terram, & sub terra.

sed

3260 sed quoniam fieri non potest, vt idem simul duobus motibus cieatur, priorem eorum motuum, vt poté magis conuenientem vnicuiqué tribuemus; Orizonti quidem eum qui est circa aequinoctialem diametrum, vt finiat positionem ad id, quod sub terra, & quod supra terram, quem quidem motum vocamus hectemorion: quia altitudinem vsqué ad sextam horam commonstrat: meridiano eum, qui circa meridianam, vt notet disiunctionem, quae est ad ortum, & occasum, quem horarium appellamus, quòd singularum horarum spatio comítetur, at verticali eum, qui circa gnomonem, vt ostendat transitum ad septentrionem, & meridiem, qui discensiuus nominatur: quoniam descensum ab altissima parte ad humillimam declarat.

4261 ad horologiaqué describenda duae harum circumferentiarum satis sunt, quarum altera vmbrae longitudinem, altera Orizontis distantiam, seu latitudinem indicat.

HOROLOGIORVM DIVISIO.

3262 diuiduntur autem summé horologia in orizontalia, & verticalia.

HOROLOGIORVM ORIZONTALIVM DIVISIO.

3263 Orizontalia verò, vel plana sunt, vel inclinata.

3264 ad quae requiruntur circumferētiae descensiuae, & Orizontales: namqué ex descensiuis vmbrae longitudo, ex Orizontalibus distantia Orizontis determinatur.

3265 Orizontalia inclinata, vel ad meridianum recta sunt, vel inclinata.

HOROLOGIA VERTICALIA.

3266 at horologiū, quod in verticalis plano describitur duas alias circumferentias requirit, horarias scilicet, & verticales: horariae enim Solis altitudinem supra dictum planum, verticales eiusdem latitudinem declarant.

HOROLOGIORVM VERTICALIVM DIVISIO.

3267 sub verticalibus autem continentur non modò, ea quae speciali nomine verticalia dicuntur: verùm etiam & meridiana, & aequinoctialia.

3168 quae tamen Orizontalia absquè contradictione possunt nominari.

3169 horum autem vnum quodquè duplex etiam est.

MECHANICA.

3170 sequuntur post haec Mechanica, quorum magnus per totas humanae vitae partes vsus: cùm enim natura ex sua simplicitate nequaquàm sit multiformis, si quandò euenit, vt eius simplicitate nos propter multiplices nostros vsus non contenti aduersus ipsam quicquam moliamur, tunc illa contranitens, ac contendens nostris conatibus difficultatem imponit, quam vt superemus arte Mechanica indigemus, qua tandem naturae conatus, vel penitus confringentes, vel aliqua saltem ex parte demolientes, nostrum opus perficiamus.

Arist. pro-om. Mech.

3171 quo factum est, vt omnes artes, quae humiles, & sordidae, atquè ideo illiberales sunt, abusione quadam Mechanicas vocauerimus, cum potius sellulariae, seu basanausicae dici debeant: Mechanica enim ars illa tantùm existimanda est, quà excogitantes, quàmplures machinas, cōstructionesquè caeteris artibus sellularijs inuenimus.

3172 omnes autem machinae, illarumquè facultates, ad quinque infinita vi à Pappo, & à Tzetze reducuntur ad cuneū nempè polyspaston, vectem, cochleam, axem in peritrochio.

Pappus in Mech. Tzetzes i Hesiod.

3173 sed vnus pro omnibus sufficiebat circulus: nam Mechanicae miracula è rotundis figuris praecipua sunt, circulusquè miraculorum omnium meritò principium, & miraculum primū ab Aristotele statuitur, caussae mirabiles (ait) effectus etiam mirabiles habent, at circuli essentia tam mirabilis est, vt contra naturae leges recondita quadam, & arcana Geometriae subtilitate ficta esse videatur: etenim fit è recto quamuis obliquus sit, fit è quieto simul, & moto, deinde conuexum in eo est, & concauum, motus in eo multiplex ante, ponè, sursū, deorsū, imò pro infinitis in eodem radio punctis omnibus velocitatis, & tarditatis differentijs simul agitur, & quod maximè semper admiratus sum idem circuli motus tot repugnantijs cōflatus naturalis est secundùm periphaeriam in obliquum, & violentus

quaest. mech. cap. 4.

& violentus ſecundùm diametrum, quo retrahitur in cẽtrum, retractionis repulſioniſquè motus in minore radio maior eſt, dum peripheriae aequales permeantur, circulus itaquè totum contrarijs qualitatibus, & affectionibus inter ſe diſcrepantibus formatus, & figuratus videtur.

3174 quies verò, ſeſsio, ſtatus hic nihil expectetur: motus ení totus ex hac figura eſt: acutus enim angulus velocitatis artifex eſt: at in rotundo ſubiectum planum tangente angulus, quouis acuto rectilineo minor, acutiorquè efficitur, & à ſubiecto protinus è veſtigio recurrit, ideoq; nil aſperitatis habet, nil offenſionis, quo velocitas motus impediatur. Ariſt. mech. quaeſt. 30. cap. 35.

3175 mobiliſsimum igitur omnium mobilium, imò verò omnium mouentium potius organum mouentiſsimum, tãtòquè mouentius, quantò maius: radij enim quantò maiores, tantò velociores, hinc rotae curruum, hinc trochleae maiores ſunt, agiliores, celeriuſquè mouent, itaq; multiplicatis trochleis facultas mouendi prorſus eſt incredibilis, ſic alijs aliae copulatae, connexaequè maiores, ſuperioreſquè minoribus, & inferioribus auxiliantur, hinc multae Daemonum, vel potius improborum hominum Mechanica abutentium praeſtigiae, ob quas ſtatuas in templis ſua ſponte mouebant, oracula edebant, clamores faciebant, quae in templo Syriae Deae Lucianus ſcribit accidiſſe.

3176 hinc & funda, quam manus longius iaculatur, hinc ligna longiora terrae infixa, pedequè terram propius preſſa, vel ab extremo elata, difficilius curuantur, geſtanturquè, quin à medio humeris impoſita, tantò ſunt grauiora, quantò longiora: radij .n. longiores, ideoq; mobiliores.

3177 ſed ex his dabitur forſan alicui nonnulla dubitandi occaſio: cur enim ſi haec ita ſunt ſuper ſcytalas facilius portantur onera quàm ſuper cũrrus? cum tamen ij magnas habeant rotas, illae verò puſillas, an quoniam vt animaduertit Ariſtoteles in ſcytalis, nulla fit offenſatio, quemadmodum contingit in curribus? onera enim quae in currus imponũtur axim rotarũ premũt, qua preſsione qu. ieſt. mech. 11. c. 16

non

non parum rotae remorantur, quod in ſcytalis longè aliter euenire videmus: nam & mouentur à vi trahente, & ab onere etiam ſuper impoſito propter nutum ipſius circuli, de quo aliàs Ariſtoteles.

in cap. 13.

3278 duplicem verò metamorphoſim pro ſingulari quadam Geometriae intelligentia, & peritia Ariſtoteles inuenit, ſi quidem apud ipſum Libra, & vectis virtute, & facultate circuli ſunt, quamuis in ijs circuli peripheria nulla videatur, hinc & Librae maiores ſunt accuratiores, quia radijs maioribus velocius indicant diſcrimina ponderũ.

3279 appenſae ſupera ſcapi parte, ſi lãcem alteram depreſſeris, redeunt ad aequamentum, quia ſupra ſtabile examen pars librilis amplior erecta eſt.

3280 appenſae infera ſcapi parte non redeunt, quia infra fixum examen pars librilis amplior eſt.

3281 at ſi in medio iugo, veroquè librilis centro appenſa libra ſit, aequipondiae lances quocunque diſpellantur perpetuò tamen redeunt: grauia enim aequamenti ſedem nacta grauiſsima ſunt, quae, ſitum deinceps quelibet aſſecuta, tantò leuiora ſunt, quantò longius ab aequilibrio ſemota ſunt.

Iordanus

3282 iſta videlicet libra ſummus Deus vniuerſum mundum librauit, qua conſiſterent in medio mundi aequamento grauia, indequè diſpulſa, vndiquè redirent ad idem medium, qua de re Iordani luculenta eſt demonſtratio.

3283 quodlibet itaquè pondus in libra quò magis deſcendit tantò minus graueſcit, quoniam ſemper in deſcenſu per magis obliquum arcum mouetur, & ita minus directè, cuius oppoſitum accidit in aſcenſu.

COROLLARIVM.

3284 qua de re qui merces ex pondere vendunt, ſemper in lance librae, plus ponunt mercis, quàm ſatis ſit, vt in deſcenſu librae aliquid inde auferre debeant: tunc enim magis pondus ingraueſcens fraudem facit, & inde lucrũ.

ΕΡΓΑ.

Iordani, & Ariſtotelis concordia

3285 atquè ex his iam tuebimur in librae lancium motu Iordanum ab Ariſtotele non diſcrepare.

3286 Libra igitur rotundae figurae ope, licet eius corpus nuſquam

nusquam appareat, mirabilia supra dicta efficit, quod in statera multò magis sit admirandum, vbi non iam dico nullus circulus: sed lanx vnica sit, proindè ob tantam beneficentiam Astrea librae videlicet inuentrix pro Dea Iustitiae culta fuit, & in coeleste signum relata, & aequaliter tempora diei, noctisquè distribuit, vnde poeta.

„ Libra die somniquè pares vbi fecerit horas,
„ Et medium luci, atquè vmbris iam diuidit orbem.

3287 rotundi anima alteram sibi machinam multo subtiliorē machinata est, vectem nempè: vectis enim subiecto hypomochlio pondus leuabit vnius hominis viribus, quod multarum manuum coniuncta multitudo leuare nequeat, Architectisquè collupis forma suculas versat, modò tollenonis specie aquas è puteis olitoribus exhaurit, modò phalangae forma baiulis, & phalangiarijs proportionalia radijs pondera partitur, modò iugi nomine in aratro bobus aequum arationis laborem dispensat.

3288 hinc etiam transmisio fluminum, hinc toto mundo mare perambulatum: remus enim agit, & impellit nauigiū quia vectis est, scalmus est hypomochlion, mare mobile pondus, remex vectiarius.

3289 gubernaculum exiguum in extremo puppi collocatum ingentes triremium moles inflectet, & quidem sedentis gubernatoris, & tanquam nihil agentis manu, quia gubernaculum est vectis, & radix gubernaculi est hypomochlium.

3290 in extremo autem gubernaculum collocatur, quò facilius obliquet nauim, indequè motus ad proram facilius perueniat: modica enim motio in puppi facta ad prorā latius extenditur, aequalium si quidem angulorum maior cruribus, maior est basi.

3291 sic & vectiarium imperium in ventos etiam fuit: malus enim mochlium est: edolium verò, calx vè mali, hypomochlium, itaquè quantò altioribus antēnis ad summa carchesia velum suspensum fuerit, tantò vectis aurigatio velocior erit, ac vehementior.

3292 hinc etiam in spiritus nō imperium, sed Tyrannis quaedam inuenta est, vt inuitis ac repugnantibus ventis tamē

Mechanica

Mechanica abuteretur, velis nempè à puppi remissis obliquè, modicèquè ad proram obliquatis, remigium inhibitione contraria, & sic nimirum Palinurus Maronis machinatur.

5. Aeneid. „ Colligere arma iubet, validisq; incumbere remis,
„ Obliquatquè sinus in ventum.

3293 hinc & poetae Mechanicam (vt opinor) veritatem sequuti Neptuno tridentem, tanquàm mochlium attribuerunt ipsumquè Μοχλευτήμ id est vectiarium nominarũt, & sic apud nostrum eundem poetam illa machina Troianae naues scopulis illisae subleuantur.

1. Aeneid. „ Cymothoe simul, & Triton adnixus acuto
„ Detrudunt naues scopulo, leuat ipse Tridenti,
„ Et vastas aperit Syrtes, & temperat aequor.

quapropter vt libra Astreae, sic vectis Neptuno consecratus est.

3294 sed vectis non solùm leuandis, & portandis ponderibus, fabris, architectis, olitoribus, baiulis, agricolis, nautis opitulatur: sed siluas, latomias, & liquidorum praela ingressus, ligna, marmora diuidit, vina, olea, vnguenta exprimit: etenim duplicatur in cuneo, magnasquè moles arborum, & marmorum duobus in contrarias partes distrahentibus vectibus diuellit, pars acuta secat acumine, superficies vtrinquè planae, altera deorsum deprimit, altera sursum erigit, hypomochlia sunt ora vtrinquè cuneum excipientis rimae, sic vuae, oleae, mala, pyra, caeteraquè humida praelis subiecta cuneis premuntur, & quicquid liquoris habent persoluere domino compellũtur: sed prae caeteris vectis laudes machinulae duae, forceps, & forfex quotidiano, & propè perpetuo hominum vsu completae sunt.

3295 nec solùm gentilium Mechanica Astraeam in libra, & Neptunum in vecte consecrauit: verùm etiam, & Plutonem suis machinis Deum fecit, si quidem è fodinis aurũ, argentum, caeteraquè metalla innumerabilium machinarum artificio eruuntur.

3296 quin & militiae plurimũ prodest Mechanica: etenim (ait
6. de Rep. ille noster Plato de principe ciuitatis) ad castrametandũ

ad occupandum

ad occupandum locum cõtrahendum, & laxandum aciẽ, tùm copias caeteris modis ordinandum in ipsis, & itineribus, & praelijs plurimùm proderit Geometricusnè sit an non: castrametatio enim Geometrica est: etenim signum à Centurione, tanquàm punctum ponitur, vnde vel circulus si copias exiguas, videri oporteat, vel quadratum si magnas circum quaquè certo interuallo describitur, dimetiente linea transuersa latera secantur, itinera in pontium, & nauium fabrica, in fluminum deriuatione, equitum hinc, & illinc inter pedites medios collocatione Mechanico artificio conficiuntur.

3297 quid tùm verò? locus ijsdem artibus oppugnatur, & propugnatur: hinc enim aggeres, vineae, turres ambulatoriae, caeteraequè machinae oriuntur, atquè talis machinalis fuit illa Geometriae, Architae, Eudoxi, Archimedis, Procli, Prisciquè.

3298 eadem etiam Mechanica figuris suis praeliorum varietates admirabiles efficit cuneo facto apud Caesarem pauci illius milites Sicambrorum nescio quot millia perruperunt, & incolumes euaserunt: orbe autem facto trecenti legionarij sex millia Morinorum amplius horis quatuor sustinuerunt.

3299 quin si orbis multitudine hostium circumuentus sit, lõgitudoquè quam maxima, veluti rectè peripheriam exaequantis porrigatur, facillimè hostium acies diuidi potest, diuisaquè profligari.

PHILOSOPHIA NATVRALIS.

3300 nunc Philosophiae naturalis penetralia ingrediamur, in cuius foribus illud primò adnotandum est, veteres Physica cum Metaphysicis (nequè Platonem etiam excipio) coniunxisse: ipse namquè Plato ipsa Physica ex Deo repetit, & in illis explicandis desinit in hominem: qua occasione nonnulli Platonici de tribus principibus partibus Philosophiae eam extremò loco exposuerunt, quae ad vitam, & mores pertinet, vt ab hominis natura, quae partim corpore, partim animo continetur ad eiusdem vitam, & mores transirent.

in Timaeo

Alcinous de dog. Plat.

3301 Peripatetici verò rectius Physicã à Metaphysica seiũxerũt

quem

quem ordinem, & nos modò sequemur à principijs rerũ naturalium auspicando, si prius tamen iuxta nostrũ morem aliorum Philosophorum opiniones recensebimus.

SCEPTICORVM, ET DOGMATICORVM IN OMNI PHILOSOPHIAE PARTE VNIVERSALIS CONCORDIA.

3302 Et in primis Sceptici nobis se se offerunt, qui cum in vnaquaquè re assensum suspendant, sic etiam & in principijs rerum naturalium omnia exagitant, de omnibusquè dubitant, ad quos ne amplius regrediamur, dicimus nos eos in nullo quaesito, siuè Ethico, siuè Politico, siuè Oeconomico, siuè Sermocinali, siuè Logico, siuè Mathematico, siuè Naturali, siuè Diuino à Dogmaticis dissentire.

ORPHEI, MVSAEI, LINI, THALETIS, HIPPASI, HERACLITI, ANAXIMANDRI, ANAXIMENIS, DIOGENIS, APPOLLONIATIS, ET EORVM DENIQVE OMNIVM OPINIO, QVI VNVM TANTVM MATERIALE PRINCIPIVM POSVERVNT.

3303 Omnes verò illi, quos antiquitas Theologos appellauit, vnum tantùm materiale principium crediderunt, aquam nempè, quibus cum, & Thales Milesius, & Atheos Hippon senserunt: Hippasus verò, & Heraclitus, Anaximander, Anaximenes, Diogenesquè, Appolloniates vnum sanè, & ipsi principiũ materiale posuerunt: sed ab aqua diuersum.

HORVM OMNIVM DEFENSIO IN EO QVOD VNVM TANTVM PRINCIPIVM MATERIALE IN NATVRALIBVS CONSTITVVNTVR.

3304 reprehenduntur autem ab Aristotele praesertim in hoc, quòd formam, quae magis substantiae principium est, quàm materia, reliquerint: caeterum rationes Aristotelis, quibus nititur, ijs quidem qui principijs eius non sunt addicti, nihil videntur demonstrare, si dicamus nullã formam substantiam esse: sed esse partem substantiae secundùm qualitatem, quae modum substantiae obtinet. quia

quia per eius aduentum compositum specificatur, & perficitur, & quia est ita inseparabilis, vt nisi cum interitu compositi separari possit.

COROLLARIA.

3305 atquè hinc alia quaestio dilui potest, qua vocatur in dubium, nùm magis sit substantia compositum, quàm forma: nam si per substantiam intelligimus, quam Graeci vocant ὑπάρξιν, quae de nullo dicitur, sed omnibus subest, ac per se existit, compositum, aç materia erit magis substantia quàm forma: si verò per substantiam intelligimus quam vocat Quintilianus essentiam, vel quam Cicero dicit naturam, & Graeci οὐσίαν, quae est ratio essendi in certa, ac determinata specie, quae à forma oritur, forma sanè erit magis substantia, quàm materia, ac compositū. Auerr. & Alexandri concordia

3306 atquè hinc etiam apparet, neque in hac re Platonem, ab Aristotele dissensisse, licet Plato materiam hoc aliquid dicat, quod sanè vbiquè passim Aristoteles formae tribuit. Simpli. 1. physicorū lxvi. concordia.

3307 apparet etiam neque in eo dissensisse, quod Plato ob nobiliorem essendi modum formas, & ideas, verè substantias asseuerabat: Aristoteles verò composita eo quod, ea quae sunt in mente tenuissimum esse habere videantur, cum tamen composita ad suum verum esse materiam requirant. lxvij. concordia.

ΕΡΓΑ.

PARMENIDIS, MELISSI, XENOPHANIS, DEMOCRITI, ET PYTHAGORAEORVM CVM ARISTOTELE CONCORDIA.

3308 Xenophanes verò, Melissus, & Parmenides licet vnum, & ipsi dixerint principium: non tamē ab Aristotele dissenserunt, Xenophanes quidem, & Parmenides vnum dixerunt, & finitum, eo quod necesse sit vnum esse ante multitudinem, & quòd omnibus finis, & termini caussa sit, & quòd vndequaquè perfectum, proindè ex fine potius, quā ex infinito definiri. Simpliciuſ com. 3. 1. physic.

3309 caeterum Xenophanes tanquā omnium caussam, & quae omnia longè superet, ipsum vltra motum, & quietem, & vltra

vltra quemlibet ordinem inter se repugnantem collocat, quemadmodum & Plato, & Aristoteles, Parmenides autẽ cum eodem modo, & similiter se habere, & vltra omnem mutationem, operationem, & potentiam, eum considerasset, immobilem concedit, & solum, quòd ab omnibus seiunctum sit.

in Parmenide 4. physic.

3310 Melissus quoquè, & similiter illius contemplatus est immutabilitatem: quatenus autem eius non deficit substãtia, & est infinita potentia, eum asseruit infinitum quẽadmodum, & ingenitum: quapropter vt apparet isti tres de Metaphysico principio: non etiam de Physico loquuti sunt.

3311 nec Parmenides dùm de Physicis principijs loqueretur ab Aristotele discrepat: quis enim non videat tenebras priuationem esse, lucem formam: Daemonem verò materiam? nec enim cum Simplicio cõsentio, qui Daemonem caussam efficientem asseruit: cum enim iuxta veterum Philosophorum placita Daemon sit, quid medium, & indifferens, optimè admodum materiam significat.

3312 quòd autem Leucippus Eleates, Democritus Abderites, Metrodorus Chius, inane, atomos, ordinem, situm, figuramquè pro principijs statuerint: non video cur cum Aristotele consentire nequeant: inane namquè, est id quod non est, priuatio nempè, atomi materia, ordo, situs, figuraequè, formae vicem gerunt.

3313 Pythagoraei quoquè siuè vnum, & duo principia fecerint siuè numeros qui à monade sunt vsquè ad decadem, hoc est hinc: & inde decem illos ordines, in quorum medio mathemata reposuerunt, ab Aristotelis sententia non recedunt, in prima namquè opinione vnum forma est: duo verò ob istius numeri infinitatem potentia, materiam omni forma priuatam indicant, in secunda verò sententia ordo malorum priuationem, ordo bonorum formã, mathemata in medio materiam significant.

3314 ad Mathematicas autem in rebus naturalibus confugiebant Pythagoraei, ob illud ἀκρίαμα à Platone etiam decantatum τὸν θεὸν μάλιστα πάντων γεωμετρεῖν, quia numero, mensura, & pondere vniuersitatem constituit, &

in 8. Simposi.

gubernat

gubernat, quod & Plutarchus eleganter declarauit.

ANAXAGORAE CVM NONNVLLIS PERIPATETICIS CIRCA PRINCIPIORVM OPINIONEM CONCORDIA.

3315 Anaxagoras demùm licet cum Aristotele non cõsentiat: conciliari tamẽ aliquo pacto potest cum Alberto Magno, eiusquè sectatoribus, Aristotelis interpretibus, qui quidem credunt ad euitandam formarum creationem, materiam habere formas coaeternas in esse essentiae, qua sanè in re Anaxagorae adhaerent, qui omnium rerum seminarium quoddam proponebat, ac in omnibus omnia esse dicebat.

3316 licet etiam aliquo pacto inter se dissentiant, quòd Anaxagoras omnes res in illa miscella existere asseueraret: hi verò formas in materia, in confuso, & in essentiae esse dicant, & forsan in hoc etiam conciliari possunt: sed iã ad Platonem, Aristotelemquè transeamus.

PLATONIS SENTENTIA DE PRINCIPIIS RERVM.

3317 Plato rerum tres caussas, tresquè concaussas esse arbitratus est. Simplic. physic. com. 3.

RERVM CAVSSAE IVXTA PLATONIS DOGMATA.

3318 caussae verò efficiens, exemplaris, atquè finalis sunt. solet autem à Platonicis dubitari nùm res ab hoc efficiente caussatiuè solùm pendeant, an etiam temporariè, in qua dubitatione Atticus, Plutarchus, & Seuerus, illius sententiae sunt, vt res omnes factae ab hoc efficiente, & caussatiuè, & temporariè pendeant, at interpretantibus Crantore, Plotino, Porphyrio, Iamblico, Proclo, & plerisquè alijs, res fuerunt semper, à Deo tamen, quòd si vt initio temporis res carentes consideraueris, ingenitas dices, si verò vti perpetuas, à Deo earum effluxus affirmabis: quae sanè sententia potior est. Proc. i. I. com. Tim. C Icidius in Tim. Marf. Fici. in Tim c. 7. 9. & 14.

3319 huius autem opinionis Platonici adinuicem altercantur dum quaerunt, numquid Deus mundi author, idem & materiae sit effector, in quo quidem quaesito trifariàm scinduntur: Ammonij enim, & Origenis schola eundem

esse affirmat, & in Parmenide quidem tractari quemadmodum materia esse à Deo accipiat, in Timaeo verò qua ratione ab eodem accipiat bene esse: alia verò communior Platonicorum schola, non eundem esse Deum dicit, qui materiam facit, & qui format, imò materiam à summo quidem bono esse: ab intellectu vero formari, at istae opiniones facillimè simul componi possunt, si dicamus materiae esse à primo tantùm effici, formari autem à primo per intellectum, perindè ac si fingamus figulum quẽdam, qui manu propria lutum faciat, factumquè per rotam formet.

Platonicorum concordia.

3320 et hae duae opiniones iuxta principia Platonica sustineri possunt.

3321 est & tertia opinio materiam à Deo non effici, cui sanè opinioni videntur verba Timaei fauere, & proindè iuxta horum opinionem Deum rerum caussam efficientem eatenus affirmare licet, quatenus rebus vnitatem, ordinẽ, & motum largitur, quae quidem opinio, licet à veriori simpliciter remotior sit, in tenebris tamen humanae Philosophiae, quae lumine diuino orbata, interdùm in maximos detrusa est errores, probabilior visa est.

lxviij. cõcordia.

3322 à qua nec Aristoteles abest.

3323 atquè cum iam ex concessis statim sequatur exemplarẽ caussam dari: quis enim, ea efficiat, quae non nouit? patet & in exemplari caussa Aristotelem, & Platonem consensisse, licet Gemistius Plethon, eò quod existimarit apud Aristotelem Deum rerum caussam efficientem non esse, exemplarem quoquè iuxta huius principia penitus sustulerit.

Plato in Hippia.

lxviiij. cõcordia. de diff. Plato & Arist.

3324 finalis autem caussa bonum fuit.

3325 quòd si quaeras cur Aristoteles istas caussas inter sua principia non adnumerarit, cum tamen eas illi cognitas, atquè v.i veras amplexas audeamus affirmare, facilis, & absoluta erit responsio, si dicamus Aristotelem cum Metaphysica, à Physicis seiunxerit, ea tantùm adnumerasse principia, ex quibus res constitutiue fiunt secundum naturam: Plato verò cum Metaphysicam, & Physicam simul coniunxerit, consideraritquè principia non modò vt consti-

lxx. concordia.

vt constituunt: verùm etiam vt efficiunt, proindè aliam viam, non tamen Aristoteli ignotam, aut contrariam, sequutus esse videtur.

RERVM CONCAVSSAE IVXTA PLATONIS SENTENTIAM.

3326 et ob hoc materiam, formamque simul cum instrumēto concaussas (vt omnes asserunt Platonici) visus est credere: materia namquè ex suppositione necessaria est: si enī domus fieri debet talis, aut talis materia adsit necesse est, forma autem & ipsa efficiens sequitur, qua fit, vt vna cum materia ad concaussas referatur.

3327 in quibus ea repugnantia, quae inter Platonem, & Aristotelem apparet, ex ijsdem supradictis principijs componi potest. lxxi. concordia.

ARISTOTELIS SENTENTIA DE PRINCIPIIS RERVM NATVRALIVM.

3328 quod vt & magis clarae liqueat Aristotelis sententiam explicabimus, qui cum Physica à Metaphysicis seiunxerit, proindè iuxta illius doctrinam ea nunc tantùm rimanda sunt principia, quae ad res naturales promēdas satis sint.

3329 sunt autem illa materia, priuatio, & forma.

MATERIA.

3330 Materia cum ad Physicum, & ad Metaphysicum pertineat diuerso tamen modo ab vtroquè definitur: cum enim Physicus eam consideret, vt est mutationis subiectum, proindè per motum illam definit, Metaphysicus verò, qui eam vti substantiam, & vnum ex principijs entium considerat, per negationem entium perfectorum illius cognitionem absoluit. 1. physic. 82. 7. Metaph: 8.

3331 et propterea Plato, qui vt diximus Physicam à Metaphysica non diuisit, illam vbiquè non ens infra ens nominat. lxxij. concordia.

3332 sed ex dictis quaeri solet nùm materia sit actu, in qua quaestione Latini tria diuersa protulere, Gregorius enī de Arimino à materia, secundùm se actum, tātummodò formalem seiunxit, caeteros verò actus ab ipso positos existentiae nempè, ac essentiae, materiae veluti proprios adiudicauit: Scotus autem illi actum entitatiuum, quem 1 sophista & alibi. 2. sentent. dis. 12. q. 2. ibidem.

alij actum essentiae dicunt concessit, reliquos verò existentiae nempè, & formalem illam habere quidem: sed à forma fassus est, contra hos omnes Thomistae nullum actum ex se habere materiam: sed omnes accipere à forma audacter dicunt: in his autem diuersis opinionibus (demptis solummodò paucis) non est quòd à Scoto recedamus, cuius sententiam prius Graecorum multi cōprobarunt.

Simplicius Them. in digress. 1. de pot. mat.

3333 deinceps dubitari solet num potentia de materiae essentia sit, cui sanè quaesito Themistius altius rem repetendo sic satisfacit, vt sint nonnulla, quae per se considerantur, alia verò, quae per comparationem ad alterum, ex quibus infert materiam ad suam essentiam constituendam non indigere potestate, nequè potestatem vllam in prima ac simplici ratione materiae includi: sed primùm rem quandam esse in se, & existere actu, deinde intelligi aliorum esse, & secundum posteriorem hanc consideratione rationem potentiae contrahere, quae sanè sententia omnibus alijs praeferenda est, dicāt quicquid volunt Latini.

de subst. orbis.cap. 3. & 4. 2. sentent. distin. 12. quaest. 2. ar. 1.

3334 illud etiam maximè controuersum est, an sit aliquid in rerum mutatione, quod maneat in materia, illiquè coaeuum sit, in qua re Auerroys, & Gregorius Ariminensis affirmant materiam habere in se quantitatem longam, latam, & profundam, quae cum varijs formis adaptetur in se dicitur interminata, quandòquidem terminum certum non habet, nisi forma accedente, idquè eo praesertim probant argumento, quòd materia formam aliquam prius non recipiat, nisi sit ab alijs partibus materiae separata, quod quidem cum nisi per quantitatem possit esse, propterea ante aduentum formae praecedit in materia quantitas cui sententiae, & nonnulli Graecorum veluti Simplicius adstipulatur, hancquè & Pythagorae, & Aristotelis, & Platonis germanam esse sententiam palàm dictitant, atquè ob id fatentur Platonem materiei magnum, & paruum adiudicasse, quo facilius alijs hanc interminatam dimensionem ob oculos poneret, quae tamen opinio, nec rationi, nec Platoni, nec Aristoteli consona est.

1. physic. com. 75

placuit

3335 placuit autem Stoicorum quamplurimis materiam esse actu corpus, quae sanè opinio, & superiore absurdior est, dicat quicquid vult Philoponus. cap. 11. de mundi aeter.

3336 Auicennas verò ausus est affirmare materiam quandam formam substantialem sibi coaeternam habere, ratione cuius corpus sit indeterminatum, quae opinio purum est figmentum. lib. 1 suff. cap. 2.

3337 Scotus cum Auicenna consensisse videtur in hac forma (vt ipsi dicunt) corporeitatis, in eo tamen fuit differens, quòd illam in viuentibus tantùm posuit, eamquè produci dixit ex mistione elementorum, & corrumpi cum viuens dissoluitur in elementa, motus (ni fallor) ea ratione, quòd cum plura ab vnica forma prouenire queunt, formae nequaquàm multiplicandae sunt: at tùm multiplicandae cum ab vnica minimè possunt fluere: verùm cum in viuentibus, esse corpus, & esse animatum ab eadē forma (esse namquè corporeum quo pacto ab anima indiuisibili potest nasci) non possint oriri, proindè duas formas cōstituere alteram à qua sit corpus, alteram à qua sit animatum, opus est; at & opinio, & ratio falsae. 4. senten. dis. 11. q. 2. ar. 2.

3338 nequè enim omnis anima est indiuisibilis, quandòquidem animae plantarum, & imperfectorum animalium diuisionem suscipiunt, praeterea licet hominis anima secundùm substantiam indiuisibilis sit, est tamen secundùm operationes diuisibilis, & proindè sicuti reliquae formae propter suum esse quantitatem in materia inducunt, sic & anima rationalis propter suas operationes.

3339 vt haec igitur controuersia dirimatur praestat dicere, quòd in materia duo sunt animaduertenda, quaedam prius ad recipiendum aptitudo, quem si placet receptibilitatem nominemus, deinde aptitudo vt in partes, quae eandem cum toto habeant rationem diuidi posit, quam diuisibilitatē dicemus, proindè sua natura materia duas obtinet aptitudines, alteram, qua formas appetit, vt perficiatur (est enim longè omnium imperfectissima) quam receptibilitatem diximus, & alteram diuisibilitatem, qua plures formas ob suam ad eas propensionem recipere valet, atq; haec Graecis quātitas materialis nominat̄.

3340 quantitas autem formalis est, quae pro formarum varietate varios sortitur terminos, quae quidem maxima est in igne, quandòquidem ille habet formam, quae materiam tenuissimam requirit: quoniā calidi est rarefacere.

3341 nihil itaquè praecedit in materia, quae immediatè vnitur formae substantiali, quantitasquè praecedentis compositi separat materiam illam ab alijs omnibus, vsquè quo ab agente forma generanda introducatur, qua adueniente noua quantitas cum nouo composito succedit, quod & rectè Diuus Thomas sensit.

quaest. de anima art. 9. 1. par. q. 76. art. 6.

3342 solet illud demùm quaeri quo pacto appetat materia formam, Auicennas enim audacter dixit se nescire in quo sensu ista propositio Aristotelis vera sit: nequè enim hoc est quia sit omni forma nuda, nec q̄a satietatē habeat alicuius formae, cum aequaliter se ad omnem formam habeat, nec quia plures simul velit formas, cum hoc esse nequeat, nec quia motum aliquem habeat circa formam, cum ex se careat omni motu, nec demùm quia sit in ea aliquod principium intrinsecum impellens eam ad formā, cum simplex sit substantia, & omni adiecto priuata.

1. suffi.

3343 at labitur Auicennas cum eum omiserit modum, quo verè materia dicitur appetere, qui ex carentia formae cū proportione ad eam sine dubio nascitur.

PRIVATIO.

3344 cum autem initia rerum contraria (vti sensit Aristoteles) debeant esse, priuationem tanquam principium altera ex parte repugnans formae adducimus, quam quidem nè existimes ita inhaerere materiae, cum ipsa nihil sit, vti forma: priuatio namquè concipitur relatione formae aduenturae, qua priuata est materia, cumquè ex se nihil efficiat idcirco accidentarium initium appellatur.

3345 possumus tamen simul, & cum omnibus Graecis, & cum Auerroe tueri priuationem esse principium per se.

3346 hanc autem Platonicorum nonnulli occasionem esse duntaxat rerum generationis quatenus eius caussa forma adhibetur, non initium, asserunt: quae sanè sententia vera est.

3347 quod autem addunt inter principia nullo pacto adnumerandam

merandam esse, propterea quòd si quatenus formae inducendae occasionem praebet, principium debet appellari, cur non etiam motum, ac tempus, potentiamquè materiae principia dicimus, quandò sine illis forma in subiectum induci nequit? non est vsquè quaquè tutum: priuatio enim terminum à quo indicat, qui quidem, nec à motu, nec à tempore, nec à potentia indicatur.

3348 non est itaquè cur & in hoc velimus Platonem ab Aristotele dissentire: ille enim principiũ per accidens omisit, quod tamen cognouit absquè dubio. lxxiij. concordia.

3349 bifariàm autem differt à negatione pura, tùm quòd & subiectum aliquod infert, tùm quòd & aptitudinem in subiecto dicit. Simplic. 1. physic.

FORMA.

3350 est autem tertium principium secundum Aristotelem forma, quam nonnulli negant Platonem cognouisse: sed prorsus iniuria, si quidem vt rectè etiam animaduertit Simplicius, duplex est forma ex Platonis sententia, quarum altera ingenita est, & ab interitu aliena, altera verò sensilis genita, quae semper fertur, & in eo loco, in quo gignitur in eodem etiam interit. lxxiiij. cõcordia. 1. physic. com. 74.

3351 sunt etiam & qui dicant eam ex sententia Platonis induci solum, quod Aristoteles negasse videtur; verùm non rectè isti verba Platonis expenderunt, qui sic ait. lxxv. concordia.

„ Si illa tunc quatuor genera, ab ipso eorum receptaculo instrumenti illius pistorij instar tumultuante, & discernente commota, dissimillima quaequè à dissimillimis longè separabantur: simillima verò rursus coibant, atquè idcirco etiam ante mundi exornationem sedibus diuisa erant: sed nequè his ratio inerat, nequè modus, at verò vbi cuncta redigi ad modum placuit Deus ignem primò, ac terrã, & aquam (quae quidem elementorum praeseferebant vestigia: sed ità erant affecta, vt par est illis, à quibus Deus abest) distinctis figuris speciebus, & numeris exornauit.

3352 quòd autem ex istis crediderunt alij Platonem formas in actu (vt dicũt Latinorum nonnulli) essentiae in materia Albertus Magnus.

lxxvi. concordia. reposuisse, non est aliquo pacto admittendum, quod etiã absurdum esse ex Aristotelis sententia demonstrabimus.

3353 eodem etiam pacto negandum est eosdem concessisse in materia formas remissas, siuè entitates quasdam positiuas: si enim quid diuersum essent à materia, iam compositum facerent, aut per se, aut per accidens ante formã, quorum neutrum verum est. Duran. secund. sent. dist. 18.

3354 nequè tamen ob haec creationem iuxtà Philosophorum opinionem concedimus; in hac enim re Philosophi penitus caecutientes, à vero lumine prorsus recesserunt.

NATVRA.

3355 Vtrumquè autem principium per se materia nempè, & forma natura est apud Aristotelem, qua in re mirum est sanè quo pacto in hoc Peripatetici à Platonicis dissẽtire velint, cum sensus amborum in naturae essentia aperienda (licet diuersis verbis explicatus) idem penitus sit, magnum namquè seminarium, quod quidem iuxta Platonicos natura est, continet materiam rerum omnium infimam, & abiectissimam, continetquè processus seminũ, qui semper adsunt, semperquè inhaerent materiae: Platonici enim ea rerum semina appellant, quorum praesentia in materia generationem absoluit. lxxvij. concordia.

3356 cumquè ipsi semina magis naturam, quàm materiam appellarint, idem cum Aristotele dicunt, qui formam magis naturam, ac materia sit affirmat. lxxviij. cõcordia. a physic.

3357 in eo autem Platonici ab Aristotele dissentire existimãtur, quòd eorum nonnulli, cum nunquàm appetitum à cognitione seiunxerint, proindè semper etiam in naturalibus appetitum cognitionem sequi dixerunt, quo fit, vt multos ordines cognitionis, multosquè appetitus ex Platone tradiderint, vnde & asseuerationis, voluptatisq; non simplex genus apud ipsos. 17.d Rep. Diacetus lib. 3. de Amor. cap. 1.

3358 prima veritas mundi intelligibilis est, in quo res omnes suis principijs coaequatae re vera participant bonitatis, prima vis cognoscendi, primaquè appetendi in hoc genus incumbit, alterum intellectum, alterum voluntatem appellant, quorum intellectus asseueratione, certitudinequè, voluntas autem voluptate perficitur. secundus

ordo

ordo veri, ac boni animae ipsius est, cuius verum etsi non primò: est tamen verum, & bonum ratiocinabile, secunda vis cognoscendi, & appetendi, ratio scilicet, & electio huic generi addicta est, haecquè suam habet voluptatem, quemadmodum ratio suam asseuerationem, quam propriè scientiam licet nuncupare. tertius ordo veri, ac boni ab ipsis magno seminario tribuitur, cuius cognitionē ipsi sensum intimum dicunt, suamquè cupiditatem principium corporeae pulchritudinis, quam voluptatē imaginariam dicunt sicuti asseuerationem fidem. quartum ordinem ad corpus transferunt, in quo verum, ac bonū vmbratile reponunt, proindè apud eos istius cognoscendi vis sensus est particularis, cuius nulla asseueratio: sed potius adsimilatio quaedam, cupiditatem huius cognitionis, vmbram nimirum verae cupiditatis, voluptatem omninò vmbratilem, inanemquè dicunt, hinc & eos admirantur, qui appetitum in naturalem, & cognoscentē diuidunt, cum apud ipsos fieri nequeat, vt aliquid sit citrà cognitionem appetitus, quam sanè sententiam, non solum veteres Magi, & Orpheus: sed & Plotinus accepisse videntur.

3359 nequè tamen Platoni consona est: is enim animata ab i Phaedro
inanimis sic sciunxit, quod corpus cui inest vt extrinse-
cus moueatur non anima sit, cui autem vt intrinsecus Simpli. 2. physic.
animatum, quin etiam, & in legibus, quod intrinsecus com. 11.
mouetur inquit viuere dicimus, & in hoc animatum
differt ab inanimato, quod etiam Aristoteles iisdem lxxix. concordia.
propè verbis dixit. 2 d̄ anima

3360 sed ex his dubitabit quispiam quo pacto natura sit prin-
cipium motus eius in quo est, nequè enim in hoc satis si- 3. coeli com. 28.
bi constant Aristotelis interpretes, Auerroys enim & nō- Iand. 9.
nulli alij, dicunt principium motus actiuum ad actum phys. q. 12.
accidentarium esse eius in quo est: at principium motus Greg 2.
ad actum essentialem ab alio esse, cui sanè opinioni op- sent. di. 6. q. 1. art. 3.
ponitur è regione Diuus Thomas, qui asserit inanimata 2. & 8. phy
non moueri actiuè à se: verùm ab extrinseco, siuè à gene- sic. t. 32.
rante, siuè à remouente prohibens, ita vt omnia sint prin- 3. p. summae
cipia passiua, quae in ipsis sunt inanimatis; sed vtraquè quaest. 32. art. 4.
opinio

opinio aliqua moderatione indiget.

3361 natura enim notat principium simile principio motus in artibus, cum hac tamen differentia, quòd in artibus verè sit efficiens: in natura verò excitamentum quoddã, & impetus, quod sit (vt etiam rectè dixit Aristoteles) tanquàm principium, & caussa, verùm quia est principium motus, vt in se se recipitur, & vt in subiecto in quo est ille impetus, ideo is impetus interdũ Aristoteli principium passiuum, nonnunquàm actiuum nominatur à forma enim qua forma est habetur impetus, ab eadem verò vt est in materia principium passiuum.

Car. Cõt. l.1.ď elem

3362 differuntquè animalia à non animalibus, quòd in his, quae animalia non sunt nihil est, quod queat esse caussa illius impetus, cuius nixu mouentur: verùm generans tribuit ei simul cum forma impetum hunc, quem habet ad proprium, naturalemquè locum, appetitus autẽ quicunque animalis sequitur apprehensionem siuè boni, siuè mali, quae quidem apprehensio cum intrinseca sit animalis operatio, ideo animal ex se mouere dicimus, quo pacto nõn animalia non mouentur.

í Phaedro lxxx. concordia.

3363 verùm dubium est de plantis an eo modo, quo animalia moueantur, vel eo quo non animalia: cum primis enim Plato adnumerandus videtur, cum secundis Aristoteles: at nos eorum dicta conciliabimus.

COROLLARIVM.

lxxxi. concordia.

3364 ex his liquere iam credo in Physicis formam à materia non esse seiungendam: quòd si secus Plato sensisse videtur meminerimus (quicquid in hoc dicat Simplicius, qui dum in hac re hosce viros conciliare studet, eos magis inter se repugnantes reddit) Platonem Physicam cum Metaphysica coniunxisse, & ob id Metaphisicè loquẽdo, formam saepius à materia seiunxisse, atquè in suum principium, in ideam nempè resoluisse.

EPTA.

CAVSSAE.

3365 initia omnia, vel intra subiectum corpus, quod fit, posita sunt, vel extra ipsum, quae extra subiectum ea sunt, quae cum efficiendi vim habeant ob naturae sinceritatẽ in illud

in illud non ſubeunt, quae verò intra ſubiectum ideo initia dicuntur, quod illud conſtituant velut totum ipſae partes, cuiuſmodi ſunt materia, & forma, atquè haec rurſus, vel primò conſiderantur, pro vt res primò componunt, tuncquè initia prima dicuntur, interiorum ratione, vt materia, & forma, vel ſecundò, quatenus particularem efficiendi rationem habent, cuius generis ſunt cauſſae de quibus hoc loco diſſerendum.

3366 ad eas autem quatuor ſpecies cauſſarum, quae apud Ariſtotelem ſunt notiſsimae, obſeruauit Beſſario Cardinalis à Platone quintam adijci exemplarem, & alio loco ſextã organicam, ex eoquè concludit ampliorem eſſe apud hunc, quàm apud illum cauſſarum diuiſionem, idem de praetermiſſa cauſſa, organica Ariſtoteli obijcit Ioannes Argenterius, quanquàm haec à Peripateticis ad efficiẽtẽ reuocatur: ſic enim Ariſtoteles coctionis in corporibus animatis efficientem cauſſam modò ipſi animae, modò natiuo calori attribuit, ab ipſis autem medicis, qui ad ſenſum ſe demittere ſolent, eadem pro principe cauſſa efficiente plerunquè vſurpatur. lib. 2. c. 5. in cal. plat cap 2. l. 1. de morbo rum cauſ. 4. meteor.

3367 quanquàm de organica memini aliud viſum Iulio Scaligero, hanc ſcilicet in prima cauſſarum diuiſione non eſſe adnumerandam, quòd abſolutè cauſſa non ſit: ſed potius concauſſa, quandòquidem non mouet niſi mota, at hoc idem etiam de materia dici poſſet. in comẽt. lib. 2. de plantis.

3368 dicamus itaquè hanc diuerſitatem ex eo fluxiſſe, quòd Plato Metaphyſica, cum Phyſicis miſcuit, quod non fecit Ariſtoteles, quod ſanè concilium inter omnes Ariſtotelis interpretes ſolus Euſtrathius intellexiſſe videtur. lxxxij. con cordia. 2. poſter. c. de cauſ.

DIVISIO CAVSSARVM.

3369 diuiduntur autem ſummae cauſſae, in cauſſas per ſe, & per accidens.

CAVSSAE PER SE.

3370 cauſſae per ſe iuxtà Ariſtotelem quatuor ſunt.

FINIS.

3371 in quibus à fine auſpicabimur, in cuius conſideratione primùm id in dubium vocatur, nùm idem ſit finis generationis, & id quod per generationem fit: nam quamuis dicat

2. physic. dicat Aristoteles finem generationis esse formam, tamen forma non fit: sed compositum, neque in hoc satisfaciunt nobis Latinorum nonnulli, qui quidem aiunt, quod
Burleus. terminus totalis sit compositum, & formalis forma: terminus enim est vnus, finis nempe generationis, qui quidem forma est.

3372 Scotus. neque hoc quod dicitur formam esse terminum quo, & compositum terminum quod, est peripatetice dictum, cum forma sit finis quod, licet quod fit compositum sit, cuius gratia forma producta est in materia.

3373 non est igitur dubitandum quare forma dicatur terminus, quia per formam tanquam caussam gignitur compositum, ipsa verò cum sit simplex secundum totum accipit esse, & propterea dicitur finis, nempe vt caussa, & vt simplex, itaque completa generatione, completus est actus compositi, & factus est, atque iccirco forma nequaquam dicitur generari, quia ad eam non concurrit nisi quatenus caussa.

3374 id etiam in dubium vertitur, quo pacto finis gratia cuius omnia fiunt, cum priusquam motus agentis perficiatur, nō existat actu, possit dici caussa, si quidem quod non est, non est appellanda caussa, quòd nullum caussae modum, aut rationem habeat, nec etiam bonum quod in in anima mouentis est finis meretur appellari, cum tùm rationem obtineat agentis caussae, quod & Auerroys
12. met. com. 36. fassus est, quare in nullo genere caussae censeri debet. caeterum respondendum est, quod id quod est in agente, vt in illius est anima, nequit mouere agens motu illo metaphorico, neque potest esse id, gratia cuius omnia fiunt: sed solum est in virtute caussae agentis, quod & experientia comprobatur, si quidem si sit quoddam bonum, quod non sit in virtute agentis, non potest esse id bonum cuius gratia operetur agens, cum id quamuis sit appetibile, haud moueat ad actionem.

EFFICIENS.

3375 efficiens per se iuxtà Physicos, fatum est.

FATVM IVXTA STOICORVM OPINIONEM.

3376 Stoici, Mathematicique fatum cuncta necessario cogere dixerunt

dixerunt, quòd quemadmodum ad Fatum id se habet, quod praeteritum est, ita & se habere videtur id, quod futurum est, & quòd si prima caussa ex necessitate mouet, intermediae quoquè vniuersae caussae de necessitate, & mouent, & mouentur, quam sanè opinionem Petrus Pōponacius malè ausus est defendere.

3377 praeterea etsi iuxta hos à certa, & determinata caussa, & caussarum connexione cuncta fiant, fortuita tamen, & casualia non auferunt, quod ita declarare Pomponacius contendit, vt in hanc sententiam cum Stoicis venire Peripateticos posse, se persuadere existimet, dicit itaquè ad effectum casualem tria secundum Stoicos requiri, vnum qòud caussa sit occulta, quòd relatio non fiat ad omnes caussas, quòd effectus sit de numero eorum, qui à caussa vt in paucioribus producantur. lib. de Fato.

3378 videtur etiam ex Stoicorum opinione Pomponacius cōtingens, & possibile concedere, si quidem possibile illud dicit, quod vt fiat, vel sit à nullo impeditum est, contingens verò illud quod non semper est: sed vel in praeterito aliquando non fuit, vel in futuro quandoquè tandem esse desinet, ex quibus minimè tolli dicit, quin ex certa, & ab aeterno determinata caussarum connexione ineuitabili necessitate, & contingens, & possibile fiat.

3379 tuetur etiam & in nobis liberum arbitrium ex eo, quod in nobis remanet semper velle & nolle: nam etsi quod volumus, aut nolumus ineuitabili necessitate volumus, aut nolumus, volumus nihilòminus, vel nolumus: in velle autem, & nolle nullo praeterea addito vniuersa secundum Stoicos consistit humani arbitrij libertas.

3380 quòd si id obijciatur, quod sentiunt Peripatetici, videlicet quòd non in velle duntaxat, & nolle nostra consistit libertas: non enim quia volumus, aut nolumus liberi arbitrij sumus: sed quia cum ratione, & electione volumus aut nolumus, replicat Pomponacius, & quasi argumentū retorquet, ita vt non solùm ad Stoicorum: sed etiam ad Peripateticorum decreta demonstrare conetur, quòd id quod volumus, aut nolumus, ineuitabili necessitate, aut velimus, aut nolimus, si quidem eo tempore, quo deter-

minatur voluntas, vnum tantùm, & vno duntaxat modo vult, & operatur, nō potest igitur non velle id, quod vult, quādo vult, quamobrē si vult, impermutabili necessitate vult, aut si non vult, impermutabili necessitate non vult.

HORVM EXPVGNATIO.

3381 sed vt ordine praepostero satisfaciamus illis, dicendum quod nullo extrinseco determinatur voluntariū: sed sese & solo praecedente cum ratione consilio, ad quam maluerit partē se determinat, quae determinatio aliud est nihil, quàm practici Syllogismi conclusio: est enim ita sui iuris, vt etsi ab extrinseco persuaderi, & allici aliquo modo queat, nullo tamen modo à re extrinseca, ita impelli potest, quin semper quam maluerit contradictionis partem eligere possit.

CONTINGENTIA.

3382 in contingentibus autem, & possibilibus errant penitus; siquidem contingentia talis est ex positione intrinseca, non autem extrinseca.

3383 licet detur contingentia ab extrinseco.

FORTVNA, ET CASVS.

3384 sic & in fortuitis errant toto coelo: fortuna enim, & casus caussae sunt efficientes per accidens à nullo intentae: tantùm abest vt sint determinatae, & per se, vt dicebant Stoici.

3385 defendemus tamen Boethium, qui fortunam effectum magis, quam caussam appellauit.

3386 illud obiter placuit nobis modò perquirere an detur bona fortuna: quotus enim quisquè effectus sit bonus, qui alicui praeter intentionem accidat? an quia potest accidere praeter intentionem, quam Latini dicunt actualem, proindè bona fortuna datur.

3387 quinimò non datur.

3388 rationes autem quibus nituntur Stoici nullius sunt ponderis.

PLATONICORVM DE FATO SENTENTIA.

3389 Platonicorum de Fato opinio creditur eadem cum opinione Trismegisti, qui ex tribus Fatum constare dixit, videlicet

in Aescle-piad.

videlicet imarmene, quae rerum omnium parit initia, necessitate, quae initia illa ad progressum cogit, ad finêquè ea perducit, quae ex imarmenes primordijs pendent, & ordine id est textura, & dispositione temporis rerum perficiendarum.

3390 haec tria nisi ego fallor vim Fati, quasi in triplicem personam partientes appellarunt poetae Lachesim, Clotho, Atropon, tres filias Demogorgonis, de quibus Plato diffusè. Lachesis sit ipsa Εἱμαρμένη, quae caussarum serie, & connexione rerum omnium parit initia atquè caussas, Clotho est ordo, & textura ipsarum rerum. atquè caussarum, quarum per Lachesim, & caussarum seriem subministrantur initia, Atropos verò rerum necessitas, qua ea producantur, & quae Lachesis, & Clotho deposcit. x. de Rep.

3391 haec omnia visus est vno carmine perstrinxisse Ouidius.

„ Clotho colum bajulat, Lachesis trahit, Atropos occat.

praeterquàm quòd munera (aut ego fallor) Clotho, & Lachesis visus est permutasse, & quod Lachesi Plato tribuat, ille Clotho, & contra id quod Clotho, ille Lachesi tribuisse videatur.

3392 non desunt etiam inter Platonicos, qui aliter haec interpretantur, dicunt enim isti Sphaeram stellarum fixarum Atropon esse: planetarum verò orbes Clothon, naturam postremò sublunarium Lachesim.

ARISTOTELIS DE FATO SENTENTIA.

3393 est autem secundum Aristotelem Fatum idem quod ipsa natura, & Fato illa secundum Aristotelem dicuntur euenire, vel fieri, quae ab ipsa natura eueniunt, & fiunt, in quem modum Fatum sumpsit, cum de Didone loquebatur Virgilius. Alex. de Fato. 4. Aeneid.

„ Nam quia nec Fato merita, nec Morte peribat.

& alibi.

„ Haud equidem credo, quia sit diuinitus illis 1. Georg.
„ Ingenium, aut rerum Fato prudentia maior.

COROLLARIA.

3394 ex quibus duo pulcherrima, & scitu dignissima Corollaria colligere possumus, vnum quòd in his, quae Fato

ſunt, locum habent etiam illa, quae praeter Fatum fiūt: non enim natura intentum finem ſemper aſſequitur: ſed vt in pluribus, naturam autem non aſſequi quod intendit praeter Fatum eſt, ſicuti eſt praeter naturam.

cap. 4. lib. de Fato. 3395 ſecundum quod non malè viſus eſt dicere Alexander à quo ſumpſit Simon portius vir egregiè doctus, quòd illi homines ad Ariſtotelis diſciplinam Fato viuere dicendi ſunt, qui tùm pro temperamenti ratione longam, aut breuem vitam, tùm pro ingenij ſui natura plus, vel minus honeſtè viuere dicuntur, eoſdem itidem Fato mori dicemus, qui illud mortis genus incurrunt, quod eorum vitae, & conſuetudini, & naturali, vt ita dixerim inclinationi quaſi conſequens eſſe videatur, vt is qui natura guloſus eſt ciborum cruditate obruatur, qui iracundus ferro tollatur, qui fur eſt, laqueo ſtrangulante finiatur.

ΕΡΓΑ.

PLATONIS, ET ARISTOTELIS CIRCA FATVM CONCORDIA.

3396 exiſtimantur autem Plato, & Ariſtoteles circa Fatum in eo primo diſſentire, quòd Plato neceſsitatem Fato tribuerit, quod ex eo patere dicunt dùm de lege Adraſtia meminit, ex qua ineuitabilem neceſsitatem oriri viſus eſt dixiſſe, quàm tamen neceſsitatem à Fato procul dubio ſeiunxit Ariſtoteles: ſed nòn videmus nos cur & Plato neceſsitatē ex ſuppoſitione, ſimul cū Ariſtotele Fato non adiunxerit, quandòquidem neceſsitatem abſquè inarmeni nunquam poſuit.

î Phaedro

lxxxiij. cōcordia.

3397 quòd ſi interdum Adraſtiam tuetur, non video cur à neceſsitate Parcarum illam diſtinguamus.

lxxxiiij. cōcordia.

3398 quin & ipſe Plato Fatum naturam quandam de creatore pendentem eſſe dixit: poſtquam enim vniuerſi naturam, & animas hominum, aethereiſquè vehiculis iunctos expoſuit, tùm leges ijs aperiri Fatales narrat, quibus legibus animae, vt animae ſunt, minimè obtemperant, praeſtantiores enim ſunt, quamdiu viuunt mentis ratione, & prouidētiae lumine apud ſummum Deum fruuntur: ſed corporea vehiculorum natura, & ſorte, qua ad colendas, gubernandaſq; terrae partes ducūtur, Fato ſubijciuntur.

Beſſ. lib. 4. cap. 9.

hoc tamen

3399 hoc tamen inter eos intereſt, quòd latius naturam ſumpſit Plato, quam Ariſtoteles: iſte enim naturam ſolùm in rebus generabilibus, & corruptibilibus reſtrinxit.

ACCIDENTIA PRAETER NATVRAM, ET FATVM.

3400 ex cauſsis autem operantibus in natura per accidẽs oriuntur ea, quae praeter naturam accidunt, quae cum eadẽ cum caſu ſint, differunt tamen ab eo, quod accidentia praeter naturam principium habent motus intrinſecum, vt in monſtris apparet, caſus verò extrinſecum.

3401 verùm ſunt nè intenta à natura monſtra? nos vtramquè partem tuebimur.

MOTVS.

3402 cum autem ſuperius dictum ſit naturam eſſe principium motus, proindè ratio poſtulare videtur, vt de motu diſſeramus.

3403 in quo illud prius ſe ſe nobis offert, num Plato, qui motum aſſeruit vnum eſſe entis genus veluti ſubſtantiam ab Ariſtotele diſcrepet, qui motum praeter res non admittit, eumquè genus negat. at in hoc ni fallor rectè ſatisfaciunt Simplicius, & Syrianus dum aſſerunt aliud eſſe ſignificatum generis, quod diuiditur in ſpecies, quae aequaliter participant genere, quod quidem à motu Ariſtoteles aufert, & aliud generis ſignificatum, ſecundùm quod genera entis appellat Plato, quae per omnia non aequè tranſeunt. i Sophiſta 3. phiſ. 14. lxxxv. concordia. 3. phyſic. cap. 4. 3. metaph.

COROLLARIVM.

3404 atquè ſic etiam apparet in numero praedicamentorum eos ſibimet non aduerſari, licet Plato quinque, Ariſtoteles autem decem illa credat. lxxxvi. concordia.

EPΓA.

3405 illud autem in dubium verti ſolet quo pacto motus diſtinguatur à termino ſuo, ſi vt dixit Ariſtoteles motus nihil eſt praeter res, & magis eſt vt hic cum Scotizantibus diſtinctionem formalem à reali diſtinguentes, dicamus motum idem eſſe realiter cum termino, ſed formaliter diſtingui. in formalitatibus.

DEFINITIO MOTVS.

3406 dùm autem in definitione motus appoſuit Ariſtoteles actum (dixit enim in prima definitione motum eſſe actū entis in potentia quatenus in potentia) ſolet illud perquiri, num etiam actum ſecundum, qui ab habitu ſolet oriri, comprehenderit, in qua quaeſtione nō eſt Platonicus qui audacter eam non defendat opinionem, quae aſſerit etiam & actus ab habitibus naſcentibus ſub illo actu contineri.

Plotinus lib. 3. enn. 6. cap. 22. & ibi Ficinus.

3407 at ſecus Peripatetici ſenſiſſe videntur, qui actum in definitione motus appoſitum eum eſſe dicunt, qui cum ex ſe imperfectus ſit, ſi ad perfectionem deducatur, rem illam, à qua prius receſſerat, penitus deſtruit, quod actui illi ſecundo nullo pacto conuenit.

3408 nomine tamen ſolùm diſsident vtriquè, quod & Simplicius animaduertit.

Simplici. 3. physic. cap. 13. lxxxvij. cō cordia.

3409 in duabus autem prioribus definitionibus motus ab Ariſtotele aſsignatis, nos poſteriorem magis laudamus.

SVBIECTVM MOTVS.

3410 ſolet etiam illud verti in dubium quid nā ſit ipſius motus ſubiectùm: Platonici enim tàm agens, quàm patiens ipſius motus ſubiectum aſſerere videntur: cum enim ſint potentiae circa motum duplices vna quidem motiua, quae eſt, in eo quod mouet: alia verò paſsiua, quae eſt in eo, quod mouetur, oportebit profectò etiam actum conſtituere duplicem, qui vtriquè potentiae correſpondeat, motiuae quidem potentiae actiuum motum, qui quidem eſt ſecundus ille actus de quo ſupra, alteri verò, quae moueri idonea eſt paſsiuum, & haec Platonici.

Gemiſtius pleth. de diff. Plat. & Ariſt. cap. 19.

3411 quibus non aſſentit Ariſtoteles, cum qui mouet interdū non moueatur: motum itaquè dixit vnum re & eundem in mouente, & mobili: ſed ratione differre: vt enim idē eſt interuallum vnius ad duo, & duorum ad vnum, idemquè locus accliuis, & decliuis, eadēquè via Thebis Athenas, quae Thebas Athenis, ſic motus vnus, & idem eſt motiui, & mobilis, actiui, nempè & paſsiui, ſed in mouente, agentequè actio, in mobili, & patiente paſsio, vt in docendo motus eſt vnus: ſed in Magiſtro δίδαξις in Diſcipulo

cap. 3. 3. physic.

ſcipulo

scipulo μάθησις.

3412 proindè rectè dicebat Simplicius motum dupliciter cōsiderari posse, per abscisionem nempè,& per complexum, atquè primo modo esse actum mobilis, qua mobile est, secundo verò actum à motiuo in eo quod mouetur, vt definiebatur in calce sermonis de motu. Simplic. 3. physic. com. 21.

3413 sed quid impedit quo minus, & in hoc conciliari nequeant? nec enim timendum est actiuum motum, motus cū sit aliquandò moueri: nam quid prohibet actiuum illum motum, & eum, qui mouet non mouere? lxxxviij.cōcordia.

3414 de passiuo autem motu palàm est, quod non sit eadem ratio.

INFINITVM.

3415 post motum sequitur speculatio de infinito, quod quidē cum dari potentia asseruerit Aristoteles, solet à Peripateticis quaeri qualis nam sit ista potentia: quandòquidē illa potentiae videtur natura, vt aliquandò deducatur ad actum, quod nullo pacto illi potentiae conuenit, quae infiniti propria est: sed huic dubio ex Aristotele rectè satisfacit Simplicius tot nempè modis ens actu dici, quot & potētia: ipsum aūt actu dupliciter, vel enī vt subsistens totum hoc quod est, vt homo, domus, vel vt id quod est dum fit, vt certamen, & dies, sic & duplex ipsum potentia aliud quidem velut ad totum simul subsistens, vt dicimus aes potentia statuam esse, aliud ad id, quod dum fit est. potentia infiniti est posterior, cui suus correspondet actus. 3. physic. com. 51.

3416 valeant itaquè illi Scotizantes, qui cum duplicem actum asserant existendi nempè, & subsistendi, actum existendi infiniti potentiae adiudicant. Tartaret. i 3. physic. & alij.

3417 in magnitudine ergo continua datur infinitum potentia diuisione: magnitudo enim minima dari non potest, quin diuisione facias minorem: at potest dari maxima, qua maior esse nulla possit, vt mundi, & coeli magnitudo, ideoquè Physici errant, qui extra coelum corpus vllum somniant: contrà numerus semper augeri potest additione, nequè maximus erit vnquam: minui verò infinitè non potest: vnitas enim est minimus numerus, haec

Aristotelis Philosophia de infinita potentia, si simpliciter intelligatur, & inconstans, & falsa est.

3418 sicut enim numerus Mathematicus infinitè potest augeri, Physicus non potest (nam si Physicum numerum cogitares, vt arborum, pecudum, hominum, maximus etiam dari posset, aliòqui innumerabilibus Democriti mundis esset opus ad numerum arborum, pecudum, hominum comprehendēdum) sic & magnitudo Mathematica mēte concepta infinitè potest augeri, Physica non potest.

3419 etenim magnitudo illa mundi non est maxima, quam posis animo concipere, appello huc primùm Physicos illos ab Aristotele reprehensos, qui corpus infinitum supra coelum statuebāt, appellaremquè huc Democritum, Leucippum, & Physicos innumerabiles alios: sed artifices ipsos, ac magistros Geometras praestat appellare, quorum problematis continetur Sphaerae non tantum inscriptio reliquorum corporum mundanorum: sed etiam circumscriptio, atquè ea ratione cogitare licet mundi Sphaeram tetraedro, hexaedro, octaedro, dodecaedro, icosaedro inscriptam.

3420 quinimò etiam & Poetas, & Pictores huc licet appellare, qualis enim est Atlas ille qui.

„ Axem humeris torquet Stellis ardentibus aptum.

non nè coelo maior? ergo licet magnitudinem aliquam cogitare maiorem mundi, & coeli magnitudine.

3421 praeterea magnitudo Physica, sensilisquè est finitè diuidua, minimumq; habet aliquid, & indiuiduum.

3. physic. com. 60. 3422 vt ex istis tricis explicaret Simplicius Aristotelem, dixit Aristotelis sententiam in quocunque numero subsistenti minimè vendicare sibi locum: sed in eo solo, qui fit in diuisione magnitudinis in infinitum.

3423 nequè hoc etiam satisfacit, nisi dicamus magnitudinem Physicam assumi: diuidi autem Mathematicè.

LOCVS.

3424 quemadmodum caussarum, principiorumquè alia in rebus insunt, veluti materia, & forma, alia extrà res sunt posita, vt finis, & caussa efficiens, ita earum affectiones proprietatesquè cōmunes duplici hoc genere continentur,

tinentur, aliae enim in eis insunt, nec ab illis vnquam separantur, vt motus seu mutatio, aliae extra habentur, eisque veluti adiacent, cuiusmodi sunt locus, & tempus, proindè iuxta verum ordinem de istis iam est pertractandum. Vicom. in proem. 4. physic.

3425 primùm autem de loco agendum est quoniam, vt Simplicius ait non solùm tempore prior est locus: sed motu quoquè, & ipso etiam corpore, quod in locum recipitur: qui enim recipi in locum posset, nisi locus suppeteret, in quem reciperetur? quòd si corpore prior est, etiā motu qui est in corpore prior erit, quamobrem & tempore, quod vt dicetur numerus est motus, & quaedam illius affectio. proem. 4. physic.

3426 verùm perdifficilis est intellectu locus, quòd vt dicebat Eudemus vbi primùm corpus à loco aberit nos fugit, & solus haud percipi potest, qui more mutarum literarum quae sine vocalibus (ceu.b.g. sine his a, e non reddunt intelligentiam) percipi nequit, sic & locus absquè alio non comprehenditur. Simplic. 4. physic. com. 3.

LOCVS.

3427 circa locum quatuor sunt principes opiniones, quarum nullam alteri aduersari inferius breuibus declarabimus, prima nempè Aristotelis, secunda Procli Licij, tertia Syriani, quarta Damascij: illa enim quae Epicuri fuit (dùm de vacuo ratiocinabimur) penitus explodetur.

ARISTOTELIS SENTENTIA DE LOCO.

3428 locum definit Aristoteles extremam superficiem termini rem quamquè ambientis: nam cum omnia corpora in aliquo loco sita esse necesse sit, locusquè à re locata sit diuersus, certè is erit extremum illud, quod corpora locata complectitur, & tanquàm in sinum suum recipit. 4. physic.

3429 quòd si quaeras quo pacto conditiones ab Aristotele requisitae ad locum constituendum, possint cum hac definitione demonstrari, audacter id se posse efficere Albertus, & Latinorum nonnulli alij confirmant, & primò locum hoc pacto definitum locato aequalem, & penès extensionem, & continentiam rectè asserunt. tex. 30. 4. physic. trac. c. 7.

3430 quid? quòd audent iuxta Aristotelea principia tueri

locum locato etiam quoad dimensiones aequalem esse? at si ipsi audent, cur & nos non audebimus.

Tart. lib. 4. physic. quaest. de loc. art. 1.

3431 atque hoc pacto locus est etiam immobilis: immobilem autem appello (vt etiã rectè animaduertit aliquis è Scoti familia) immobilitate opposita motui locali: non enim potest moueri nec per se, nec per accidens, sequela enim esset penitus falsa, loci nempè locum esse, vel per se, vel per accidens.

3432 verùm illud inter Auerroem, & Diuum Thomam controuersum est, à quo nam suscipiat immobilitatem locus: in hac enim re Diuus Thomas illius fuit opinionis, vt locus esset immobilis secundùm relationem ad totum corpus Sphaericum coeli, quod per centrum, & polos fixum, & immobile est: Auerroys verò immobilitatem loco, vt locus est adiudicat, quae sanè opinio nobis melior videtur, & in superiori Theoremate iã elucescebat.

4. physic. t. c. 41.

3433 his tamen sic stantibus tuebimur tamen hanc, locus est mobilis.

3434 sed vtrum mobilis ad motum subiecti?

3435 verùm etiam sit accidens separabile?

3436 quomodo autem coelum sit in loco nec Auerroys, nec Themistius satis explicare possunt, nec demùm vllus Peripateticorum.

PROCLI LICII SENTENTIA DE LOCO.

Simpli. in 4 physic. dig. de loco.

3437 Proclus autem Licius locum corpus esse asseruit.

SYRIANI SENTENTIA DE LOCO.

Syrianus i com. x. de li. Plat.

3438 sed iuxta Syrianum locus neque exterioris corporis ambiens superficies, neque corpus est: sed id quod intra eã superficiem continetur, idem itaque vacuum est, & locus nec differunt nisi nomine: si enim non esset vacuum, nõ esset locus: est enim vacuum interuallum in quo est corpus, cuius natura per se talis est, vt cedente corpore corpori fiat vacuum, vt impleatur.

Scaliger de sub. ex. 5. c. 2.

3439 erit igitur vacuum principium motus, quemadmodum priuatio est principium generationis, & sic acutè vacuũ est priuatio corporis subituri, priuatio est vacuitas

formae

formae introducendae.

3440 nec rationes Aristotelis in hanc positionem quicquam operantur.

DAMASCII DE LOCO SENTENTIA.

3441 Damascius verò sic de loco ratiocinatus est, sunt nobis natura tres mensurae trium diuisionum, neque enim alia diuisio in generatione est praeter tres, neque alia mensura. etenim triplex indiuisum vnitas, nunc, punctum, ex vnitate oritur multitudo, cuius mensura numerus, nunc mutatum mensurat, vnde tempus fluxum, & successionē mensurat, item puncti extensio facit dimensionem, & distantiam, cui simul adest locus, mensura determinans omnem positionem vniuersi. Simpli. in 4. physic. in digr. de loco.

3442 est itaque locus apud Damascium mensura situs eorum quae locantur, vt tempus est mensura motus eorum, quae mouentur.

ARISTOTELIS, PROCLI, SYRIANI, DAMASCII OPINIONVM DE LOCO CONCORDIA.

3443 verùm hi summi viri in tam diuersis de loco opinionibus sibimet non aduersantur: si enim locus communis assumatur, nullum est dubium, illum corpus esse, quemadmodum Proclus Lycius sensisse videtur.

3444 si verò de loco proprio velimus sermocinari, communis sit illius notitia, illum determinationem quandam esse.

3445 quae si sumatur secundùm quod receptaculum est, spatiū & interuallum erit vacuum potentia, sicuti Syrianus & cum eo omnes Platonici dixerunt. lxxxix. concordi.

3446 atquè forsan dum ad huiuscemodi determinationem respexit Plato locum materiam dixit.

3447 sin autem determinatio sumatur secundùm id, quo aliquid continet aliud, Aristoteles rectè motum definiuit.

3448 si demùm determinatio accipiatur secundùm ordinem partiū cōtentarū ad cōtinētes, quis Damasciū coarguet?

3449 cū quo sine dubio, & Scotus consensit in ea significatione loci, quam ipse vbi circumscriptiuè appellauit, & ab vbi praesentialiter distinxit. 1. sen. dis. 2. quaest. 5. & 6.

VACVVM.

3450 nunc ad vacuum transeamus, quod non solum Democritus, Leucippus, & Epicurus tutati sunt, verùm etiam & Pythagoraei, qui vacuum tanquã χωρισμὸν ϗ διακρισιν separationem nempè, & seiunctionem, quae primùm in numeris apparet, defenderunt, at Pythagoraeos forsan quo ad hoc attinet cum Peripateticis consentire facilè demonstrare possumus, si simul cum Simplicio dicamus haec fuisse quaedam Pythagoraeorum enigmata; intermediũ enim, quod seiungit à se inuicẽ species, est inane cum Homo non sit Equus, nec Equus Leo.

concordia Pythagoreorũ cũ Peripatet.

4. physic. com. 60.

3451 verùm non eadem ratio de Epicuro, caeterisquè qui minimis naturalibus tanquàm principijs constitutis certas figuras tribuerunt, quae cum sibi penitus cohaerere non possent, necessariò coacti sunt vacuum statuere in natura nec solùm intra corpora, quod ex illorum principijs, vt diximus necessarium erat: verùm etiam extra, cum tamẽ ἐν στάσει καὶ μετάστασει corporum aliorum alijs cedentium, sine vacuo omnia melius defendi posint.

3452 diximus autem superius, idquè nunc iterum asserimus, & si vacuum aliquod re vera actu sit, vt in loco apparet, non manet tamen aliquando extra corpus, quemadmodum nequè materia extra formam, nequè corpus extra qualitatem, etsi corpus, & materia proprio actu sint.

Philopon. in fine digress. de vacuo.

3453 sed illa Aristotelis ratio, qua vt vacuum prorsusè medio tolleret, conclusit in spatio vacuo grauia, & leuia moueri in tempore indiuisibili, saepius in dubiũ reuocata est: Philoponus enim eam penitus falsam credidit, si quidem ex Aristotele differentiam motuum non solũ ex eo sumpsit: quia differant corpora per quae motus absoluitur: sed etiã propter mobilia ipsa, quae interdum grauiora, interdum leuiora sunt.

4. physic. t. 71.

in digress. de vacuo l 4. phisic.

3454 addit etiam malè accipere Aristotelem, quòd quam proportionem habent interstitia inter se, per quae fit motus, eandem rationem, & habere tempora motuum inter se: si enim vnum idemquè fuerit interuallum per quod fit motus, modò ea, quae mouentur secundum momenta differant, quam rationem habent momenta inter se,

habebunt

habebunt etiam tempora motuum inter se, vt si pondus duarum librarum per spatium aliquod deferratur in semihora, & pondus vnius librae per idem spatium deferretur in vna hora, quod experientia falsum est.

3455 neque rursus quoniam tempus motus Lunae habet proportionem ad tempus motus Mercurij, necesse est Sphaeras etiam inter se secundùm crassitiem eandem habere proportionem.

3456 quòd autem & si vacuum esset spatium separatum à corpore, non solùm impediret corpora per ipsum moueri in tempore: sed etiam in motu esse celeritatem, & tarditatem ostendit Philoponus ex motu coelorum orbiculari: namquè Sphaerae coelestes nullum corpus diuidunt, & tamen in tempore mouentur, & alia celerius, aliaquè segnius.

3457 quòd si quis ait Grammaticus, vt tueatur Aristotelē dicat tempus consumi non propter motum: sed propter stationem interpollatam in motu, elementorum motum proponemus.

3458 haec etiam Aristotelis ratio ab Auempace viro doctissimo habita est veluti Sophistica: inquit enim, quòd sicuti in motoribus corporum coelestium, vbi nullum est medium, nihilquè, quod eorum motū impediat velocitas motus sequitur motoris excellentiam, & virtutem, ita etiam in grauibus, & leuibus corporibus excellentiam grauitatis sequitur velox descensus, leuitatis praestantiā velox ascensus: igitur per se grauius velocius descendet eo, quod est minus graue. aequè verò grauia, aequè velociter, per accidens tamen in motu grauium, & leuium contingit aliud impedimentum ex medio allatum, quod cum aegre patiatur se diuidi (vnum quodquè enim, sicut natura appetit esse, ita appetit vnitatem) resistit procul dubio medium, & impedit motum corporum, ex quo contingit motum fieri tardiorem: non tamen propterea sequitur, si fiat medium, quod prius erat spissius longè subtilius, crescere etiam motus velocitatem in ea proportione qua medium fuerit factum subtilius: sed sequitur aliquo pacto decrescere tarditatem, quae per accidēs

addita

addita fuerat ex medij densitate.
3459 Auerroys verò discursus in hac ratione talis est, ex definitione motus quiuis facile intueri potest quemlibet motum esse continuum, non potest autem esse continuatio hac ex sola virtute mouentis, nisi fuerit etiam resistentia aliqua, quã virtus mouẽtis superet, itaq; sm̃ eã proportionẽ, qua virtus mouẽtis superat resistẽtiã motus quoq; velox est, atq; in his motibus, in quibus ꝓportio maior est, est maior celeritas, vbi minor proportio, tarditas maior.
3460 vbi autem virtus mouentis non superat resistentiam, aut non secundùm certum, & à natura constitutum excessum superat, nullus efficitur motus, ex quibus sequitur propositionem sumptam ab Auempace minimè veram esse, nempè velocitatem motus sequi tantùm virtutem mouentis, nulla facta resistentis mentione.
3461 non tamen propterea quispiam putet resistentiam esse nõ posse, nisi vbi vis inferatur, & fiat motus contra inclinationem rei mobilis: nam interdùm resistentia est sine vlla vi: si enim mobile à natura ita sit factum, vt in motũ quempiam inclinetur, in ipso autem non sit principium actiuum motus: sed passiuum tantùm, vtiquè absquè mouente non mouebitur, quamuis suaptè natura tendat in eum motum.
3462 et sicuti à natura in eum motum inclinatum est mobile, vt à mouente naturaliter eo motu moueatur, & non alio, ita etiam à natura, quam habet, effectum est, vt ab vllo mouente moueri nequeat, nisi quod certo excessu excesserit virtutem mobilis, & actum quem mobile habet, eoquè excessu certa quadam velocitate moueat, ampliori verò excessu celerius quoquè moueat.
3463 mobile ergo, quod certam naturam habet quamuis ea natura inclinetur ad motum quempiam, resistit tamen mouenti per eandem naturam, & actum sine vlla vi, ne velocius, tardiusuè moueatur, quàm deceat excessum, quo exceditur à virtute mouẽtis: necesse est ergo in omni motu esse resistentiam, aliter namquè continuus motus esse non posset: resistentia tamẽ esse potest sine vlla vi.
3464 quo fit vt in corporibus coelestibus, cum ipsa actum

quemdam

quemdam habeant certamquè naturam qua ad certum motum inclinantur, velocitas motus sequatur proportionem excessus virtutis mouentis, quae superat naturã & perfectionem propriam mobilis, licet ibi nulla sit vis, omniaquè fiant secundùm naturam.

3465 at in elementis, quae sunt composita ex duobus tantùm principijs simplicissimis, forma nempè simplici, & materia prima, quae est ens in pura potentia, nequè determinata est à quapiam natura, vtiquè tanquam principium actiuum motus eorum forma est, materia verò, quae principium passiuum est, nullum habet actiuum, ideoquè ex ea, resistentia nulla sumi potest, siuè cum vi, siuè sine vi resistentiam velis: nam vis esse nequit, vbi nulla est natura, nullus actus, contra cuius nixum vis fiat: nulla item est ad motum quempiam determinatum, & certum inclinatio, vbi non est determinata natura, ac certus quispiam actus. ergo in motu naturali elementorum si principia tantùm intueamur, ex quibus elementa constant nullam inueniemus resistentiam, quae tamen necessaria est in quouis motu, nisi fuerit motus indiuisibilis, quod non admittitur.

3466 cogimur ergo inuenire resistentiam in medio, quod vi videtur, ac dispellitur, iccirco Aristoteles verissima ratione vsus est, dum velocitatem motus elementi tantùm sumpsit ex spissitudine, ac raritate medij.

3467 nequè illa addita est naturali velocitati, vt dixit Auempaces vir alioqui doctissimus.

3468 nec argumenta Philoponi hanc declarationem infringere possunt.

3469 attamen contra Auerroym, Diuus Thomas, & Scotus argumentantur, & Scotus praecipuè asserit caussam successionis in motu essentialem esse resistentiam mobilis ad motorem, non quidem talem, quòd mouens non possit mouere mobile, nec talem, quòd ad oppositum mobile inclinetur: sed sic quòd mobile semper sit sub aliquo vbi, cui non posset immediatè succedere terminus intentus à motore virtutis finitae: quia mobile non est in plena obedientia motoris virtutis finitae, licet sit in plena obedientia 4. Sentent. dist. 2. q. 9.

obedientia motoris virtutis infinitae.
3470 sed quid si rationes Scoti, & Diui Thomae contra Auerroym nihil possint?

TEMPVS, IVXTA OPINIONEM EPICVRI, ET DEMETRII LACONIS.

Sex. Emp. c. de tem. aduersus Mars.

3471 Tempus definierunt Epicurus, & Demetrius Lacon, accidens accidentium consequens dies, & noctes, & horas, & affectiones, & impatibilitates, & motus, & mansiones, omnia enim haec accidentia aliquibus sunt, & tempus (vt ipsi opinantur haec omnia consequens, meritò dici potest accidens accidentium.

HORVM EXPVGNATIO.

3472 in qua definitione licet multa sint absurda: id tamen absurdissimum tempus esse consequens diebus, & noctibus tùm enim tempus accideret tempori.
3473 quanquàm si Lucretius Epicuri sententiam percepit, supradicta definitio non est Epicurea.

TEMPVS, IVXTA AENESIDEMI OPINIONEM.

3474 Aenesidemus autem dixit tempus esse aerem, si quidem dies, & nox temporis partes principes videntur accidentia ambientis aeris, si quidem dies fit per illuminationē aeris à Sole: nox autem accedit per priuationem luminis in aere, hora autem cum sit pars diei, aut noctis referuntur ad aerem, vt dies, & nox.

HORVM EXPVGNATIO.

3475 sed haec opinio omnium ineptissima est.
3476 neque ex suis principijs etiam rectè concludit: infertur enim tempus esse accidens aeris, non aerem:

ALIAE OPINIONES, QVAE EXACTIVS TEMPORIS NATVRAM TETIGERVNT.

3477 aliae verò opiniones, quae propius ad temporis naturam accesserunt distinguuntur (vt etiam rectè animaduertit Plotinus) trifariàm: tempus enim aut ipse motus est, aut id quod mouetur, aut aliquid motionis. dicere autem tempus esse statum, vel ipsum stabile, vel aliquid stationis procul admodum foret ab ipsa temporis notione, quippè cum identitatem minimè patiatur, ideoquè cum

Enn. 5. lib. 7.

statu

ſtatu, atquè ſtabili coarguere nequeat.

GREGORII ARIMINENSIS OPINIO DE TEMPORE.

3478 eorum verò qui tempus ipſum mobile affirmant inter recentiores princeps eſt Gregorius Ariminenſis, qui dixit coelum regulariter motum propriè tempus eſſe. 2. ſen. diſ. 2. q. 1.

HORVM EXPVGNATIO.

3479 at ex eo lapſus eſt, quòd mobile à motu non diſtinxit.

PLATONIS OPINIO DE TEMPORE. IVXTA PLOTINI ASSERTIONEM.

3480 Plato verò (ſi Plotino credimus) tempus motum aſtrorum eſſe dixit. Enn. 3. l. 7.

PLATONIS DEFENSIO.

3481 ſi quis autem (ait Plotinus) dixerit dici etiam tempora à Platone motus aſtrorum, meminiſſe debet Platonem dixiſſe haec eſſe facta ad oſtenſionem diſtinctionemquè temporis, atquè vt menſura nobis ſit manifeſtior: cum enim non liceret animae tempus ipſum determinare, vel metiri penes ſe partes ſingulas temporis inuiſibilis, atquè incomprehenſibilis, praecipuè apud homines numerandi prorſus ignaros diem effecit, & noctem, per quae liceret duo quaedam ex hac diuerſitate percipere, vnde cogitationem numeri dicit exortam, deinde percipientes quãtum ab ortu rurſus ad ortum peragitur, habere potuimus quantum temporis ſpatium aequali exiſtente ſpecie motionis, quatenus ad hoc ipſum velut innixi intuitum figimus, & menſura temporis vtimur: non enim tempus ipſum menſura eſt: ſed motus.

3482 ex quibus duas opiniones Platonis contrarias Ariſtotelis circa motus definitionem eliciunt nonnulli, quarum prima eſt Platonem à tempore motum realiter non diſtinxiſſe, quam tamen realem diſtinctionem in Ariſtotelis doctrina omnes Thomae ſectatores admiſerunt: credunt enim iſti animam apprehendere primam partem motus, vt vnam, & ſequentem, vt alteram, primamquè alteri, quatenus ei ſuccedit comparare, atquè ſic deinde has vnitates partiũ motus ſibi ſuccedentium ad inuicem aggregare, & conſtituere numerum, quẽ à motu realiter Capreolus 2. ſen. diſ. 2. q. 2.

diſtingui

diſtingui ex eo patere dicunt, quòd numerus diſcretus, motus autem continuus eſt, quae opinio licet valdè probabilis ſit, non eſt tamen quòd credamus, & in hoc Ariſtotelem à praeceptore Platone diſſenſiſſe: cũ iuxtà Ariſtotelem tempus nihil aliud ſit, quàm prius, & poſterius in motu ſecundum quod numerata ſunt, quod etiam & Auerroes animaduertit.

lxxxx. concordia.

4. phyſic. com. 131.

3483 ſi ergo eadem re ſunt prius, & poſterius in tempore, cum priori, & poſteriori in motu, cur & totum tempus non erit idem re cum toto motu?

4. phyſic. t. 102.

3484 verum huic rei aduerſabitur forſan Galenus, qui vt refert Themiſtius iuxtà hanc declarationem cauillatus eſt tempus per tempus definiri, qua de re Simplicius loquẽs credidit duplex in motu prius poſteriuſuè inueniri, & haec inuicem eſſe diuerſa, alterum quidem, quod à magnitudine habet, quod ex loco, & poſitione naſcitur, alterum verò quod ex tempore prouenit, ait enim motum medium quodammodo locum habere inter locum, & tempus, & ex vtriſquè accipere menſuram, numerumq; prioris, & poſterioris: ſed à loco prius, & poſterius quod in ſpatio eſt ratione poſitionis, à tempore verò prius, & poſterius ſecundùm fluxum, & protenſionem, quae dicta augent ſanè difficultatem: attamen falſa ſunt.

3. phyſic. c. 118.

3485 prius enim & poſterius in motu, non habent à tempore, vt prius, & poſterius ſint: at è contrario potius efficiunt, vt prius, & poſterius adſint in tempore, quod & rectè ſenſit Themiſtius.

3486 qui & melius praeterea obiectioni Galeni ſatisfacit concedendo prius, & poſterius in motu nihil aliud ſignificare, quàm prius, & poſterius temporis: ſi enim neceſſariũ eſt, vt idem afferant definitiones, & nomina quae definiuntur, nihil certè aliud fuerit prius in motu, atquè poſterius, quàm prius, & poſterius temporis: nec enim ipſemet Philoſophus partes ſpeciei à definitionib' reiecit.

7. metaph. t. c. 35.

3487 altera eſt res, in qua diſſentire exiſtimantur Plato, & Ariſtoteles, quòd ille motum temporis menſuram dixit, iſte verò tempus motus menſuram, quam ſanè diſcordiam cum ſubodoraſſet Themiſtius dixit duplicem menſurae ſignificantiam

t. 102. 4. phyſic.

significantiam esse, nam & quod mensurat, vt olla, modius, cadus, & quod mensuratur, vt triticum in modio, & vinum in cado, vtrunquè mensurae nomen sortitur: dicitur enim esitasse modium non ligneum, & bibisse cadum non ipsam lebetem aeneam, quasi dicere velit tempus ex eo esse mensuram quia mensuratur, quod dictum, & cum Platone consentit, & verum est: non tamen Aristotelem defendit.

3488 nonnulli verò è Latinorum grege dixerunt, quòd cum semper mensura sit prior mensurato cognitione, proindè motum esse temporis mensuram secundùm adaequationem, tempus verò mensuram motus secundùm reduplicationem, quae responsio nobis non satisfacit. Albertus à Saxonia & alij.

3489 subtilius itaquè hic agendum est in re, quam pauci intro spectarunt, dicamus itaquè primò, nostri motus mensura est tempus, primi verò motus mensura non erit, mensura namquè prior natura res est, quàm res, cuius est mēsura, at tempus est posterius motu primo, si quidem est affectus illius ab eo pendens, & proinde alibi dixit tempus idem esse quod motus, aut affectus eius, at nulla mensura generatur ab eo, cuius est mensura. 12. met. t. 29.

ARISTOTELIS OPINIO DE TEMPORE.

3490 attamen ipsum tempus definiuit Aristoteles numerum motum per prius, & posterius (is enim inter eos adnumerādus est, qui tempus aliquid motus esse asseruerunt) in qua definitione numerus dicitur non qualis est is, qui menti nostrae insitus alia numerat, vt ternarius, quaternarius animo conceptus: sed cuiusmodi est ipse numerus rebus numeratis inhaerens, vt ternarius, & quaternarius in ouibus, equis, hominibus.

3491 hincquè patet in definitione quid prius, quidquè posterius sit: sunt enim quasi partes tempus distinguentes, nō quòd idem ipsum quod continuum suaptè natura est diuidatur: sed quòd ratione quadam per interualla temporis partes distinguantur: per prius enim elapsam temporis partem intelligimus: per posterius illā quae sequitur.

3492 hanc etiam ob caussam quendam veluti terminum, quem nunc

nunc seu instans appellant, cogitamus, quòd vt punctum in linea, ita pars temporis non est: sed terminus, cuius relatione, quod prius sit, quiduè posterius dignoscitur.
3493 quid autem proprium sit temporis, è rerum mutabilium natura perspici potest: cum enim immutabilia omnia, & incorporea nullam temporis commutationem admittāt contra corporea eodem illo transigantur, sic motus tēporis adhaeret, vt esse alterum, sine altero nequeat, & proindè fit, vt quamuis res quiescentes nullatenus moueantur: quia tamen non sine illa duratione temporis quiescant, eiusdem quoquè esse participes accidentario dicantur.

COROLLARIVM.

3494 et ex his (ni fallor) compertum est, cur Homerus vbiquè passim horas coeli custodes appellauit: nequè enim supra coelum tempus est.

ΕΡΓΑ.

PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA IN TEMPORIS DEFINITIONE.

lxxxxi.cō-cordia. 3495 nequè tamen ob haec & Aristoteles discrepat à praeceptore Platone: nam quicquid alij dicant, motus est mensura temporis à natura: metitur enim illa tempus motu, quia motu creat tempus, at è contrario tempus metietur motum mensura nostra: dicimus enim tot partes aequinoctialis tantò moueri tempore.

COROLLARIVM.

11. sec. prob. 28. 3496 et proindè rectè dixit alibi Aristoteles multa fieri in tēpore, quorum finis percipitur, vt lapidis excauatio, partes sensu non capiuntur.

ΕΡΓΑ.

in Timaeo 3497 alia etiam est temporis definitio, quae & ex Platone depromitur, tempus nempè esse aeternitatis imaginē mundanae motioni inhaerentem, quae definitio, nec Aristoteli displicet.
lxxxxij.cō cordia.

com. 104. 3498 verùm in Aristotelis definitionem inuectus est Galenus, vt refert Simplicius: credidit enim ob id Aristotelem tēpus nō sine motu dixisse: quia nos moti tēpus intelligamus, ex hoc enim sequi dixit, quòd ea quae penitus

sunt

ſunt immobilia, neceſſariò erunt cum motu, ſi quidem eorum intellectus cum motu eſt, dixit inſuper non ſine dimenſu ea eſſe, quae dimenſu carent, ſi nos ea cogitauerimus cum dimenſu: ſed hoc primo conſiderare oportebat (ait rectè Simplicius) quòd Ariſtoteles eius non eſt opinionis, vt velit animam moueri: ſed tantùm operari: nam ſolùm Phyſicas mutationes motus appellandos cenſet, quare non quod ipſi moti tempus intelligamus aſſerit non ſine motu ipſum conſtare: ſed quod motus intellectus in temporis cognitionem nos perducit.

3499 in eam inuectus eſt etiam Straton Lampſacenus multis rationibus, quas non erit admodum difficile ſoluere.

STRATONIS LAMPSACENI DEFINITIO DE TEMPORE, ET EXPVGNATIO.

3500 aliterquè finiuit tempus: dixit enim id eſſe quantum in actionibus, at ſi vera eſt haec definitio, multae res naturales, quae in tempore procul dubio ſunt, erunt extrà tempus. Simpli. in digreſ. de temp.

3501 illud etiam exiſtimauit Simplicius inter Platonem, & Ariſtotelem controuerſum eſſe num nempè Coelum eſſet in tempore. arbitratus eſt enim Platonem coelum à tempore non ſeiunxiſſe: ſed ſolùm Ariſtotelem coelum ſub tempore non collocaſſe: ſed vt ſupra diximus, ſi ſecundū Ariſtotelem tempus eſt quaedam affectio motus coeli, cur non ſomniauit Simplicius? xciij. concordia.

3502 quòd ſi dicta Simplicij vera eſſent, adhuc tamen facillimè has ſententias conciliare poſſemus.

3503 prae caeteris autem difficilis, & ardua illa quaeſtio ſolet exiſtimari, qua reuocatur in dubium nùm tempus ſit extrà animam, in qua quidem tres ſunt magis decantatae opiniones, & omnes falſae: nec enim cum illis Auerrois ſectatoribus abſolutè ſentio, qui credunt tempus quoad ſuum materiale extra animam eſſe: ſed quo ad ſuum formale (appellant autem materiale fluxum cōtinuum motus, quo mobile fluit ab vno vbi ad aliud in motu locali, vel ab vna parte formae ad aliam in motu alterationis: formale verò numerum numeratum dicunt, quo ſanè eget anima) non eſſe actu extra animam: ſed ab anima; Iandunus, & alij.

non enim video cur, & tempus numerus numerabilis esse nequeat, & cur numerus numerabilis etiam non egeat anima?

4. physic. q. 16.

3504 quapropter & penitus explodenda est etiam Alberti de Saxonia opinio, qui tempus ens reale extrà animam, & quo ad suum materiale, & quo ad suum formale ex eo asseruit, quòd arbitratus est de ratione numeri appliciti, non esse numerationem actu: sed numerabilitatem, nec enim video quo pacto numerabilitas absquè anima possit esse.

4. physic. t. 337.

3505 nec etiam in hoc Diuus Thomas placuit vnquam nobis, qui tempus, & quo ad suum materiale, & quo ad suum formale ab anima recipere perfectionem arbitratus est, propterea quod motus cum non habeat esse permanens nec totus simul consistat, proindè aliqua mentis apprehensione indiget, ex qua (dum partem praeteritam futurae comparat) oritur numerabilitas: credimus enim nos numerabilitatem, & in his, quae partes habent permanentes, & in successiuis ab anima pendere.

3506 dicamus itaquè in tempore duo considerari posse, & numeratum esse passiuè, & rationem mensurandi actiuè, atquè vtrunquè vel actu, vel potentia.

3507 illius autem prima ratio est in numeratione passiua, vel secundùm actum, vel secundùm aptitudinem, atquè ita si tempus sumatur, vt est numerus numerabilis, mensurans autem actiuè, vt est actu mensurans, tempus erit extrà animam.

3508 atquè ita potest forsan defendi opinio Alberti de Saxonia.

3509 si tamen poneretur casus, quòd anima desineret quo ad rationem numerantis etiam aptitudine, tum dico, quòd nullo modo remaneret tempus extra animam nisi in fundamento.

3510 atquè sic forsan eam tuebimur opinionem, quam nonnulli (vt supra diximus) Aueroi tribuerunt.

3511 si autem sumatur tempus, vt est numerus actu numeratus ab anima secundùm prius, & posterius, motus sub illa ratione (dempto fundamento) est in anima solùm.

et secundum

3512 et secundùm hunc modum forsan Diuus Thomas rectè sensit.

COROLLARIVM.

CONCORDIA AVERROIS, ALBERTI DE SAXONIA, ET DIVI THOMAE, IN EA QVAESTIONE, AN TEMPVS SIT EXTRA ANIMAM.

3513 proindè defendemus non discrepare in hoc ad inuicem Auerroem, Albertum de Saxonia, & Diuum Thomam.

EPΓA.

3514 patet itaquè iam si rectè quis supradicta memoria recoluerit facillimam esse responsionem ad secundam Themistij obiectionem: nec enim verum est tempus tanquā vnum accidens absolutum in plura subiecta re secerni, & diuidi: ipsum enim vt diximus accidens absolutum non est: sed ad aliquid, quod in anima, vt nonnulli dicunt subiectiuè reperitur, in rebus verò obiectiuè, in quibus vna est princeps res, cui nititur tempus. Zimara in cont. 27. 4. physic.

MOTVS ABSOLVTE PER SE EXPENSVS.

3515 superius pertractatum est de motu, vt appositus fuerat in naturae definitione, nunc iterum de illo absolutè, & per se pertractandum est, quod etiam & fecit Aristoteles.

3516 sed dubitant Simplicius, & Porphyrius, nùm quintus liber physicorum inter eos adnumerandus sit, qui de motu absolutè pertractant, adnumerat sanè Porphyrius: non autem Simplicius, cuius sententiam, & priores Graeci crebriori calculo receperunt, nos verò Porphyrij sententiam tuebimur.

DIVISIO MOTVS GENERICI.

3517 diuiditur autem motus in genere, in mutationem, & motum in specie.

MVTATIO.

3518 illud in mutatione quaesitum est nū successiuè fiat, quod sanè quaesitum ex eo pendet, nùm formae intendantur, vel non, in qua re Auerroys visus est credere elementorū tantummodò formas, tanquam imperfectas, & veluti 3. coeli cap. 67.

materiae proximas intensionem, & remissionem suscipere posse. Scotus verò credidit quamlibet formam substantialem magis, & minus recipere: non quidem vt est quidditas secundùm se considerata: sed vt est tantùm indiuidui forma, q̃ opinionem, & Antonius Andreas alijs argumentis mordicus defendit, proindè secundùm istos omnis mutatio erit successiua.

in 8. met. q. 3.

8. m. q. 7.

3519 Diuus autem Thomas, qui pluribus in locis rectius credidit substantiales formas nec intendi, nec remitti optimè admodum asserit mutationem minimè successiuam fore.

3520 nec tamen ob haec negamus vnam animam perfectioré altera, ratione tamen materiae, & propterea, nequè etiam in hoc cãdidiores Peripatetici à Platonicis dissentiunt, qui iuxtà diuersum participandi modum, diuersam quoquè perfectionem in formis existimarunt: quid enim aliud est apud Platonicos forma per participationẽ quam forma in materia?

xciiij. con cordia.

3521 illud etiam perscrutatione dignum est, quo pacto dixerint veteres Peripatetici lucem in instanti ferri ab oriente in occidentem, nequè enim illius fulgor spatium hoc repentè occupare videtur: si enim semper illuminat Sol orbis huius semissem, haecquè illustratio simul cum Sole adeo sensim repit, ac procedit, vt nihil ad hanc persuasionem, profectò haud aliter sibi succedet radius, atquè id loci, quod ante se est subibit, ac capiet, quàm si baculus esset circumactus.

Philopon. Auerroys, & alij 2. de anima.

3522 quamobrem rectius quaesissent illi, an sine tempore à corpore illo lucido demittatur in terras lumen.

DIVISIO MOTVS
IN SPECIE,

3523 diuisit autem Aristoteles motum in specie trifariàm iuxtà tria praedicamenta, vbi nempè, quantum, & quale: verùm Theophrastus, & Eudemus in alijs quoquè praedicamentis videntur motum posuisse illa ratione moti, quòd in omnibus actus, & potentia reperitur: motus aũt nihil aliud est quàm actus in potentia, & propterea qui ex dextro fit laeuus, mutatur ad aliquid, qui ex calefacere

3. phy. t. 6. & v. physi.

ad frigefacere

ad frigefacere secundùm actionem, qui ex calefieri ad frigefieri secundùm passionem, itē qui mutatur in anno praeterito in praesentem, & qui ex summo, aut erecto in supinum, & ex armato in nudum is nempè mutatur, tuebimur itaquè contra Aristotelem simul cum Theophrasto motum esse in omnibus praedicamentis. Simp. c. 3. 5. 3. physi.

ARISTOTELIS, ET THEOPHRASTI CONCORDIA IN NVMERO MOTVVM.

3524 verùm possumus etiam Aristotelem cum Theophrasto componere si dicamus simul cum Simplicio, motum secundùm dispositionem ita diuidi, sicut illum diuisit Aristoteles, at secundùm habitudinem secari iuxtà diuisionem Theophrasti. Arist. & Theophr. concordia 5. physic. com. 20.

3525 ex suis autem principijs dixit Aristoteles in adeptione virtutis nullam in nobis fieri alterationem, cum virtus eorum sit quae ad aliquid.

3526 et quòd virtus, & vitium magis debeant animae dici ortus, & interitus, quàm alteratio: vna enim quaequè forma secundùm naturam (vt etiā rectè animaduertit Simplicius) non solùm perfectione propriarum partium cōpletur: sed etiam propria virtute: vt ergo corpus mortuum est aequiuocè corpus cum viuo, cum non possit efficere actiones naturales, sic & anima rationalis amittēs congruam suae naturae virtutem, & non potens exercere suas actiones secundùm illam virtutem, non est anima propriè, nequè vita rationalis, quae sit secundùm naturā: sed quaedam vita mortua. com. 16. 7. physic.

3527 tanquam pars igitur, & ea quidem potissima est habenda vniuersae cuiuscunque substantiae virtus illa, quae ei secundùm naturam competit, sine qua veluti cadauer relinquetur, nequè tale amplius potest rectè appellari nisi aequiuocè, quod ex eo potest colligi argumēto, quia non potest eos actus aedere, qui ei speciei conueniunt. rectè igitur perfectionem, quae habitum, & virtutem consequitur partibus substantiae comparauit Aristoteles, vt potè, quae potissima sit pars, neq; accidēs propriè possit virtus appellari, quòd ipsa absente subiectum intereat.

com. 18. 7.physic. 3528 labitur tamen in hoc Auerroys, qui perfectionem ex eo ab alteratione seiunxit, quòd perfectionem in re indiuisibili consistere arbitratus est, cum alteratio ex se diuisibilis sit: rectè namquè illum reprehendit Diuus Thomas quòd etsi perfectio simplex esset, & indiuisibilis, recedere tamen à perfectione non est simplex, & indiuisibile: at multifariam contingens, aliòquin in stoicorum haeresim incideremus, quae asserit omnia peccata aequalia esse. nos Auerroys dictum in prima parte defendimus. — in prin. lec 6. com. 1. 7.physic.

3529 concludit etiam & ex suis principijs Aristoteles nequè in intellectiua animae parte alterationem esse, quod sanè ita declarauit Alexander, quòd quemadmodum mutato eo, quod ad dextram erat sinistram versus, quod ad sinistram erat dextrum fit praeter sui mutationem, ita nos ex ignaris scientes euadimus mente non mutata: sed singulorum tantùm sumpta experientia, eorumq; cognitione ad imaginationem perducta, quae omnia sanè peripatetica sunt.

3530 sed ab his recedunt aliquo pacto Platonici propterea quod fieri non posit, vt cognitio vniuersa ex singulorũ cognitione, cum sint infinita habeatur, nequè eius cognitionis, quae in mente est, ea quae in parte est sentiente author sit, & caussa, vilior videlicet praestantioris, quae sanè obiecta nullius momenti sunt. — Simplic. 7.physic. com. 18.

xcv. concordia. 3531 tuebimur tamen, & modum Platonicorum veluti Aristoteli consonum, mentem nempè vniuersae rei cognitionem perpetuò actu habere, singulorum potestate, ad quae cum sensus respiciunt mentem ea ex vniuerso cognoscere: non autem ex eis vniuersum.

3532 quod & ex eo magis patet, quod sequitur: affirmat enim nullam generationem esse scientiae, quòd qui primum discunt ebrijs, & dormientibus similes sint, ex quibus patet in Platonis procul dubio de recordatione sententiam Aristotelem incidisse. — xcvi. concordia.

6.physic. in Tim. 3533 nec in eo etiam discrepant Plato, & Aristoteles, quòd motum Aristoteles diuisibilem in infinitum, sicuti etiã, & magnitudinem asseruit, cum tamen Plato lineas insectiles visus sit defendisse: sensilis enim motus, & sensilis

quantitas

quantitas minime diuiditur in infinitum: sed solum motus, & quantitas mathematica.

RATIONES ARISTOTELIS DE AETERNITATE MOTVS IN OCTAVO PHYSICORVM EXPENSAE.

3534 vt autem probaret motus aeternitatem Aristoteles commodissimè ab ijs coepit, quae superius demonstrata sunt motū nempè esse rei mobilis in eo quod mobilis cessantem, & inchoatam perfectionem, necesse est itaq; si quādo aliquis inceptus est motus, cum ante non esset, praecessisse res aliquas, quae motum illum possent accipere, resquè illae, vel sempiternae fuerunt, vel & ipsae quoquè aliquando genitae, quòd si aliquando sunt genitae, necessariò aliquis motus praefuit, cuius procuratione prodirent, ac promerentur in lucem. 8. physic.

3535 quod si alteram partem defendas mobileque non progenitum vnquàm: sed sempiternis seculorū aetatibus praecessisse: motum verò inchoatum asseras, id sanè sine ratione dictum erit, nam ab ijs, quorum id placitum est primùm id sciscitor, cur res moueri tàm repente? cur nūc potissimùm coeperint cum innumerabilia secula tanto praesertim tempore considerint? sed & sequentia quoq; si intraueris absurdiora, obtusioraquè videbuntur: nam si res semper fuerunt: nec tamen mouentes semper, nec semper motae: sed in praesenti, & mouere, & moueri caeperunt, manifestum est eas non eodem habitu, ac dispositione fuisse qua nunc sunt: sed aut mota, & mouentia demutarunt, aut tantùm haec, aut tantùm illa, quodcunq; igitur horum attigeris, vlcus est, quia vt cunque dixeris motus alius semper inuehitur, qui primo illo sit prior.

OBIECTIONES PHILOPONI IN HANC PRIMAM RATIONEM ARISTOTELIS.

3536 Ioannes autē Grammaticus (sicuti testis est Simplicius) primam hanc demonstrationem qua Peripatetici comprobant motum esse aeternum nixus est infringere duobus potissimùm argumentis, & primò quòd si dictum Aristotelis concesserimus necesse fuerit etiā fateri coelū in p. digr. 8. physic.

tempore praecessisse coelestem motum, secundo quod falsum sit fundamentum non modo in motu coeli: sed in his etiam inferioribus: nam ignis simul atquè genitus est, statim sursum fertur.

de aetern. mun cont. Procl. l.3. 3537 vltimam quoquè primae rationis partem sic & alibi idē Philoponus labefactatus est, quòd non mutetur is, qui ex potentia secunda ad actum semetipsum deducit absquè alio.

SOLVTIONES SIMPLICII, ET AVERROYS.

3538 soluunt autem has obiectiones, & Simplicius, & Auerroys, atquè in primis Simplicius priores salebras hoc modo diluit, conceditquè semper mobile tempore motum praecedere: verùm in motibus terminatis, quae principio scilicet, & fine continentur, verum est quandoquè mobile actu motum praecessisse: in his verò quae perpetuo motu agitantur, semper quidem eorum motus est: non tamen semper idem penitus: sed continuè alius, atq; alius est motus quo mouentur, & quemcunquè motum semper praecedit, quod potentia est, vt puta Sol cum in Ariete mouetur potentiam retinet, vt post Arietem Taurum percurrat.

3539 secundam verò rationem soluit hoc modo, duplex est (ait ipse) id quod dicimus posse moueri: nam & id moueri posse dicimus, quod perfectam habet facultatem, potentiamuè, quae scilicet vna cum ipso actu permanere potest, & hac ratione ignem posse sursum ferri dicimus, aquam verò deorsum: idem praeterea moueri posse dicimus, quod potentia mobile est, quod scilicet nondum eam habet potentiam, quae actui sit iuncta, eius tamen naturae est, vt eam possit adipisci, Aristoteles itaquè cum protulit oportere, vt id quod moueri potest motum praecedat, intellexit secundo modo.

8.physic. 3540 Auerroys autem vt vltimo dubio satisfaciat asserit volūtatem aliquid aliqua hora velle non posse, nisi in volente ea hora exoriatur id agendi appetitus, illumquè appetitum caussam esse propinquam, tùm agendi, & non ante: appetitus autem eiusmodi, temporis quo se hoc acturum

constituerat

constituerat praesentiam, caussam esse, quae temporis praesentia, aut mutatio sit, aut mutationem sequens, ita à voluntate etiam antiqua, absquè, mutatione antecedente aliquid nouum prodire nó posse credidit Auerroys, & nos iuxtà humanae Philosophiae principia sustinebimus.

ALIAE RATIONES ARISTOTELIS DE AETERNITATE MOTVS EXPENSAE, QVAE EX AETERNITATE TEMPORIS CONCLVDVNT.

3541 alia ratio aeternitatem motus probat, eo quod in tempore adest, tùm prius, tùm posterius semper, cum tempus sit numerus motus secundùm prius, & posterius, & proindè tempus esse aeternum omnes Physici praeter vnum Platonem, confitentur.

3542 sed Simplicius isto loco pacificator est prorsus humanus: nec enim apparentem hanc dissensionem Aristotelis à Platone aequo animo ferre potuit, reconciliauit itaquè vnius verbi distinctione totam hanc discordiam, Genitum ait aliàs opponitur aeterno, aliàs per se, & sua vi cósistenti. Aristoteles primo modo, Plato secundo negat esse genitum, itaquè re conueniunt, verbis tantùm discrepant, quod sanè rectè dictum est. com. 10. xcvij. concordia.

3543 secunda Aristotelis ratio de motus aeternitate à tempore deducta talis est, si impossibile est, vel esse, vel intelligi tempus absquè nunc, necesse est semper esse tempus, atqui imposibile est tempus intelligi absquè nunc: quoniam nunc est medium temporis, initium futuri, & finis praeteriti, & ideo necesse est ipsius in vtramquè partem semper esse tempus.

OBIECTIONES PHILOPONI CONTRA DVAS A TEMPORE DEDVCTAS RATIONES.

3544 Philoponus auté primam rationem de aeternitate motus à tempore deductam ex eo cauillatus est, quòd non omne prius, & posterius statim indicatiuum est temporis: si quis eni (ait) destrueret corpora, tépus euerteret: nec tamen animam destruit, cuius tamen cum mutabilis

actio

actio sit, necesse est aliud prius intelligere, aliud posterius, proindè prius, & posterius sine tempore datur: cum anima posit à corpore separari.

3545 quin & Dei intellectio ait Philoponus absquè priori, & posteriori non est, si quidem planetas ita digesit Deus, & disposuit, vt non in eodem tempore vnusquisquè ipsorum ad idem punctum reuerteretur, quae cum Deus eorum conditor haud ignoret, proindè & in suis intellectionibus illud prius, hoc verò posterius moueri intelligit.

3546 ait praeterea idem Philoponus rationem eam, quae ex momento ducitur petere id, quod quaeritur: idem enim videtur argumentum Aristotelis cum eo, quod lineam infinitã probat, quia veluti principium ponat punctum eius esse naturae, vt medium sit semper lineae.

SOLVTIONES SIMPLICII.

3547 sed has instantias optimè admodum soluit Simplicius, & primò fatetur prius, & posterius in conceptionibus animaè esse prius, & posterius temporis: licet enim anima iuxtà Platonem, & Aristotelem (vt inferius probabimus) sit aeterna, nunquàm tamen iuxtà eorum opinionem seiungitur à tempore.

xcviij. concordia.

3548 negat praeterea, idquè omnino rectè prius, & posterius in cognitione Dei. quis enim audeat dicere cognitionẽ Dei progredi secundùm prius, & posterius? & affirmare illius cognitionem iuxtà quã praeterita cognoscit priorem ea esse, qua futurum comprehendit? maior enim est cognitio (vt Iamblicus dicebat) ipso cognito, proindè secundùm cognitorum naturam minimè procedit: quod idem & de intelligentijs affirmatur.

xcix. concordia.

3549 sed labuntur nè Platonici, qui prius, & posterius in ideis concesisse videntur: sed quid prohibet in diuinis intellectionibus prius, & posterius secundùm naturam?

3550 ad vltimam autẽ rationem respondet Simplicius, quòd non quicunquè id, quod conuertitur, assumit, statim & principium petit, alioqui & demõstrationes principium peterent, si quidem earum medius terminus absquè dubio semper conuertitur: sed tùm solum principium peti quando

quando fuerit aequè immanifestum id, quod assumitur: at nobis multò apertior, & notior est medietas ipsius nunc, quam tempus esse aeternum.

PRIMVS MOTOR.

3551 vt autem nos Aristoteles ad primum motorem deduceret, eo vsus est argumento quòd omne mouens ab aliquo mouetur, donec nè processus in infinitum detur, in aliquem primum motorem sistamus, quod in essentialiter (vt dicebat Auerroes) ordinatis intelligendum est, ea enī quae per accidens suscipiunt ordinem in infinitum iuxtà Philosophos procedere possunt. com. 15. 8.physic.

3552 sed dubitat Aristoteles, quo pacto id in rebus iactis verum sit, cum interdum qui iecit, dum iactum mouetur discedat, & quiescat. verùm rectè tùm ipse, tùm illius interpretes Alexander, & Simplicius satisfaciunt, dùm affirmant à iaciente vim quandam, & impetum in aerem proximum immitti, qua sequentem aerem posit mouere, tùm etiam cum moueri à mouente primò desierit, cūquè mouere illum non posset, nisi moueatur, quòd sit mouens corporeum, vi eiusmodi, ac impetu tale effici: vt quodammodo moueat se ipsum, proindè moueri, tùm ab eo, qui iecit, tùm à se. ab eo quidem, qui iecit, primùm, & illo motu cessare, cum is, qui iecit, quiescit; à se autem posterius cum non simul cesset, atquè iaciens desinit; ex quo illa dubitatio diluitur, qua nonnulli affirmare possent aerem iacienti proximum, eum qui sequitur, cum iaciens desijt mouere non posse. t. 84.

3553 haec autem aeri tantùm, & aquae conueniunt, non etiā alijs corporibus, quòd duo illa motu in superum, & in inferum participant, vt in tertio de coelo scribitur, ideo quocunquè impellantur suaptè natura, & quasi ex se proficiscuntur. reliqua corpora grauitatem, & leuitatem habent definitam, & proindè sua natura, aut sursum, aut deorsum tantùm feruntur, quae caussa est vt in iactu, aut aer, aut aqua intermedia requiratur, nequè posit in vacuo fieri iactus, quòd in eo non sit aliquid, quod impetū, ac vim à iaciente excipiat, à quo cū ille qui iecerit cesset res iacta moueatur, ex quo apparet cur eamdē vim, quae Simplici. 8.physic. com. 104.

in aerem imprimitur, non possimus in lapidem iactum, aut sagittam considerare.

3554 non est ergo antiperistasis proiectorum motus caussa: tum enim omnia simul mouerentur, & simul quiescerent nec verum est hanc caussam proiectis adiudicasse Platonē (vt perperam credidit Alexander) cum ipse Plato inaequalitatem, & irregularitatem cuiuscunquè motus caussam dixerit, licet paullò inferius fieri antiperistasim in his, quae mouentur arbitratus sit, cū rectè voluerit corpora mutuare sibi vicissim loca, nè vllum in mundo relinqueretur vacuum.

in Timeo

c. concordia.

IMMOBILIITAS PRIMI MOTORIS.

3555 nè autem & iterum processus in infinitum detur in motorem aliquem primum (quodcunque enim mouetur ab alio mouetur) sisti necessarium est, qui ex se immobilis sit, qua in re cum ex se mobile negarit Aristoteles, proindè existimarunt multi eum à Platone dissentire, qui animam ex se mobilem tradidit: verùm vt rectè animaduertit Simplicius, & hic quoquè verbis tantùm discrepant, cum Plato qualemcunquè mutationem, seu agendi, seu patiendi, motum esse fateatur, & ideo actionibus etiam animi adiudicat motum, Aristoteles autem solas naturales mutationes, motus cum censeat appellandos esse, putat animum agere, & non moueri.

i Phaedro & in x. de ll.

8. physic. com. 52.

ci. concordia.

3556 pendetquè haec apparens discordia ex ea, quae superius conciliata fuit de actuoso motu.

3557 sed non nè contradicit sibi Plato, qui alibi dixit animal se ipsum mouere? an sibi constat ex eo, quod animal ex se mouetur per participationem, animus verò à se?

x. de ll.

3558 nequè etiam ex Aristotelis sententia mouetur ex accidēti, cum ijs solùm, quae intereunt, motus ex accidenti cōueniat, quod tamen in his intelligendum non est (vt ipsemet Aristoteles docuit) quae ab alio ex accidenti mouentur, cum hoc nonnullis etiam in coelo principijs, quae lationibus pluribus cientur, insit, quorum occasione dixit Alexander animas stellarum errantium ex accidenti ab alio moueri, quòd corpora in quibus sunt contrario motu à prima Sphaera moueantur, & proindè à primo

primo omnium mouente differre, quòd illud nullo modo ex accidenti, nec à se, nec ab alio moueatur: quandòquidem prima Sphaera motu simplici cietur, primūq; mouens primae Sphaerae forma non sit: sed ab illa omnino abiunctum.

3559 sed illud in Alexandri expositione difficultatem facit, qui fieri posit, vt Sphaerarum illarum animae, motu ipsarum Sphaerarum, qui est à prima ex accidenti moueantur, cum eadem ratione, qua se ipsae ex accidenti non mouent, ab alio quoquè moueri non possint: à se verò non mouentur, vel quòd à Sphaeris quas mouent omnino abstractae sunt, & (vt inquit Auerroys) ex subiectis suis non constitutae, aut quòd Sphaeras ipsas loco non mouent, cum in eodem loco semper sint. vtrouis autem accidat modo, nec à prima ex accidenti possunt moueri.

3560 sed quo pacto non discrepabit hic Aristoteles à Platone, qui vt asserunt Platonici primo coelo animam informātem adiudicat? primus itaquè motor iuxtà Platonem mobilis ex accidenti. Verū si vt superius diximus Sphaera locum non mutat, quomodo illius anima mobilis erit ex accidenti? cij. concordia.

3561 verba autem Aristotelis de partibus orbium coelestium intelligenda sunt.

3562 at cum anima nostra moueatur à se per accidens nonnè saltem eius vehicula erunt corruptibilia? quod tamen vniuersae familiae Platonicae (vno dempto Plotino) repugnat: sed quid prohibet vehiculum simpliciter consideratū, aeternū esse, corruptibile verò quatenus mobile. ciij. concordia.

INDIVISIBILITAS PRIMI MOTORIS.

3563 eundemquè primum motorem indiuisibilem affirmat Aristoteles, quòd si quantitatem haberet finitam, potētiam haud haberet infinitam, si verò infinitam, in non tempore moueret, quod sanè perabsurdum est, qua in demonstratione difficillimae admodum exoriuntur dubitationes, atquè primo dubitat Philoponus quo pacto coelum, veluti quantum finitum corruptibile non sit cum ex ea demonstratione potentia careat infinita. Verùm rectè huic dubitationi occurrit Simplicius, dum in vlt. dig. 8. physic.

asserit

asserit potentiam in actiuam, & passiuam distinguendam esse, coelumquè actiua potentia infinita carere, non etiã passiua, quod sanè rectè dictum est.

12. Met. com. 41. 3564 sed vlterius attamen perquirit Auerroys, num haec potentia passiua sit quò ad motum, vel quò ad esse, & tandẽ nè in ruinas Auicennae incidat, qui credidit possibile ex se ab alio aeternũ fieri posse in eam vertitur sententiã vt haec potentia passiua quò ad motum solum sit, quod sanè dictum Peripateticum est, idquè tuebimur.

3565 attamen si haec esset mens Aristotelis dubio procul à Platone valdè dissentiret, qui coelum esse, & suam aeternitatem à summo opifice suscipere arbitratus est. dicamus itaquè simul cum Diuo Thoma coelum ab altero aeternitatem nõ acquirere tanquam id quod ex se possit esse, & non esse: verùm vt id, quod ex se non habet esse, & acquirit ab alio: omne enim quod non est suum esse, participat esse à prima caussa, quae est suum esse.

in lec. xxi. 8. physic.

ciiij. concordia.

3566 et proindè si distinguamus possibile, in positiuum absolutumquè, & negatiuum, relatiuumquè, dicamusquè primum ab alio non posse perpetuum reddi: secundum autẽ posse, non video cur Auicennas cum Auerroe conciliari non possit? hancq; distinctionem possibilis prius Theophrastus tetigit, vt in logicis vidimus.

concordia Auer. cum Auicenna

3567 alteram autem demonstrationis Aristoteleae partem infringere nonnulli conati sunt, quia & Deus tanquam infiniti vigoris moueret in non tempore, quam instantiam Auerroys, & illius sectatores quamplurimi ex eo vitant, quòd Deus infinitae sit durationis, nõ infiniti vigoris, quae responsio in Liceo absurda non est habenda, licet cum ea addamus etiam Deum esse primum motorem immediatè primi orbis.

12. Met. com. 44.

de Plat. & Arist. phil. diff. c. 2. 3568 quam tamen opinionem Plethon hac ratione reprehendit, quòd oporteat ea quae distribuuntur cum ijs, quibus sunt distributa, quandam habere proportionem, si nimirum distributio illa iusta debeat iudicari: verùm omnes coeli orbes eandem inuicem obtinent substantiam, proindè sequetur etiam mentes illas separatas, quibus orbes illi sunt distributi candẽ omnes inter se se obtinere

substantiam

ſubſtantiam, nullamquè ex illis ſibi inuicem non eſſe aequalem: ſed tanto duntaxat excelẽtiorem aliquam alia, quanto aſsignatus ipſi orbis reliquos orbes ſuperat: quae ſanè praeſtantia Deo ſummo rerum conditore indigna videtur. at pro iſtius opinionis tutela Beſſarion Cardinalis rationi Plethonis ſic ſatisfacit, quòd ſi ſpecie orbes coeleſtes non differunt, vt aliqui non contemnendi authores voluerunt, ne ita quidem ſequetur quid inconueniẽs, authore Auerroe, & Meſſalaco, & Alexandro, quòd eos conuenire in ſpecie, differre participatione ſpeciei eiuſdem inaequali ſecundùm prius, & poſterius, atquè ita alia alijs poſſe eſſe nobilora exiſtimarunt: nequè id eſſe impoſsibile in ijs, quae materia carent paſsiua, imò verò aptius, quàm vt conueniant in genere, & ſpecie differant, quando forma ſpeciem comitans conuenientior coeleſtibus eſt, quàm materia, quae generi vicinior eſt. Beſſar.l 3. cap. xi. in cal. Plat.

3569 quòd ſi Alberti, Tomae, & Simplicij opinionem ſequamur, quae ſuperiorem oppugnat, vultquè omnino, vt ſpecie coeleſtia corpora inter ſe differant, facilior erit reſponſio.

3570 ſed admirabile quibuſdam forſan videbitur, ſi iuxtà ſupradictae opiniones principia tuebimur primum motorem in non tempore mouere, verùm eſt tamen, & à Simplicio prius dictum: primum enim mouens cum ſit immobile, & cum ſubſtantia, & actione ſupra omnem motum collocatus ſit, proindè & actiones ſuas promit ſine tempore. in fine digreſſ. vlt. 8. phyſic.

3571 ſi verò primus motor ex opinione Ariſtotelis, non ſit infiniti vigoris, & ipſe quoquè vni orbi aſsignetur iam ſtatim Platoni, Platonicisquè repugnabit. quapropter vt & eoſdem nunc ſimul componamus, dicimus & iuxtà Ariſtotelem Deum eſſe infiniti vigoris, non mouere autem in inſtanti, quòd alio modo moueat, quàm corporeae moueant virtutes: mouet enim, vt optimum quoddam, & expetendorum maximum. cv. concordia.

3572 et proindè ab vno quoquè orbe ſeparatus eſt. cvi. concordia.

COROLLARIA.

3573 ex hiſce cõſtat eſſe Auicennae, quàm Auerrois ſententiã potiorem

potiorem: Auerroys enim non rectè scripsit accipere à naturali primum Philosophum cognitionem hanc. Deus est: est enim effatum hoc eiusmodi, vt tametsi, & quaeratur, & probetur in suprema Philosophia: tamen in se cōtineat principium omnium principiorum.

3574 et proindè hoc effatum, vt dicebat Auerroys per motum non manifestatur.

3575 licet cum Auicenna sim probaturus, id per motum manifestari.

3576 vocibus tamen atquè inuestigatione transnaturali hunc ad modum id reperiam. omne ens, aut à se, aut ab alio, omne ens, aut finitum, aut infinitum, nullum ens finitum à se, prima intelligentia finita, igitur non à se.

Scotus in quolib. quaest. 7.

ΕΡΓΑ.

MVNDVS.

3577 Hactenus de principijs rerum communibus nunc ad reliqua transeamus, & quidem cum partibus suis totum semper sit prius, & proindè mundus totus singulas sui partes antecedat, de illo in primis sermonem habere aequum est, tùm ad reliqua ipsius quasi membra enumerāda veniemus, quaeramus igitur primò id quod ab omnibus quaeri solet nùm mundus aeternus sit, an magis genitus, & corruptibilis.

STOICORVM OPINIO DE ORTV ET INTERITV MVNDI.

3578 et sanè Stoici eum genitum, & corruptibilem asserunt, ortum sanè ex igne infinities, & in eundem etiam infinities interiturum: sed in hac re non satis sibi constant: cum enim ignis, pruna, flamma, splendoreque constet, Chrysippus eum ex splendore genitum, in eundemquè abiturum existimat, in flammam verò Cleanthes, at recētiores è Stoicorum familia in prunam.

Phil. Heb. de mun. incor.

3579 factumquè infinities ob hominem putant, quod inter nostros scriptores Lactantius confirmasse videtur, idcirco enim mundus (ait ipse) factus est, vt nascamur, ideo nascimur, vt agoscamus factorem mundi, ac nostri Deū, ideo agnoscimus, vt colamus, ideo colimus, vt immortalitatem pro laborum mercede capiamus.

ca. 9. libri acephali c. 6. li. 7. diui. instit.

Horum

HORVM EXPVGNATIO.

3580 verùm quo pacto corrumpetur mundus si nequè à caussa externa, neq; ab interna corruptionem suscipere potest? extrà enim nihil est quod eum corrumpere possit, nequè intrà: si enim animal est, nec senio, nec morbo, nec inopia occidet: si verò inanimatum, nec additione, nec detractione, nec transpositione, nec alteratione, quae omnia iuxtà eorum principia dicta sunt.

3581 et proindè Possidonius, Boethus, & alij nobiliores Stoici id prorsus figmentum esse dixerunt.

3582 praeterea quomodo mundus in flãmam desinet, vt opinatur Cleanthes, vel in splendorem, vt asserit Chrysippus, si flamma cum alimento viget, splendor autem è flamma nascitur?

3583 quòd si prunam eligant, vt recentiores Stoici, quomodo id erit, nisi supersit multa terrena substantia, quae ignem capiat? quòd si detur iam non omnia vincet exustio, quandoquidem residuum manebit è terra elemento grauissimo.

3584 atquè si philosophicè loqui volumus finem, ob quẽ mundus factus est, minimè tetigerunt: iam enim nobiliora essent corruptibilia diuinis, si haec illa sibi veluti finem proponerent: rectè enim in hoc Lucretius vti Philosophus canit. lib. 5.

„ quid enim immortalibus, atquè beatis
„ Gratia nostra queat largirier emolumenti;
„ Vt nostra quicquam causa gerere aggrediantur?

3585 sed quid erit, si circa finem efficientiae mundi Stoicos cum Platonicis, & Peripateticis conciliabimus? concordia Stoicorũ cum Plat. & Perip.

PLATONIS OPINIO CIRCA ORTVM, ET INTERITVM MVNDI.

3586 sed ad nobiliores Philosophos iam transeamus, in quibus occurrit prius nobis Plato, qui mundum genitum, eumdemq; incorruptibilem asserit: sed quia in illius viri opinione circa hoc explicanda diuersae Philosophantiũ fuerunt sententiae, proindè omnes rimari in animo est, vt veriorem tandem seligamus.

PLATONIS OPINIO DE ORTV MVNDI IVXTA DECLARATIONEM ATTICI, SEVERI, PLVTARCHI, ALEXANDRI, ET IOANNIS GRAMMATICI.

Philopon' lib. 6. de mun.æter. cót. Proc. Proclus li. 2. in Tim.

3587 atquè inprimis adsunt nobis prae oculis, Atticus, Seuerus, Plutarchus, Alexander Aphrodisiensis, & Philoponus qui quidem illius sunt opinionis, vt credant ex Platonis sententia mundum fuisse ex principio temporis factum, licet praeterea ex voluntate Dei incorruptibilis sit permansurus.

p. de cœlo com. 100.

3588 quam quidem opinionem (referente Simplicio) probat Alexander tribus validissimis argumẽtis, & primò quòd ipse Plato in Timeo mundum non fiens: sed factum nominat: cum tamen si esset tantum genitum caussatiuè: non etiam temporariè, fiens non factum debuisset appellari.

lib. 6. de mun.æter. cont. Proclum. cap. xix.

3589 praeterea (atquè hoc etiam argumentum tetigit Philoponus) si incorruptibile sumitur à Platone secundum tempus, cur non & generabile? generationem enim caussatiuam corruptio propria (vt etiam multi fatentur Platonici) sequitur: copulata est enim talis generatio tali corruptioni.

3590 postremò quòd generabili consequens erat corruptibile nempè interimere volens, incorruptibilem ipsum dicit non ex sui natura: sed ex Dei voluntate, quod sanè frustra dictum esset, nisi de generatione temporaria, quam alij rei nuncupant, intellexisset. quae omnia ab Alexãdro rectè dicta sunt, & propterea nos quoquè tuebimur, ex Platonis sententia mundum non solùm notione, rationequè: sed etiam re ortum.

HORVM EXPVGNATIO.

3591 sed quo pacto cum Aristotele componetur si haec dicamus? alia itaquè quaerenda est nobis via, cum & superiorem falsam simus demonstraturi: quandòquidem & ipse Plato in Phaedro animam initio finequè carentem asserit, & in libris de Repub. quodcunquè genitum tandẽ corrumpi affirmat.

3592 nec nos deturbent Alexandri argumenta: illis enim optimè admodum respondet Simplicius, qui quidem, vt primum argumentum è medio tolleret rectè demonstrat à Platone ea nomina confundi, cum quod ipse alicubi factum, alibi fiens appellarit.

3593 miraturquè Simplicius (idquè sanè maxima caussa) quo pacto non viderit Alexander distinctiones eius, quod semper est, & eius, quod semper fit, vt haec notionis generatio elucesceret, praeaccipiendas esse.

3594 sed si incorruptibile (ait Alexander) secundum tempus sumptum fuit, palàm est, quod etiam genitum, secundum tempus assumi debet. at rectè reflectit argumentum Simplicius, quod si genitum, & incorruptibilem supponat mundum Plato, necessarium esse eum id genitum accipere, quod cum incorruptibili secundum tempus existere possit. quod autem est secundum tempus genitum ante Aristotelem Plato corruptibile esse secundum tempus in octauo de Republica significauit. cvij. concordia.

3595 tertio autem argumento, tùm satisfactum est, cùm superius possibilitas coeli declarata est.

PLATONIS OPINIO DE ORTV MVNDI IVXTA QVOSDAM, QVI ILLVM CVM ARISTOTELE IN HOC CONCILIARE VOLVERVNT.

3596 nonnulli verò (de quibus meminit Philoponus) qui Platonem in hac re cum Aristotele conciliare voluerunt, generabile à Platone dici omne asserunt, quatenus in aeterna existit motione, vnde genitum ipsum, nunquàm verò aboliturum dicunt affirmasse, quòd coelestium nulla pars in eodem vnquàm permaneat. l.6.c mun. aeter. cōt. Proc.c.23.

HORVM EXPVGNATIO.

3597 sed haec nullo pacto cum Platonis verbis consentiunt: nec illius sermo de coelestibus est solis, sed de vniuerso mundo.

PLATONIS OPINIO DE ORTV MVNDI IVXTA DECLARATIONEM PORPHYRII.

3598 Porphyrius verò (vt asserit idem Philoponus) mundum ex eo genitum asserit, quod ex communibus principijs l.6.c mun. aeter.c.17

constet, materia nempè, & forma.

HORVM EXPVGNATIO.

3599 sed nequè haec expositio verbis Platonis nititur.

PLATONIS OPINIO DE ORTV MVNDI IVXTA DECLARATIONEM QVANDAM QVAM NONNVLLI TAVRO ADSCRIBVNT.

Philop. de mun. æter. l. 6. c. 8.

3600 Taurus verò, vt illi tribuunt nonnulli, generabile in mũdi genesi ita sumi dixit, vt id esset, quod quamuis ortum non sit: in eodem tamen cum generabilibus genere consistit.

HORVM EXPVGNATIO.

3601 hoc autem perindè est ac si quis aliquid in corporum genere esse dicat: quamuis corpus non sit, & in genere substantiae aliquid esse, etsi substantia non sit, quo dicto nihil magis ridiculum dici potest.

PLATONIS VERA SENTENTIA DE ORTV MVNDI IVXTA DECLARATIONEM PROCLI, PLOTINI, ET NONNVLLORVM ALIORVM, ET IN HOC CVM ARISTOTELE CONCORDIA.

3602 melius est itaquè, vt simul cum Proclo, Plotino, & nonnullis alijs dicamus mundum caussatiuè seu ratione ortũ esse, quod & superius etiam à nobis dictum est: nam & ipse Plato cum caussam generationis assignaret, non eam dixit, quia prius non erat, & postea fuit: sed quia visibilis, & tangibilis est: visibile verò, & tangibile corpus, cui à se esse repugnat.

Simpli. 8. physic. com. 10.

3603 atquè vt melius Platonici hanc genesim declararent, eo pacto mundum à Deo effici dixerunt, quo lumen à Sole, & vmbra à corpore, in quod dictum inuehitur Philoponus: cum ipse nullum effectum caussae coaeuum esse posse arbitretur, negatquè in primis corporis vmbram effectũ appellari posse, cum vmbra nihil aliud sit, quàm luminis priuatio, quae cum per se non sit, propterea quomodo quisquam à corpore quod in lumine sit, id quod per se nõ est, vt à caussa manare dixerit? ad exemplum autẽ, quod à Sole

l. 2. & mun. aeter. c. 5. 6. & 7.

à Sole capitur respondet, quòd cum lumen Solis duplex sit, alterũ quod existat in ipso Solis globo, alterum verò fusum in aere, in neutro eorum propositum concludi: primum enim est Solis substantia, illiusquè naturam explet: nihil verò effectiua sui ipsius caussa est, alterum autem corruptibile est, cum ipsi succedant tenebrae, nunquamquè idem semper perseueret. Verùm si haec vera sunt, caussa (vt terminis Auerrois vtar) coexistens non dabitur, per consequens nulla erit demonstratio primae mẽsurae, quã tamẽ dari alibi Philoponus ipse fassus est. 1. cap. p.
3604 et proindè in hac re sibimet aduersari Philoponum sustinebimus. post.

COROLLARIVM.

3605 datur ergo ens ab aliquo caussatum: aeternum tamẽ tàm secundum Platonem, quàm secundum Aristotelem. c. viij. concordia.

CHRYSIPPI, ET EPICVRI OPINIO DE INFINITATE MVNDI.

3606 videamus modo nùm mundus finitus, vel infinitus sit, & sanè eum infinitũ omnes Stoici, & Epicurei crediderũt, Chrysippea quadam moti ratione, quam sic Lucretius expressit. Simpli. p. de coelo com. 96. lib. 1.

„ si quis percurrat ad oras
„ Vltimus extremas, iaciatquè volatile telum
„ Inualidis vtrum contortum viribus ire,
„ Quod fuerit missum mauis, longequè volare,
„ Alter enim vtrum sumas, fatearisquè necesse est
„ Quorum vtrumquè viam tibi praecludit, & omne
„ Cogit, vt exempta concedas fine patere.

COROLLARIVM.

3607 et proindè ex suis principijs rectè Epicurus τόπον à mũdo distinxit.

EPTA.

3608 sed hoc quo pacto erit si extrà coelum nihil est, vt rectè demonstrauit Aristoteles? p. de cœlo
3609 at cum ipse dixisse visus sit entia quaedam (iuxta declarationem Simplicij) esse extrà coelum, contradicit ne sibi? an quia id intelligitur de entibus supramundanis, proptèrea nullà contradictio? ibi enim propositio extrà p. coeli com. 97.

non designat habitudinẽ loci: sed semotionem, & separationem eorum entium à proprietatibus rerum corporearum magnitudine nempè, motu, loco, & tempore.

3610 rursus si haec entia dicentur esse intra coelum, particula intra, non loci habitudinem importare intelligatur: sed coassistentiam, immansionem, & praesentiam, ob quae illa entia corporeis adsunt.

3611 ratio autem Chrysippi nihil concludit, cum iaculum retrocedere cogeretur, ex eo, quod quaecũquè sunt ab hoc mundo continentur, nec quicquam in nihil penetrare potest, vt rectè, & D. Thomas, & Alexander senserunt.

DEMOCRITI, LEVCIPPI, EPICVRI, ET PLVTARCHI OPINIO DE PLVRIBVS MVNDIS.

3612 post haec occurrit illud quaesitum explicandum, nùm nempè mundus sit vnus, in qua quaestione Democritus, Leucippus, & Epicurus plures mundos audacter affirmarunt, nullis tamen quòd sciam fulti rationibus: verùm pro illis tres Alexander adduxit, quarum prima est, quòd siuè natura, siuè Deus mundum effecerit, rationabile est & alios potuisse efficere: Secunda quod si in alijs imperfectis videmus speciem in indiuidua plura partitam, verisimile est etiam hoc magis in optimo, & perfecto esse. Tertia quòd si melius est plura esse optima quàm vnum, optimus autem mundus, proindè persuasibile est plures esse mundos, quarum rationum prima, & vltima in via Epicuri, Leucippi, & Democriti non concludunt.

Simplic. p. de coelo com. 91.

3613 hancquè opinionem defendit etiam Plutarchus, & longa oratione Aristotelem contrarium tuentem exagitat: qui enim (ait) postulat vt in mediorum multitudine omniũ vndiquè ponderum momenta in vnum depellantur, nihil ab eo discrepat, qui in tanta hominum frequentia in vnam venam, vndiquè omnem sanguinem confluere debere censeat, vnaquè membrana omnium cerebrum contineri.

de defectu oraculorũ

HORVM EXPVGNATIO.

3614 sed illorum rationes futiles prorsus, & inanes sunt, atquè primae (vt ordinatim procedamus) rectè admodum satisfacit

tisfacit Simplicius, quòd si efficiens effecit multos eos aut omninò similes, aut aliquo pacto dissimiles effecit, si omninò similes frustrà essent multi: si autem aliquo pacto dissimiles, vnus vtiquè iam erit, qui ex omnibus cōstabit tanquam perfectus.

3615 secundo idem quoque rectè respondet multitudinē imperfectionem, non perfectionem augere.

3616 tertium demùm diluit, quòd quae plura sunt non possunt prima esse, nisi vno comprehendantur: quia omnium optimum, & bonum vnum est: nequè enim semper verum est, multiplicationem plurium bonorum esse meliorem quàm vnius, praesertim vbi ex ea multiplicatione consurget aliqua naturae inordinatio, vt otiositas: nō enim praestat plures esse naturae principes, quàm vnum, nec plures esse Soles, quàm vnum, nec plura esse hominis capita quàm vnum: quia positis pluribus alterum esset otiosum, quandòquidem vnum per se est sufficiens. sic si plures mundi ponerentur, alter esset superuacaneus, cum iste corporibus omnibus sufficiat.

3617 Plutarcho verò neganda est similitudo: nam sanguis ad cor, vt ad suum principium ab interna virtute nō fertur; sed ab externa, nempè attractrice virtute cordis, cuius rei signum est, quòd cum sanguis corpus quoddam grauè sit, naturali suo motu deorsum fertur, quare attractrice vi eum ad diuersa membra trahente opus fuit. propterea cum in Socrate, & Platone diuersae virtutes attractrices sint, idcirco vtraquè suum ad se trahit sanguinē: at terra virtute interna fertur.

RATIO ARISTOTELIS DE VNITATE MVNDI A PLVTARCHO OPPVGNATA INTIMIVS PERPENSA.

3618 sed adhuc aliquis pro Plutarcho, & Epicureis sic inuehi posset in Aristotelis rationem, quòd cum nulla in his inferioribus actio possit fieri, nisi vniuersale agens presto sit, propterea motus vnius cuiusquè terrae, cum ab vniuersali, proprioquè illius mundi mouente dirigatur, nullo pacto alterius mundi terra ad alterius medium ferri

 poterit,

poterit, verùm quo pacto haec Aristotelis dicta expugnabunt, si ipsemet in Metaphysicis ab vnitate vniuersalis caussae, vnitatem mundi conclusisse videtur?

3619 adhuc tamen & Alexander dubitauit, qui cum censuerit ex Aristotele virtutem mouentem coelum amore, & desiderio quodam mouere, proindè fieri posse arbitratus est, vt idem à pluribus amari, ac desiderari queat, & proindè plures coeli, atquè mundi ab vna prima virtute intelligibili moueri, atquè regi posse, & hanc rationem tanti ponderis Alexander existimauit, vt dixerit Aristotelis demonstrationem tantùm persuadere, qua in re prorsus lapsus est.

3620 melius itaquè respondet Simplicius, idem nempè à pluribus, & amari, & desiderari posse: attamen non aequè primo, & immediate: sed ordine quodam. vnitati enim simplicissimae impossibile est pluralitatem immediate vniri, ideoq; necesse est, vt pluralitas illa ad ordinis vnitatem redigatur.

p.de coelo com. 9.

PLATONIS SENTENTIA DE VNITATE MVNDI, ET IN EO CVM ARISTOTELE CONCORDIA.

3621 Plato verò vnitatem mundi ex idaee, & exemplaris vnitate conclusit, quam rationem non solum Alexander: sed & Platonici plerique vt inanem carpunt: nam si neq; homo singularis, neque equus, licet vtriusquè vna idea, quid vetat non vnicum in natura mundum: sed plures extare? huic dubio vt satisfaceret Simplicius exemplata distinxit in prima, & secunda. exemplata prima species appellauit, secunda verò indiuidua, dixitquè vni exemplari vnum exemplatum respondere, primum nempè: non etiam secundū. at haec solutio nullius est ponderis.

In sua enar. in Symp. Plat

3622 Franciscus Cataneus si exemplar est vnum (inquit) opifex vnus, necesse est, & mundum esse vnum: nam opifex vnus dùm perfectissimè exprimit exemplar vnum, omnes exprimendi numeros impleat est necesse, aliòqui non perfectissimè exprimeret, eiusmodi autem expressio nō nisi in vno perfectissima est. quòd si objiciatur animarum ideam esse vnā, opificē vnum, huncq; perfectissimū: complures

complures tamen animas esse, ad haec Leonis, aut Equi, & si qua sunt generis eiusdem ideam esse vnam, complura tamen quae ideam imitentur. nos (ait ipse) ad haec respondeamus non esse animarum omnium vnam ideam: sed singulas animas singulas habere ideas. verùm haec mihi non omnino probantur.

3623 eos itaquè magis laudo, qui non esse eamdẽ mundi, caeterarumquè rerum rationem dixerunt: quoniam vt exẽplar primum, primaquè rerum omnium idea vnica est, quae caeterarum rerum exemplaria, & ideas in se continet, sic primam imaginem, quae in mundo hoc sensili est expressa (id est sensile primum) oportuit esse vnicam, & in se continere caeterarum idearum imagines. aliòqui futurum non erat, quod Plato in hac ratione supponit, vt mundus hic in sensibus perfectissimus, perfectissimo, & primo intelligibili omni ex parte responderet. at haec licet supradictis praestent, non vsquè quaquè tamen aures nostras implent. Proclus in Tim.

3624 verùm vt rem hanc intimius calleamus operaepretium erit in arenam Aristotelem, & Platonem euocare: non videtur itaquè eam Platonis rationem, quae à specie, & ab idea ducitur Aristoteles probasse, cum iuxtà ipsum forma si vni tantùm communicetur sit tamen sua natura pluribus communicabilis. At cum forma duplex sit, altera simpliciter participabilis: altera verò secundũ quid, & cum prima totam suam materiam absumat: secunda verò partem, quid prohibet quo minus omnia discrepantia ex ista distinctione conciliari possint? cix. concordia.

FORMA MVNDI, ET IN HOC PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA.

3625 quòd ad formam mundi attinet Peripatetici nullam aliã agnouisse videntur, quàm ordinem partium inter se. si quaeras itaquè ad quam vnitatis rationem secundum formam iuxtà Peripateticos referatur vniuersum: respõdebunt ipsi, & rectè ad vnitatem ordinis eorum, quae ab vno ducta principio, in eundem vnum tanquàm in finem proprium referuntur.

Plato

3626 Plato verò mundo tanquàm propriam formam adiudicauit animam mundi, in qua re trifariam ab Aristotele dissentire crediderunt multi. primò quòd & ob hanc animam elementis vitam tribuisse videtur. praeterea quòd toto coelo vnicam animam (cum tamen Aristoteles vnicuiquè orbi propriam assignarit intelligentiam) adiunxisse visus sit. postremò quòd hanc animam coelum informare, non tantùm illi assistere audacter asseruerit, cũ tamen ex Aristotele intelligentias multi formas assistentes affirment.

in Phædro
in Timeo.
in x. de ll.

THEOREMATA MERE PLATONICA DE ANIMA MVNDI CONTRA ARISTOTELEM.

3627 totum itaquè mundum profitētur Platonici animal magnum: cum enim haec inferiora (quod & Aristoteles quoquè fatetur) superioribus continua ita sint, vt inde in inferiora omnis fluat vis, cur & vis coeli animata in hunc inferiorem mundum non influet? equidem in corde anima est apud Aristotelem: sed quia arterijs, neruisq; vim suam fundit per omne corpus, etiam & pes animatus dicitur.

3628 rectè itaquè Virgilius cecinit.

6. Aeneid.

„ Principium coelum, ac terras, camposq; liquentes,
„ Lucentemquè globum Lunae, Titaniaquè astra
„ Spiritus intus alit, totamquè infusa per artus
„ Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

3629 illud autem saepius ab antiquis reuocatum est in dubiũ, an haec anima mundi rationalem potentiam tantùm habeat, an etiam vegetalem, sensitiuamquè. in qua sanè cõtrouersia omnis Stoicorum familia, non modò rationẽ sensumquè corpori coelesti tribuunt: verùm etiam & ipsum ali, astraquè alimonia conseruari volunt. hinc admirantur Platonem coelestia ignea asserentem, humorem aptum, quem depascantur, & altricem vim negasse, & quia vis alendi requiritur, vbi impendet consumptio, & tabes, & vbi quotidie aliquid conficitur, eius munus est congrua, & apta alimonia rependere, propterea coelum nutriri aequaliter recentiores Stoici dixere, quod est coelum

est coelum non ali more nostro, cum nobis non aequè resarciri possет, quod consumptum est, licet coelo quantùm adimitur, tantùm aequè restituatur, quae omnia pura somnia sunt. De Platone verò, qui ignea dixit astra, alia ratio, quod & inferius dicemus.

3630 somniauit etiam, & Cleanthes, caeteriquè Stoici dùm sensus externos huic animae tribuerunt: tactus enim refugit pestifera, salutariaquè amplectitur, si cominus propequè fuerint. aspectus autem eminus discernit haec ab illis, & ad inuentionem disciplinarũ princeps, & author est maximus. auditus ad capessendam doctrinam, & ad excipiendas voces, & strepitus opem affert. coelo verò tactus nulli est vsui: nihil enim coelo pestiferum, inimicumquè, quale nec lacessere iniuria, nec prouocare detrimento illato, nec laedere quicquam potest. aspectus aequè coelo non necessarius: nam ad rerum cognitionẽ sibi sufficit ipsius anima, omniaq; coram habet, & caussas continet, nec opportunus ad praeuidenda eminus inimica, & vtilia: quare nè verbis id pluribus exaequar, tuum sit ostendere coelum habere sensus exteriores, quod nos semper improbabimus.

3631 sensum autem interiorem non negamus, quem & etiam Auicennas non negauit.

CONCORDIA.

3632 non video tamẽ si dicamus animam mundi (Plato enim vniuersum intrà animam condidit) illam animam esse, quae primo mobili esse tribuit, quo pacto Plato ab Aristotele differat? quid enĩ prohibet quo minus ex primo mobili vis quaedam princeps vitalis in totum orbem diffundatur. concordia cx. cxi. & cxij.

3633 ordoquè istius mundi ab hac anima dependet, si vt terminis latinorum vtar de vnitiuo intelligamus, non etiã de aggregatiuo: proindè & Platonici quoquè confiterẽtur, ordinem mundi vnitiuum ipsius mundi formã esse. cxiii. concordia.

DIVISIO MVNDI.

3634 duae sunt mundi partes, quas Plato, & Aristoteles omnesquè Philosophi commemorant, vna coelestis, quae supra est, altera elementaris, quae infra.

dictae nihil prorsus ad rem faciunt; licet enim non intendantur qualitates: multiplicantur tamen in augmẽtatione elementorum, ex quo & tertium dictum, inane penitus apparet.

3639 secundumque dictum (vt etiã animaduertit Simplicius) locum sibi vendicabit in aduentitijs qualitatibus: non etiam in naturalibus.

PLATONIS, ET ARISTOTELIS SENTENTIA DE COELO, CONCORDIAQVE.

3640 Aristoteles autem coelum quintae esse naturae dixit hoc est aeternum mobile, qualitatibus his inferioribus carẽs, nec leue, nec graue: quod ex eo deduxit: quia cum elementa motibus contrarijs moueantur (mouentur enim omnia motu recto, & leuia quidem sursum grauia verò deorsum) proindè contraria sibimet esse palàm indicant. coelum verò cum eo motu, cui nihil contrarium, moueatur, propterea ab elemẽtis seiungi debet, & quinta quaedam essentia constitui. p.de coelo

3641 haec verò quinta essentia mirum in modum Xenarcho, Plotino, & alijs displicuit, quorum argumenta sigillatim referre, & expugnare laboriosum esset nimis. seligam itaquè nonnulla tantùm Philoponi obiecta, quae inter caetera magis Aristotelem vrgere mihi videntur. Philoponus itaquè in his libris quos contra aeternitatem coeli in Aristotelem conscripsit, perquirit primò quo pacto Philosophus à motu locali corporum ipsorum substantias venatus sit. cur enim ab alijs motibus qui substantiam attingunt magis non est argumentatus? praeterea contrarietas in elementis, vel in substantia, vel in qualitatibus. at substantiae nihil contrarium: qualitates autem contrariae in eadem substantia esse possunt, cum eadem substantia contraria suscipere posit, & proindè etiã aeris, & aquae elementa, & sursum, & deorsum mouẽtur.

3642 his autem rectè occurrit Simplicius Aristotelem in hoc discursu motum tantũmodò actiuum sumpsisse: passiuũ verò penitus reiecisse: passiui enim motus etiam contrarij in eodem subiecto esse possunt, si quidem vna, & eadẽ in vlt. digress. p.de coelo.

res,

res, & calefieri, & frigefieri potest. quod in actiuis minimè venit, & proindè rectè Aristoteles à motu tantùm locali naturas corporũ (natura .n. vt superius diximus, est motus, & quietis principium) referauit.

3643 contrarietas autem in substantijs, non vt substãtiae sunt, verùm vt differentias habent reperitur.

3644 motusquè aeris, & aquae sursum, & deorsum secundum existentiam vnus est: duplex verò secundum habitudinẽ.

Simplic. p. de coelo i digr. tex. com. 20.

3645 sed in eo prius existimantur contrarij Plato, & Aristoteles, quòd Plato non videtur putare natura esse differentiam grauis, & leuis: nec enim in vniuerso (cum ipsum Sphaericum existat) sursum, & deorsum admittit; sed tantùm medium, & circum, ob quod forsan, & Themistius dixit: non esse aliquid in proprio loco, vel graue, vel leue. At ni fallor facilis est conciliatio, si dicamus natura sanè (vniuerso Sphaerico existente) sursum, & deorsum non dari: sed ad nostros tantùm pedes, nostrumq; caput. De graui verò, & leui inferius.

4. de coelo

cxiij. concordia.

3646 iudicantur etiam contrarij Plato, & Aristoteles in materia coeli: quandòquidem Plato eandem visus est credidisse materiam coeli cum inferioribus materia, quod sanè Aristotelem abnegasse omnes ferè Peripatetici credũt quo pacto enim Plato quintam essentiam ab inferioribus elementis diuersam cognouit, si iuxtà ipsum vniuersus mundus ex quatuor, & solis constitutus est corporibus: coelum verò ex igne maximè?

3647 nequè enim apud Platonicos vlla necessitas est, propter hoc solum: quia circulo fertur, esse alteram ab elementorum natura coeleste corpus; id enim dùm mouetur iuxtà praedominans, superum locum petet, quo ex se nequè quietis, nequè motus particeps erit. Anima itaquè circulo mouebit corpus ad motum, & ad quietem indifferens, quae omnia iuxtà Platonicam Philosophiam possunt sustineri.

Philopon. xiij l. cont. Proc. c. 6.

3648 sed dubitabis quo pacto mentibus orbium coelestium motricibus defatigatio non accidat: cum illi orbes ad motum circularem propensionem non habeant. Verùm & ex parte mobilis, & ex parte mouentis rectè isti defatigationem

tigationem negant: fatigatio enim ex parte mobilis euenit formae mouenti praeter naturam elementorum, id quod exempli gratia videtur in terra sursum iacta. Animal autem à terrae motu, quae in ipso multa est, deorsũ distrahitur, vnde sese cum retrahere nititur, atquè ad id muneris spiritibus vtitur, tanquàm instrumentis, ijquè cumquè absumantur, tumquè fatiscant, vires deficiunt. At orbis coelestis praeter naturam non mouetur.

3649 nequè etiam motu suo fatigantur intelligentiae, quia sola mouent intellectione: intelligunt autem se ipsas, quare intellectio illa, nequè à quo, nequè ad quem: sed in se ipsa est, propterea nullum fit interstitium, nullaquè intermissio. est ergo quieti simillimus is motus, qui in se ipso fit, sicuti coeli motus, qui est admirabilis, quippè motus partium totius quiescentis, atquè iccirco motus illius potens virtus nullo aeuo fathiscere potest, cum non feratur in terminum, ad quẽ ab se exeat per intellectionem. Plinius de motu cœli

3650 caeterum si haec vera sunt, quo pacto Plato cum Aristotele consentiet? dicamus itaquè & materiam coeli etiã iuxtà Platonem ab suis inferioribus differre: is enim in Epinomide aethercam naturam vti quintã videtur agnoscere: cùm quinque sint corpora inquit, ignis, aqua, tertium aer, quartum terra, quintum aether, horum principatibus multa, variaquè singula animalia producuntur, & eodem loco aethera inquit post ignem ponamus ex quo animam animalia gignere arbitremur. ad quae cũ his, quae dicta sunt in Timeo concilianda dici posse videtur, in vniuersitate ex Platonis sententia ignem esse duplicem, vnum lucentem non adurentem vti coelestis alterum adurentem, vti elementaris est. cxiiij. concordia.

3651 atquè forsan vt hunc coelestem ignem ab elementari separarent Platonici, eum humidum nuncuparunt: nam sicuti coeli anima vita constat, & intellectu, ac motu, sic & in coelo tria recognoscuntur haec, calor tanquàm vita lumen intellectus vice, vitalis humor perindè, ac in anima vitalis motus. Nec sanè aliud esse hunc humorem cẽsueris, quàm agilitatem quandam ad motum. proindè

coelestis

coeleſtis ignis non eſſe modo colligitur calidus: ſed humectus inſuper, id eſt liquidus, fluidus, agilis, atquè lubricus, & lenis, ac blandus.

COROLLARIA.

cxv. concordia.

3652 propterea ſicuti Platonicos ab Ariſtotele non recedere exiſtimamus dum humorem adiudicāt igni, ſic & BERNARDINVS TELESIVS Vir aetate noſtra ſubtiliſſimus, in hac re cum Platonicis, & Ariſtotele componi poteſt.

2. nat. hiſt.

3653 ex ijs etiam (vt opinor) lux multa infertur Plinij verbis, qui coelum laeuitate continua lubricum corpus appellauit. ſic & Martianus Capella, lunarem (inquit) circulū ingreſſa virgo conſpicatur globoſum quoddam, tenerūquè corpus, & ſuperni roris laeuitate compactum: ſed in Timeo idem Plato, lenem praeterea inquit hunc globum extrinſecus vndiquè expoliuit, nec immeritò ſumma cū aequalitate tornauit.

3654 ſic ex humoris coeleſtis ſimilitudine, qui agilitatē ſignat vt antea eſt expoſitum, Ariſtophanes in Nebulis Socratem irridens illum ita inducit loquentem.

„ ἀλλ' ἡ γῆ βία ἕλκει πρὸς αὐτὴν τὴν ἰκμάδα
„ τῆς φροντίδος.

id eſt ſed vi (inquit) terra ad ſe pertrahit humorem curae, vbi interpres ἰκμάδα id eſt, humorem τὸ νοικὸν animae intelligit, id eſt, animae intellectualem potentiam: ſed cur ſic, id verò dicere ſuperſedit.

ΕΡΓΑ.

cxvi. concordia.

cap. 6. lib. de coelo.

3655 quòd ſi quando in coelo elementa apud Platonicos eſſe dicantur, hoc non tàm ad elementorū ſubſtantias, quàm ad eorum qualitates videtur eſſe referendum, idquè fortaſſe, & Plotini ſententia, qui meminiſſe oportet (inquit) terram non ita miſceri igni ſublimi, vt in ipſa ſtellarum compoſitione connumeretur. ſed cum in vno mundi corpore ſingula collocentur, nimirum & ignem aliquid habere terreni, quemadmodum, & terra aliquid ignei habet, ac ſummatim ſingula habere aliquid ſingulorum. non adeò quidē, vt quod dicitur alia poſsidere ex vtriſquè conſtituatur, videlicet ex ſe ipſo, & ex eo cuius eſt

particeps: sed vt non tàm alterum, quàm alterius nonnihil accipiat, velut non ipsum aerem: sed aeris liquiditatem, sic & terra non tàm ignem, quàm igneam claritatē, & ignis non tàm terram, quàm huius soliditatem, densitatemq; habere dicatur.

1656 hac enim ratione ipse etiam Aristoteles in coelestibus corporibus stellam appellat partem eius orbis, in quo est, densissimam. 2 de coelo

1657 in quo occultae suae Philosophiae fundamenta posuit Henricus Aggrippa. l. 1. cap. 8.

1658 vt hoc fortasse Proclo venia danda sit, quòd in Platonis doctrina coelum modò faciat corpus simplex, modò idē velit ex quatuor elemētorū puriorib' portionib' cōstare.

COROLLARIVM.

1659 quapropter perperàm à Ioanne Grammatico inconstantiae arguitur. lib. 13. de mūd. aeter con. Procl.

ΕΡΓΑ.

CONÇORDIA PYTHAGORAEORVM CVM ARISTOTELE DE COELO.

1660 in hac autem re Pythagoraei coelum vnitatē esse dixerūt omnium corporum. quod sanè ità intelligi voluerunt, tanquàm coeli pars quaelibet totus mundus esset inferior quia sit in stellae cuiuslibet actione omne caducum corpus virtute. id quod simbolicè Pythagoras ille sapientissimus significasse videtur, vbi in Luna, reliquisquè sideribus, elementa quatuor, montium supercilia, valliumq; constituit humilitatem, quinimò stirpes quoquè, & quae apud nos visuntur omnia: nequè enim stellarum in coelo vlla est, quae non ambiat totum, quod sublunaris complectitur mundus. Proclus in 2. Tim. Iamblicus de symp. Pythag.

COROLLARIVM.

1661 ex istis (ni fallor) Ariosti locus declaratur, à nemine, quē ego sciam intellectus.

„ Altri fiumi, altri laghi, altre campagne lib 34.
„ Sono la sù, che non son qui tra noi,
„ Altri piani, altre valli, altre montagne,
„ C'han le Cittadi, e li Castelli suoi,
„ Con case, delle quai mai le più magne.

„ Nòn vide il Paladin prima, ne poi,
„ E vi sono ample, e solitarie selue,
„ Oue le Ninfe ogni hor cacciano belue.

3662 verùm si diuersae sunt materiae coeli, & inferiorum quo pacto distinguẽtur? an vt rectè animaduertit Simplicius per subiectionem? duplex enim distinctio altera specifica, quae ab actu desumitur, altera verò materierum, quae à submissione, seu subiectione manat.

p. de coelo com. 3. digress.

3663 sed nonnè saltem in hoc differt Aristoteles à Platone, quod iuxtà Aristotelem in vno quoquè coelo diuersa est materia, cum ex principijs eius essentialis ordo minimè sit inter indiuidua eiusdem speciei: cum tamen Plato Platonicique eiusdem speciei videantur orbes coelestes credere? An potius nulla, & in hoc est differentia.

cvij. concordia.

3664 nequè tamen ob haec verùm est non lassari perpetuo labore siderum mentes illas rotatrices: quia formae illae non sint in materia passiua, quae responsio vt est luculenta (quid enim speciosius, quam de re loqui foetidae non obnoxia materiae?) ita vera non est. Etenim forma nulla simplicis corporis è sua materia quòd ad motum spectat fatigatur, ita vt motum deserat, aut abrumpat, nequè somniandum terrae formam à materia terrae delassari vnquam posse, quominus eam ad centrum vsquè perducat. quòd si centrum perpetua motione aliquo vergeret, conferret se se ad eundem motum perpetua incitatione ipsa quoquè terra.

3665 nec quod Simplicius in Philoponum dixit coelum nempè à praedominante igne orbiculatim moueri, probatur nobis: quo pacto enim coelum secundum ignem praedominantem in orbem vertetur, si vt vidimus coelum non est compositum, nec ignis ex sui natura, orbiculatim voluitur: sed solummodo ex accidenti? eoquè ex accidenti, quod cum ab alio sit perpetuum esse potest.

p. de coelo com. 8.

3666 si verò Philoponi dictum admitteremus, coelum nempè ex se nec secundùm naturam, nec praeter naturam orbiculatim verti: sed tantùm ab anima, Plato prorsus ab Aristotele differet.

3667 melius est itaquè dicere coelum, tùm à natura, tùm ab anima

anima circulo ferri, aptum est enim coelum vt ita feratur non aliter, quod & Plato procul dubio sensit, dùm circularem motum coelo sine anima perpenso adiudicauit, & apta est anima ita mouere non aliter. cxviij. concordia.

COROLLARIVM.

ALEXANDRI, ET SIMPLICII CONCORDIA CIRCA CAVSSAM EFFICIENTEM MOTVS COELESTIS.

3668 ex quo palàm est effutire prorsus Simplicium, dũ in hoc ab Alexandro dissentire vult: nam quo ad potentiam absolutè consideratam attinet, mouetur coelum, & secundùm naturam, & secundùm animam, nec ab inuicem distinguuntur vt sensit Alexãder: sed si potẽtia respectiuè sumatur ab anima coelum actiuè, & primo mouetur, vt dixit Simplicius. 2. physi. & 2. de coelo

ΕΡΓΑ.

3669 verùm si materia est differens quomodò dixit Plato coelum ex sui natura indissolubile esse, at indissolubile ex voluntate Dei? ex quo etiam (vt adnotauit Philoponus) multa sequi videntur absurda, & primo potentiam Deus habebit quam nunquam deducet ad actum, praeterea facultatem habebit ad efficienda mala. Demùm si bonus Deus ob sui bonitatem coelum ex se dissolubile aeternũ constituit, cur non & omnia dissolubilia aeterna fecit? ardua sanè dubia, quibus tamen ex Simplicio ita respondeas, Dei voluntatem idem esse cum naturali necessitate vnde, & Zoroaster de coelo loquens. vlt. com. p. de coelo. cxix. concordia.

„ ἀιδίω βουλῃ φέρεται, ἀεὶ τρέχει ἔργω ἀνάγκης.

id est

„ Perpetua voluntate fertur, semperquè voluitur
„ Opera necessitatis.

3670 nequè tamen ob hoc negamus Deum iuxtà Platonem agens voluntarium esse. quis enim hoc negaret? voluntarium agens sit, itaquè tàm secundum Platonem, quàm secundum Aristotelem, quandòquidem actionibus suis nec vlla vis, nec vlla obstat ignorantia: quod & Plotinus animaduertit. cxx. concordia. lib. vlt. vlt. Enn.

3671 praeter haec & tertio dubio ex Simplicio respondeas

melius fuisse Diuinam bonitatẽ per omnes boni, entisq́; gradus propagari.

COROLLARIVM.

3672 proindè ea verba. malum bono subcontrarium, rectè declarant Platonici, aliquod à bono summo maximè distãs quod tamen sit sub imperio boni à qua declaratione, nec Aristoteles dissentit.

cxxi. concordia.

EPTA.

COELI FORMA, TVM IVXTA PLATONEM, TVM IVXTA ARISTOTELEM.

3673 forma verò coeli (quicquid alij dicant) est anima, intelligentiaquè quaedam ipsi coelo tribuens esse, quae & etiã secundum Platonem simplex est. licet duplici munere fungatur. valeant itaquè illi Platonici, qui duplicem animam ex Platonis opinione, vnicuiquè coelo adiudicant: id enim quo pacto asserrere possunt, quando vnam quamquè coelestem animam tanta insigniri potestate scribit, vt diuina contemplatione perfrui valeat, interim iunctum sibi coelestium orbium mouendorum obeat munus.

Acchilin' de orb.

x. de .ll.

cxxij. concordia.

DEXTRVM, ET SINISTRVM COELI.

3674 omnibus autem animalibus motu locali praeditis dextrum, & sinistrum inest (pluribus verò inest ante, ac ponè, sursum, & deorsum, nec tamen dextrum, aut sinistrũ, vt quae gustum modo habent, & tactum, & motu priuantur locali: quoniam non moueantur, nisi cõstrictionis motu, & ampliationis, sicut ostrea, spongia, & id genus alia pleraquè. in plantis autem id modò est, quod vocant summum, & infimum: est enim ibi crementi motus) proindè cum coelum animatum sit, motumquè localem habeat, nec dextro, nec sinistro caret:

Alb. Mag. 2. de coelo

EMPEDOCLIS OPINIO DE DEXTRO, ET SINSTRO COELI.

3675 Empedocles (si Galeno credimus) dextras coeli in aestiuum Tropicum, sinistras in hybernum reiecit, & proindè summum aequatori videtur tribuisse, iuxtà quam opinionem sic Virgilius cecinit.

„ Et iam

» Et iam finis erat, cum Iuppiter aethere ſummo p. Aeneid.
» Deſpiciens mare veliuolum, terraſquè iacentes,
» Littoraquè, & latos populos, ſic vertice coeli
» Conſtitit, & Libyae defixit lumina regnis.

PYTHAGORAEORVM, ARATI, ET CLEOMEDIS OPINIO DE DEXTRO, ET SINISTRO COELI.

3676 Pythagoras, & Cleomedes in globoſo mundo ſurſum Arctico polo adiudicarunt: antica verò mundi dixerũt, quae ad occiduas orbis partes declinantur: quoniam illuc adnuit motus, poſteriora orienti reliquerunt: quia inde feratur ad occaſum. ex is porrò conſequitur liquidò, vt dextras habeat ſeptentrio, ſiniſtras meridies.

COROLLARIA.

3677 ex hac Cleomedis diſtributione, quam ab Aegyptijs videtur accepiſſe, ſicuti diſcimus ex Plutarcho l. de Iſide. tollitur planè ex Lucani carminibus nubilum, quod etiam ſi author Sphaerae illuſtrare conatus eſt: nihilominus auribus acri lotis aceto parum ſatisfecit. Agitur ergo de felice Arabia, cuius pleraquè portio inter aequinoctialem circulũ & tropicum cancri ſtatuitur à Coſmographis. in quibus regionibus Solem geſtiente cancro vmbra planè in meridiem, hoc eſt in ſiniſtras mundi partes nutat.
» Ignotum vobis Arabes veniſtis in orbem lib. 1.
» Vmbras mirati nemorum non ire ſiniſtras.

3678 caeterum & ex hac obſeruatione expendant etiam eruditi locum Ouidij,
» Vtquè duae dextra coelum, totidemquè ſiniſtra p. Metam.
» Parte ſecant Zonae, quinta eſt ardentior illis.

ΕΡΓΑ·

VARRONIS OPINIO DE DEXTRO, ET SINISTRO COELI, QVAM NONNVLLI, ET PLINIO, ET PLATONI QVOQVE ADSCRIBVNT.

3679 Marcus autem Varro diuerſimodè orbis haſce conſtituit 6. ling. lat. fragm. partes, quo circa inquit coelum, qua tuimur dictum

templum, eius templi partes quatuor dicuntur, ſiniſtra ab oriente, dextra ab occaſu, antica ad meridiem, poſtica ad ſeptentrionem, quam opinionem iuxtà quoſdam amplexari videtur Plinius cum ait. errantia ſidera contrarium mundo agere curſum. id eſt laeuum, ſemperquè illo in dextram praecipiti. haec quoquè obſeruatio ab diſciplina profluxit Tuſcorum, quam tamen non comprobat Plato, vt inferius dicemus, licet Alcinous ſecus ſenſiſſe videatur.

ARISTOTELIS SENTENTIA DE DEXTRO, ET SINISTRO COELI.

2. coeli cap. 2.

3680 Ariſtoteles demùm dextrum orienti tribuit, quod ex eo oſtendit, quia & in particularibus animalibus dextra illa dicuntur, vnde principium motus ſecundũ locum. coeli autem principium circulationi eſt ab ortu. ſiniſtrum igitur erit vbi occaſum, ſurſum in antarctico, deorſum in arctico polo.

3681 ſed dextrum, & ſiniſtrum quo pacto in globoſa figura? hoc ſanè quaeſitum nonnulli Auerrois interpretes, vt cõplanarent, oriens ſecundum longitudinem terrae, tùm habitabilis aſſumi dixerunt: alij verò pro oriente librã debere intelligi dixerunt. at omnia perperam.

Leo Heb. 2. dialogo de Amor.

3682 melius eſt itaquè dicere in coelo ſurſum, & deorſum tãtum materialiter diuidi: reliquas verò quatuor partes formaliter.

EMPEDOCLIS, PYTHAGORAEORVM, ARATI, ET CLEOMEDIS, PLATONIS, ET ARISTOTELIS DE DEXTRO, ET SINISTRO COELI OPINIONVM CONCORDIA.

2. coeli cap. 7.

3683 ſed haſce omnes lites (ni fallor) facilè eſt componere, ſi ſimul cum Simplicio dicamus partes iſtas in coelo, vel ſecundum exiſtentiam, vel ſecundum apparentiam aſſumi poſſe.

3684 et ſanè ſecundum apparentiam aſſumpſiſſe patet Aratum, (apparentia enim promiſit ſcribere) Pythagoraeos, Cleomedem, & Empedoclem. verum iſtiuſmodi apparentia duplex,

duplex, altera iuxtà virtutem stellarum, secundum quam loquutus est Empedocles, altera verò secūdum motum, quam Pythagorei, Aratus, & Cleomedes sequuti sunt: Aristoteles autem secundum existentiā ratiocinatus est.

3685 porrò cum Plato dixit extimum orbem ad dextra ab ortu in occasum citato cursu conuerti: interiorem autem retrorsum ad sinistra ab occidente in orientem obuiam eundo, hoc Chalcidius rectè significare putat supremum orbē suo motu à dextra per sinistrū latus ad dextrū cōuerti id est ab orientis puncto per occidentē ad idem orientis punctum reuerti. septem verò orbes inferiores contra à sinistro in sinistrum conuerti per dextrum, id est ab occidente per orientem. in Timeo cxxiij. cōcordia. in Timeo

IVLII CAESARIS SCALIGERI OPINIO, QVAE DEXTRVM, ET SINISTRVM COELI NEGAVIT, ET CVM ALIIS CONCORDIA.

3686 Iulius Caesar Scaliger dextrum, & sinistrum prorsus à coelo seiunxit, quod quatuor vijs, ac rationibus persuasum illi fuit. prima est à non necessario: non enim plantae dextrum habent, & sinistrum. secunda à perfectione, & simplicitate: est enim corpus perfectissimum, atquè simplicissimum, quod nequè anteriorem habet partem, nequè posteriorem, ita nequè dextro erit à se ipso diuersum, vel sinistro. tertia respectu nostri, si quidem ijs, qui trans aequinoctialem habitant, ijs contraria erit dispositio. quarta ex ipsius natura coeli: si enim dextrum, & sinistrū in coelo esset non verteretur coelum super polis aequaliter, tanquàm rota super axe. postremò cum nulla sit coeli pars in cuius locum non succedat altera, nulla pars dextra, nulla sinistra dici merebitur, quae omnia rectè dicta sunt. Exer. lxvij. d sub. rerū

3687 nequè tamen haec superioribus repugnant: non enim in coelo adest dextrum, & sinistrum materiale: sed formale.

COELI CALOR, ET IN HOC PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA.

3688 magna verò, arduaquè dissensio est de calore coeli inter Platonicos, & Aristoteleos: Platonici namq; ex eo coelū

Georgius plethon cap.xiiij. d diff. Plat & Arist.

per se calorem inducere credunt, quòd coelum igneum existimant. quatuor enim esse in hoc conspicuo mundo prima, & antiquissima corpora omnes Platonici vno ore affirmant, ignem nempè, aerem, aquam, & terram. atq; ex his quidem ignem, & terram sibi inuicem esse maximè contraria, eo quòd ignis est leuior propter raritatem, & summum obtinet locum: terra autem grauissima propter densitatem, ob quam omnibus alijs est subiecta elementis. aerem verò, & aquam in medio amborum propter, & raritatem, & densitatem mediam ad vtrumquè habere rationem.

3689 eodem autem etiam modo quo ad motum attinet latione, & quiete inuicem distinguuntur. si itaquè terra sit in suo loco immobilis, & extrà locum deorsum mobilis, ignis extrà locum sursum: in suo verò loco perpetuo mouebitur. media verò medio quodammodo. coelum itaquè tanquàm ignis ex se calorem rebus infert.

Plethon cap. xvi.

3690 quòd verò Peripatetici (aiunt Platonici) non naturae caliditate Solem: sed motu calorem terris impertire affirmant. Lunam verò negant similiter motu calefacere, absurdum est: nam etiam si Lunae motus sit tardior motu Solis, ipsa tamen sidus est nouissimum, terrisquè familiarissimum. solent verò ea corpora, quae virtutem habent aliquam ad agendum proximè magis illam exercere, vt ita oportuerit etiam istam motus tarditatē minori distantia compensari, Lunamquè similiter, atquè Solem calefacere, si nimirum res ita se haberet, vt motus potius, quàm caliditas astrorum calorem efficeret. quae omnia contra Peripateticos nihil habent momenti.

3691 dicent enim ipsi Solem, & coelum totum per accidens calefacere: & tertiā sanè aeris regionem attritione quadam coelū, dùm eum aerem trahit, rapit, collidit, & atterit. primā verò quo ad nos Solem reflexione radiorū.

D. Thom. 2.coel.42. tex. Picus in Ast. lib. 3. cap. 4.

3692 verùm nè Platonem, & Aristotelem in hoc quoquè discrepantes relinquamus, dicimus coelo omnium corporum naturalium perfectissimo, tanquàm corpori, perfectissimum quoquè motum, & perfectissimam qualitatem congruere.

nullus

3693 nullus motus perfectior orbiculari, nulla qualitas perfectibilis sensu luce perfectior.

3694 motus itaquè coeli omnium motuum prima caussa, neq; illo cessante coetera aut omninò, aut saltem (vt censuit Alexander) ordinatè mouerentur. 1. meteorũ

3695 lucem verò sequitur quasi proprietas eius calor quidam: non elementaris: sed coelestis, atquè vti primi motus priuilegium est, vt sine illo reliqua non moueantur, ita primae sensibilis qualitatis, vti sine illa caeterae qualitates agere nihil possint: nequè enim calor ille sidereus, frigori cõtrarius est sicuti calor elementaris: sed omnes contrarias continet qualitates eminentia simplici, sicuti coeli corpus omne corpus.

3696 quamobrem errant, qui conseruare coelitus, elementa frigida posse dixerunt, nisi etiam praeter calorem influant sidera frigiditatem.

3697 coelesti verò illi calori, proximior quidem natura caliditas elementaris, quam frigiditas: sicuti etiam illa perfectior, quàm haec: sed hoc nihil impedit quo minus eũ vtrasquè amplecti dicamus, sicuti candorem nigro colori aduersum esse dicamus: cum tamen non secus niger color, quam albus candore lucis perficiantur. licet albus lucis naturae proximior, nomenquè ferè etiam habeat commune.

3698 sed quaerat aliquis faciat nè coelum frigidum, calidum particulare per se an per accidens? cui quaesito sic satisfacimus, coelum per se vniuersalem calorem efficere: si verò cum particularibus agat causis per se, tàm frigiditatem, quàm caliditatem, tàm siccitatem, quàm humiditatem producere.

3699 àpparet itaquè Platonem coelo per se calorem vniuersalem tribuisse, quod dictum non repugnat Aristoteli: licet ipse nonnullis in locis calorem particularẽ, tùm ratione attritionis, tùm ratione reflexionis, & sic per accidẽs adiudicarit coelo. t. c. 42. p. de coelo cxxiiij. cõcordia.

MACVLAE LVNAE.

3700 in Lunae maculis Iamblici sententiam caeteris anteponimus, eas nempè à forma substãtiali prodire (quicquid

alij

alij garriant de raro, & denso) quam Iamblici sententiã egregiè sic expressit Danthes.

„ Virtù diuersa fà diuersa lega
„ Col pretioso corpo, che l'auiua:
„ Nel qual, si come vita, in voi si lega.
„ Per la natura lieta, onde deriua
„ La virtù mista per lo corpo luce,
„ Come letitia per pupilla viua.
„ Da essa vien, ciò che da luce à luce
„ Par differente, non da denso, & raro:
„ Essa è formal principio, che produce
„ Conforme à sua bontà lo turbo, e'l chiaro.

MOTVS ASTRORVM.

3701 de motu verò astrorum non est, quòd credamus Aristotelem à Platone recedere: nam (vt rectè animaduertit Simplicius) tollit Aristoteles reuolutionem astrorum non omninò: sed veluti non solam existentem, quiescẽtibus Sphaeris coelestibus.

cxxv. concordia. com.33.2. coeli.

3702 hancquè reuolutionem solùm negat à Sole, quicquid alij dicant.

CENTRI, SEV TERRAE QVIES.

3703 Terram ex sententia Platonis non moueri rectè declarauit Simplicius, qui verbum ἰλλομένην per i scriptum alligatam significare, ex Appollonij poetae authoritate declarauit, quod & superius dictum est.

Simplic.2. coeli com. 51.

3704 et quòd (licet illud nomen aliud significatum haberet) pro alligata tamen debeat sumi, declarant ea, quae alibi à Platone dicta sunt, terram nempè in medio manere, ob aequilibrium, & ob similitudinem. qua in re, nec Aristoteles Platoni repugnans habẽdus est: assumpsit enim Plato non aequilibrium vnumquodquè contingens; sed id solum, quod secundum naturam est, quod quidem ipsam terram, vndiquè in centrum premit. similitudinem verò eam dixit, quae est locantis ad locatum, quae etiam è penu Simplicij deprompta sunt.

cxxvi. concordia. in Phaedone.

2. coeli com. 59.

ELEMENTA.

3705 veniamus nunc ad eam mundi partem, quae coelo subiecta est, quam elementarem vulgus appellat. Haec autem à nobis

à nobis dicitur communi nomine illa, quae in medio vniuersi tanquàm in ouo vitellum sita est. nam coeli quidem ambitus, omnes vt cernimus elementarem regionẽ intra se se complectitur: ipsa verò haec regio in medio vniuersi est posita.

PLATONIS, ET PYTHAGORAEORVM DE ELEMENTIS OPINIO.

3706 Platonis in Timeo sententia, siuè ea Platonis sit, siuè Pythagoricorum ea est, vt velit prima principia constituentia elementa esse duo genera triangulorum, isocelem nempè, & scalenum. elegit enim praecipuè Plato rectãgulos triangulos, quòd angulus rectus caeteris prior est, & proindè omisit aequilaterum, in quo nullus rectus angulus esse potest.

3707 verùm quoniam isoceles, qui rectangulus est vnius tantũ est modi (nam rectum vnum angulum habet, duos verò semirectos, nequè vnquam ab eo mensu deduci possunt isocelis anguli) ideo nihil amplius fuit in isocele quaerendum.

3708 at scalenus etsi semper angulum vnum rectum haberet, quod tamen minimè perpetuum est, infinitis vtiquè modis duos qui supersunt varios, ac diuersos habere potest, idcirco constituenda fuit certa scaleni species, quae elementis accomodanda esset.

3709 sed cum proportio anguli recti ad semirectum alterutrũ in isocele triangulo sit proportio prima in numeris, dupla inquam, ideo post isocelem praecipuam habuit Plato eam scaleni rationem, in qua angulus vnus esset rectus: inter omnes autem angulos esset proportio, quae in numeris sequitur proportionem duplam eam scilicet, quae est trium, duorum, ac vnius inter se, in qua duorum ad vnum proportio dupla est. at trium ad duo sesquialtera. trium autem ad vnum tripla.

3710 elegit igitur Plato illud scaleni genus, quod rectum vnũ angulum haberet, eamquè inter latera proportionem, vt maximum latus sit in potentia ad proximum, in proportione sesquialtera, ad tertiũ verò omniũ minimũ latus, in proportione tripla: ad sm̃ verò in ꝓportione dupla.

haec

3711 haec Plato in Timaeo obscurè admodum amplexus est: inquit enim proportionem maioris lateris ad minus triplam esse, ac paullò infrà proportionem maioris ad minus secundùm potentiam esse duplam. subticuit autem proportionem sesquialteram, quae est maximi laterum ad medium. Verùm ex his, quae diximus iam comperta est.

3712 huius generis ergo si sex trianguli scaleni aequales inter se in vnum coniungantur, ita quòd anguli, qui sunt centum, & viginti graduum, in eodem puncto, velut centro conueniant, duobus verò angulis sexaginta graduum inuicem compactis efficiatur vnus angulus centum, & viginti, ac recti duo in medio laterum coniuncti, ex duobus lateribus scalenorum vnum tantùm efficiant latus, efficietur triangulus vnus aequilaterus.

3713 hae igitur duae triangulorum species, aequilaterus scilicet ex sex scalenis constitutus est,& isocelis rectangulus (alij etenim modi isocelis indefiniti sunt, & natura posteriores rectangulo) omnium figurarum rectilinearum videntur primi, & perfectissimi. quamobrem Plato, & Pythagorici posuerunt duos hos triangulorum modos principia esse quatuor elementorum ex quibus mundus hic constat, hoc inquam pacto: nam quatuor trianguli si in vnum compingantur, ita quòd rectianguli in centro coeant, vtiquè quadratum efficient. sex verò quadrata corpus cubicum efficiunt, quod Plato terrae attribuit, nullaquè alia figura solida ex quadratis componi potest.

3714 at trianguli aequilateri tres in vnum compacti solidum angulum efficiunt, quibus si quartus addatur Pyramis oritur aequilatera, quae igni adscribitur.

3715 item quatuor trianguli coniuncti, inuicemquè complicati constituunt angulum solidum, quorum octo efficiunt figuram solidam octohedram aeri adiudicatam,

3716 demùm quinque trianguli aequilateri inuicem annexi constituunt etiam solidum angulum, ex quibus si compleatur corpus (vt Stereometrae ostēdunt) efficitur corpus viginti basium, quod aquae imponunt.

3717 ex pluribus autē triangulis, quā quinque in vnū cōpactis effici

effici angulus solidus praeterea nequit, itaquè dicebant nullũ aliud corpus simplex inueniri, praeter ea quatuor, quae etiam sensibus nostris exposita sunt.

3718 sed quoniã praeter has quatuor solidas figuras regulares quinta etiam constitui potest ex pentagonis, quorum tria in vnum compacta angulum solidum faciunt, sicquè figuram complent duodecim basium, vt omninò naturalia corpora Mathematicis responderent vniuerso hanc dodecahedram figuram adscripsere.

3719 at quoniam principia trium elementorum superiorum sunt trianguli scaleni, terrae isocelis, idcirco sequitur quòd tria priora elementa inuicem transmutari queant. terra verò, quae ex eisdem principijs non constat minimè posſit in alia elementa transmutari.

OPINIO PLATONIS DE NVMERO ELEMENTORVM.

3720 iamquè vt doceret Plato mundi corpus perfectum esse (perfecta porrò corpora sunt solida, quae ex tribus constant, longitudine latitudine crassitudine) prius epipedas, hoc est planas figuras, quae longitudinem modò, & latitudinem: nullam verò profunditatem habẽt exponit, quibus ait vnam sufficere posse medietatem: quippè duo distantia, vna media interiectione continuari, habente aliquam inter duo illa distantia cognationem. in Timaeo & ibi Chalcidius. & Proclus

3721 igitur inquit si mundi corpus longitudinem, & latitudinem solùm: soliditatem verò nullã habere deberet, essetquè huiusmodi qualis est perfectorum corporum superficies, vna medietas sufficeret ad extrema vincienda. nũc quoniam soliditate opus erat, solida porrò nunquã vna: sed duabus medietatibus vinciuntur, idcirco mundi opifex inter ignem, terramquè aera, & aquam inseruit. libratis ijsdem elementis salubri modo, vt quae cognatio est inter ignem, & aera eadem foret inter aera, & aquam. Rursum quae inter aera, & aquam, haec eadem in aquae terraequè societate consisteret.

3722 verùm dicet aliquis duo quidem solida corpora, coniũgi duabus interiectis medietatibus iuxtà rationem continui competentis: sed inter ignem, terramquè, quae sunt

sunt solida corpora nullam apparere similitudinē: quādo iuxtà ipsum Platonem ignis quidem forma, & figura Pyramoides esse dicatur. terra verò cubus, quae quidem formae nullam ex se similitudinem mutuantur, quia nō sunt aequalibus angulis, quippè cubus omnis rectis est angulis, pyramidis verò anguli acuti. Vbi autem non non sunt aequales anguli, nè latera quidem erunt pro cōpetenti, propter eaquè sui similia non erunt, & proindè impedietur continuatio, si quidem inter duo non quelibet: sed quae similia sunt sibi inuicem solida corpora inferi debent. cui respondebitur hactenus memores nos esse debere eorum, quibus Plato hanc ipsam difficultatē multo ante praeuidens eos qui ita sensuri sunt ab errore reuocauerit: dixit enim similitudinem nō solùm in formis, & figuris: sed etiam in potentijs, & qualitatibus quaeri oportere: quare si inter ignem, & terram nulla est in specie, & velut in vultu similitudo, quaerenda erit in qualitatibus elementorum iuxtà quas faciunt aliquid, ac patiuntur.

3723 sunt igitur, tàm ignis, quàm terrae multae proprietates. at hae maximè à Platone eliguntur. ignis enim acutus subtilis, & mobilis est: terra verò obtusa, corpulenta, & immobilis. Hae verò naturae licet sint contrariae: habent tamen aliqua ex ipsa contrarietate parilitatem: tā enim similia similibus, quàm dissimilia dissimilibus cōparantur, & haec est analogia continui competentis.

3724 quod enim est acumen aduersus obtusitatem, hoc subtilitas iuxtà corpulentiam, & quod subtilitas iuxtà corpulentiam, hoc mobilitas aduersus immobilitatem, & si verteris, vt id, quod medium est extimum fiat, quae verò sunt extima singillatim in medio locentur, seruabitur analogiae norma.

3725 quo pacto verò inter haec duo corpora solida. quorum est talis similitudo, qualem demonstrauimus, alia duo solida interiecta faciant continuationem iuxtà rationē continui competentis docet Geometrica analogia: si enim vicinum igni elementum, quod sit: & ex quibus cōflatum voluerimus exquirere, sumemus ignis quidem

duas

duas virtutes subtilitatem, & mobilitatem: vnam verò terrae id est obtusitatem, & inuenietur genitura secundi elementi, quod est subter ignem id est aeris: est enim aer obtusus, subtilis, mobilis.

3726 rursumquè si eius elementi, quod est vicinum terrae, id est aquae genituram consideremus, sumemus quidem duas terrae virtutes, id est obtusitatem, & corpulentiam: vnam verò ignis, id est motum, & exorietur aquae substantia. quae est corpus obtusum, corpulentum, mobile.

GRAVITAS, ET LEVITAS ELEMENTORVM IVXTA PLATONIS SENTENTIA.

3727 graue verò Plato definiuit, quod aegre à suo loco dimouetur, leue autem, quod facile ad suum locũ tendit.

ARISTOTELIS OPINIO DE ELEMENTIS, ET CVM PLATONE CONCORDIA.

3728 Aristoteles autem in primis eas elementorũ figuras multis in locis palàm negauit, neque tamen ob hoc eum à Platone dissentire crediderunt Simplicius, Proclus, Iamblicus, & Syrianus: sed diuersa ratione. visus est enim aliquãdo Simplicius credidisse Platonem ex suppositione loquutum, vt quemadmodum Astrologi certis hypothesibus licet falsis omnia apparentia tuentur, sic & Plato istis elementorum formis tanquam suppositionibus quibusdam licet nõ satis veris caetera praeterea facilius demonstret. quae sanè concordia mihi nunquam arrisit. 3. & 4. de coelo, & ibi Simpli.

3729 Proclus verò Platonem alio modo tuetur: credidit enim ignem, & aerem, & reliqua huiusmodi elementa pro materia secunda compositorum corporum statui oportere, & propterea ea ipsa elementa posse resolui in materiam primam. sed quoniam forma ipsa elementorum recipi in materiam non potest, nisi in ipsa materia aliquo pacto determinetur, ideo alij qualitatibus primis, caliditate scilicet, siccitate, humiditate, frigiditate eam determinarunt, cuius sentẽtiae Aristotelem esse asserit. Alij quorum princeps est Democritus (vt Theophrastus tradit) spretis ijs, qui caliditatem, frigiditatem, reliquaq; huiusmodi principia ponebant, indiuidua corpuscula, quae in Timaeo lib. de naturalibus

ipsi atomos vocant pro primis causſis statuere. Pythagoraei verò, Timaeus, & Plato figuras planas excogitarunt, videlicet quae simul quantitatis, & qualitatis rationem suggererent.

3730 cùm enim authores illi qualitatum primarum caussam, quare ignis calefaceret, aqua frigefaceret nullam redderent, nisi quòd alterum calidum, alterum frigidum esset, nec quicquam vlterius quaererent, haec scilicet pro primis causſis accipiẽtes. Pythagoraei exquisitius haec tractari censuerunt, si qualitatum quoq; huiusmodi caussas inuestigarent, itaquè vlterius resoluentes ad planas demùm figuras deuenerunt, easquè caussas esse priores caliditatis, frigiditatisuè dixere: quae enim discernere, ac diuidere possent haec sensum caloris, quae verò constringere, ac condensare, haec frigoris sensum efficere posse crediderunt.

3731 figura autem etsi quãtitas est: tamen ante qualitatem intelligi potest, vt potè quae de genere quantitatis deducta est: omne enim corpus priusquàm quale sit, quantum est figuratum. itaquè materia prima per se incorporea est. secundum autem subiectum corpus non quale per se est: sed figuris variè formatum, quod à corpore Mathematico differt, quatenus materiale est, tangiq; potest ob corpulentiam nempè suam, non ob caliditatem, aut frigiditatem.

3732 quòd autem diximus cum principia qualitatum quaereret Plato ad figuras postremò deuenisse, non debemus de figuris Mathematicis intelligere, quae longitudinem duntaxat, & latitudinem habent. his enim opponi illa meritò possent, quae ab Aristotele dicta sunt. sed naturales figuras accipere debemus, quae cum longitudine, & latitudine, altitudinem etiam habent, & primae constitui in rebus naturalibus possunt.

3733 quae omnia si cum doctrina Diui Thomae de modo generationis coniungantur, non video quo pacto cum Aristotelea Philosophia consentire nequeant. (cxxvij. concordia.)

3734 Iamblichus demùm aliam est ingressus viam: credidit enim ea omnia allegoricè declarari debere, cui & Philoponus

ponus assensit. cubica namquè figura allegoricè terrae lib.xiij.cō.
assignata, quia stabilis, & immutabilis ipsa est, perindè Proc. de mūd.aeter
atquè cubus firmam, & stabilem habens basim figura est cap.18.
minimè lubrica. cxxviij.cō-

3735 pyramis verò ignis imaginem fert, fortè quia ignis inci- cordia.
dit, & penetrat, ab infimo enim lata incipit pyramis, & cxxix.con-
in acutum admodum sumitas eius terminatur. acutm cordia.
verò incidit, & penetrat. fortè quia in sublime fertur:
supra enim Pyramidis summitas tendit. fortè quia ignis
quo vtimur, forma quodammodò Pyramidali existit.

3736 icosahedrum quod est figura solida ex viginti triangulis cxxx.con-
contenta aquae adiudicauit, quia aquae natura lubrica cordia.
est: est enim figura haec propinqua Sphaerae, Sphaera
verò secundum punctum planū tangens lubrica est: igi-
tur & rectarum linearum, quae proxima Sphaerae magis
alijs lubrica.

3737 octohedra figura ex octo triangulis composita secundū cxxxi.con-
quamuis positionem posita habitudinem superiorem ei, cordia.
quae inferior est, similem habet eodem modo, & secundū
latera. aer verò mediae est quodammodo grauium, & le-
uium naturae: est enim leuioribus grauior, vt igne, gra-
uioribus leuior terra, & aqua, & vacuam regionem fu-
giens in sublime, & in infimum pariter, & in latus tran-
sfluit.

3738 dodecaedrum verò vniuerso accommodauit, quod vt cxxxij.cō-
dodecahedrum ex duodecim componitur quinquangu- cordia.
lis, ita & vniuersus mundus ex duodecim maximis par-
tibus consistit, quatuor quidem elementis, & Sphaeris
septem errantibus, & vna inerrante.

3739 quae omnia ex eo etiam rectè probauit Iamblicus, quod
alias ipse Plato in Timæo orbicularem figuram vniuerso
adiudicauit.

3740 Syrianus verò existimauit, quaecūquè in Timaeo ad ele- Syr.lib.12.
mentorum mundanorum formationem sumpta nomi- Met.
nibus quidem Mathematicis explicari: actiuas tamen, &
opificias naturae potentias innuere. quae opinio omniū
optimè Platonem ab omni culpa absoluit.

3741 considerātur praeterea ab Aristotele elemēta sub duplici

tatione, formali nempè, vel vt partes vniuersi sunt, vel vt ad mixtorum generationem faciunt.

3742 atque vt partes vniuersi sunt à motu locali eorum naturam venatus est, in qua sanè re Philoponus valdè dubitauit: quomodo enim (vt Aristoteles nos docet) quae cõtrarijs motibus mouentur sunt sibimet contraria? esset enim sibi substantia contraria. praeterea quo pacto à motu tantùm locali id deduxit Aristoteles, non etiam à generatione ab augumentatione, & alteratione? postremò cum substantia eadem contrariorum susceptrix sit, cur non contrarios motus locales eadem substantia suscipere poterit? ad quorum omnium solutionem, vt rectè adnotauit Simplicius, id prae caeteris scire debemus naturalium motuum nonnullos actiuos esse, nonnullos verò passiuos.

Simplic. p. de coelo com. 36.

3743 actiui quidem motus sunt, secundum quos agere dicuntur naturalia corpora calefacientia, & frigefacientia, dealbantia, & denigrantia, augumentantia, diminuentia. passiui autem secundum quos ab agentibus corpora secundum naturam patiuntur, vt calefacta, frigefacta, & sic de alijs passionibus.

3744 motus autem secundum locum actiuus solùm est: propter quod neque mouetur secundum naturam quid ad locum ab alio, sicut calefit aliquid, aut denigratur ab alio: sed quodcunquè ad locum mouetur ab ipsa insita natura mouetur.

3745 quando itaquè dixit Aristoteles contrariorum contrariae sunt lationes de actiuis dicit motibus tãquam principium enim motus in his est natura vti mouens, non vti mota.

3746 quando autem dixit Aristoteles substantiam eandem numero contrariorum esse susceptiuam de passiuis contrarijs intellexit.

3747 non itaquè frustrà Aristoteles à motibus secundum locũ, & non ab alijs naturalibus substantiarum differentias inuestigat: hi enim solùm actiui sunt. alij autem motus nõ adeo idonei ad hoc fuerunt, cum & actiui sint, & passiui secundum naturam.

quod

3748 quòd si cum Philopono augumentationem etiam simul cum motu locali, actiuum tantum asseras motum, quòd quaecunquè augumentantur intra se augumenti principium habent, sicuti & quae secundum locum mouentur, intra se tenent sui motus inchoationem, facilis erit responsio, si dicamus audacter Philoponum labi: vna enim & eademet substantia augeri, & diminui potest. secus autem (vt ex praemissis apparet) se haberet res, si augumentatio actiuus solum esset motus. p. de generatione.

3749 quòd si iterum simul cum eodem Philopono motum localem aeris, qui & sursum, & deorsum tendit, opponas, facilis erit obiectionis dilutio, si cum Simplicio dicas aeris motum vnum esse secundum substantiam. at secundum habitudinem duplicem. com. 36. p. de coelo

3750 nequè etiam ob haec sequitur totam substãtiam toti aduersari substantiae.

3751 illud autem solet saepius à Peripateticis in dubiũ reuocari, nũm grauitas, & leuitas pertineant ad elementorũ substantiam, eorumquè species compleant: nonnulli enĩ qui Auerroi primas partes tribuũt in Philosophia naturali ex quibusdam locis, quos in eius authoris monimẽtis annotauerũt, pronunciauere ex Auerrois sententia grauitatem, & leuitatem formas esse elementorum, quod etiã adstruere ratione conati sunt: natura enim est principium motus eius in quo est, cum verò grauitas, & leuitas sint principia motus naturalis intrinseca elementis, erunt igitur eorum natura: sed non materia, vt perspicuum est, ergo erunt natura, quae est forma. quam sanè sententiam Cardinalis Contarenus doctissimus vir labefactare conatus est. quòd nulla substantia sit per se sensibilis cum sensus ille sit, qui circa cortices substantiarum versatur, sola verò mens ad nucleum id est ad substantiam penetret, cum tamen vt experientia patet grauitas, & leuitas sensu percipiatur. Verùm haec nullius sunt ponderis si simul cum Achilino dicamus graue, & leue pro grauitatione, & leuitatione, id est pro actu primo sumẽda esse, non etiam pro actu secundo. 4. coel. c. 20. in p. de elementis.

AVERROIS, ET ALEXANDRI CONCORDIA DE FORMIS ELEMENTORVM.

3752 nequè tamen ob haec Auerrois sententiam in formis elementorum ab Alexandri opinione diuersam credimus: sunt enim primae qualitates principia elementorum, vt elementa, nempè vt miscibilia sunt, grauitas autem, & leuitas eo pacto quo superius diximus informant elementa, vt substantiae quaedam sunt.

PTOLOMAEI, THEMISTII, ARCHIMEDIS, PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA DE GRAVITATE, ET LEVITATE ELEMENTORVM.

3753 Aristoteles dùm in suo loco aerem, terram, & aquam grauia esse dixit, Themistium, Ptolomaeum, & Archimedem sui dicti asseclas minimè habuit. existimarunt enim isti aquam, & sic alia duo elementa in suis locis haud esse grauia: vrinatores enim qui in aquarum profundo se immergunt, aquae suprapositae grauitatē minimè percipiunt. quòd idem ex aquae haustu è puteis confirmare licet: nec enim illius grauitatem sentimus nisi cum extrà aquam in aere librata fuerit aqua. quibus sanè obiectis satisfacit Simplicius, quòd continuitas aquae eius nempè, quae superponitur immergenti, & eius quae supponitur, quatenus ex omni parte circa immergētem semet sustentat, est in caussa ob quam ipse grauitatem non sentiat, perindè atquè ingredientia vacua parietum minimè grauantur, cum vndiquè paries in semetipso sustineatur.

Simplic. 4. coeli com. 16.

3754 sed melius est asserere grauitatem hanc, quo ad habitum esse: non etiam quo ad actum.

3755 sed illud prae caeteris valdè dubium est, quo pacto dictū fuerit ab Aristotele aerem etiam in proprio loco grauitatem habere: nec enim satis sibi constant Aristotelis interpretes. quod enim affert Auerrois de duplici violentia, penitus est inane.

4. coeli com. 12.

3756 quod etiam & Simplicius dicit grauitatē aerem habere non

non tanquàm ad inferiora repentem: sed tāquàm suprapositō subsidentem, sicuti, & ignis in sua regione leuitatem habet, non quia superius alicubi feratur secundum naturam: sed quia suppositis supernatat, nullius est ponderis: istis enim omnibus obstat exemplum de vtre inflato ab Aristotele proposito.

3757 melius est itaquè cum Diuo Thoma asserere aerem, non secundum se: verùm secundum accidens in regione sua aliquam habere grauitatem. contingit enim interdùm aerem, terrae, & aquae propinquum ob eorum frigiditatem crassiorem, & grauiorem reddi. lib.3.tc.30 & tc.39.

COROLLARIVM.

3758 atquè ex hoc dicto facillimè (vt adnotauit Diuus Thomas) possunt componi contrariae illae summorum virorum sententiae, an nempè grauior sit vter inflatus, seu non inflatus. potuit enim contingere, quod in isto experimento diuersi diuersa inuenerunt: aliqui enim replentes aere crasso inuenerūt inflatum grauius: alij verò implentes subtiliori, & magis secundum naturam dispo-sito inuenerūt ipsum leuius: alij aequalis ponderis propter mediam dispositionem.

ΕΡΓΑ.

3759 et licet haec opinio Diui Thomae sustineri possit: credimus tamen magis tutam fore responsionem si sic dicamus. cum mixta omnia generentur in mundo vno: ex elementis verò mixta constituantur, rectè à natura factū est in elementis, quae non sunt omninò leuia: sed aliquā grauitatem habent, vt proniora sint ad descendendum ad locum medium, quàm ad recedendum ab eodem loco medio, & proindè humiditatem aeri ipsa natura adiudicauit: humiditas enim magis affinis est grauitati, quàm leuitati: res enim omnes humidiores factae grauiores fiunt. cum ergo tùm aer, tùm aqua humidissima sint corpora, hinc est, quòd proniora sunt ad grauitatis nixum, quàm ad eum qui est leuitatis, quae omnia interdùm subodorasse videtur Auerroys.

3760 ex dictis autem maximum consurgit dubium quo pacto nempè ignis, qui nullam grauitatem habet ad mixtionē

p. de gene. lec. 24. tc. 84.

concurrat. Verùm omnem dubitandi rationem optimè admodum Diuus Thomas tollit in quadam pulcherrima sua digreſsione: cum enim motus coeli, & opus naturae sit intelligentiae non ſemper ſequuntur elemẽta propriũ impetum ſui motus: ſed aliquando mouebuntur in id: ad quod ſiuè per voluntatem intelligentiae dirigentur, ſiuè per virtutem coeli, ſi de propinquo, ſiuè inſtrumentali motore loquamur.

3761 atquè hinc eſt, quòd & ignis partes in aere ſunt: ſpargitur enim ignis frequenter per aerem, & per virtutẽ coeleſtis motus fertur violentia deorſum, vt alibi dixit Philoſophus, & ideo ſunt aliquae partes ignis, & in rore, & in vaporibus pluuialibus deſcendentibus.

p. Meteor.

COROLLARIA.

3762 atquè hinc eſt quod aquae pluuiales ſunt vaporoſae, & calidae.

3763 et haec etiam eſt cauſſa, quòd niue deſcendente non eſt tãta intẽſio frigoris, ſicut in alijs hyemalibus tẽporibus.

EPΓA.

3764 ſic ergo cum pluuia, & rore, & alijs huiuſmodi deſcendunt partes ignitae ad locum miſtionis.

3765 ſed vt ad Platonem, Ariſtotelemquè regrediamur non nè ſaltem in hoc erunt illi ſummi viri diſcrepantes, quòd Plato omnia elementa proprijs in locis grauia eſſe dixit, cum tamen Ariſtoteles ignem leuiſsimum in propria regione iudicauerit? videtur enim Plato, Epicuri, Stratoniſquè ſententiam ſequutum eſſe: putarunt etenim iſti omne corpus grauitatem habere, & ad inferum ferri, eo autem, quod grauiora ſubſident minus grauia ab illis extrudi vi ſurſum. an magis ſimul cum Simplicio dicendũ eſt penes literam hanc inter iſtos ſummos viros controuerſiam eſſe? grauia enim in ſuo loco elementa aſſeruit Plato quòd aegre ab eo dimouentur, leuia autem extrà ſuum locum, quòd ad eundem facile tendunt.

4 coeli com. 3.

cxxxiij. cõcordia.

3766 quapropter ſi quis velit apud Platonem, quid ſimpliciter leue, quidquè ſimpliciter graue inuenire, non iuxtà loca ſurſum, & deorſum, quae ipſe negauit, ſed iuxtà ſuũ locum,

locum, & alienum determinata reperiet.

3767 posset autem, & adhuc aliquis dibitare quo pacto in eo saltem sibi non aduersentur, dùm vtriquè ex suis principijs cur naturales motus in fine velociores fiant caussam perquirunt: asserunt enim Platonici animam Sphaerae è propinquo rapere vehementius, quibus quoquè, & Auerrois dicta inter Peripateticos fauere videntur. sed vtcunq; sit nequè in hoc etiam discrepabunt. Ficinus in The. lib. 4. cap. 1. cxxxiiij. cōcordia.

3768 nequè in eo etiam quaesito vter prior motus naturalis an violentus. licet enim Aristoteles Platonem arguat tanquam asserentem motum violentum naturalē praecessisse vt potè qui in illo cōfuso chao inordinatos motus asseruerit: tamen si cum Simplicio dicamus Platonem indicare voluisse omnem ordinem, ac dispositionem à conditrice bonitate substitisse in materia, quae secundum se ab omniquè seiuncta forma à Platone considerata, fluctuosè, & inordinatè mota ab eo dicta est, non video cur non Aristoteles solùm contra dictum apparens: non etiā contra abstrusiorem Platonicam veritatem arguat? cxxxv. concordia. com. 21. 3. de coelo.

INDAGATIO NVMERI ELEMENTORVM SECVNDVM ARISTOTELEM, ET CVM PLATONE CONCORDIA.

3769 quot autem sint elementa, Aristoteles acutissima simul, verissimaquè ratione inuestigat: etenim elementa ob eā caussam conficiunt mixta omnia: quoniam inuicem immutantur, & alterantur. omnis autem alteratio pendet ex qualitatibus primis sibi inuicem contrarijs. nam secundae qualitates pendent à primis sicuti à principijs, suntquè tactu perceptibiles. 2. de gen.

3770 huius generis qualitates quatuor sunt, caliditas scilicet, frigiditas, humiditas, & siccitas.

3771 cum igitur sit impossibile aliquod corpus inueniri in quo vna sit tantùm harum qualitas (nūquam enim visum est corpus calidum, nullo tamen pacto humidū siccumuè aut frigidum, nequè humidum, nequè arridum. sic & de siccitate, & de humiditate sensu comprehendes neutram earum disiunctam esse à caliditate, frigiditateuè) opus

eſt itaquè in vno quoquè elemento eas coniunctas eſſe.
3772 ex cōiunctione harum qualitatum primarum, & ſimplicium inueniri commodè poteſt numerus elementorum componentium mixta corpora omnia. hae verò qualitates quatuor ſex coniunctionibus cogitatione inuicem componi poſſunt, quarum duas impoſsibile eſt eſſe in rerum natura: qui enim fieri poteſt, vt ſumma caliditas ſit cum ſumma frigiditate? aut ſumma humiditas cum ſumma ſiccitate?
3773 quòd ſi has qualitates ſumpſeris non ſummas, vt ſcilicet vnum, idemquè corpus, & caliditatis partem, & frigiditatis portionem obtineat, iam corpus illud non amplius ſimplex: ſed mixtum erit. in corpore namquè ſimplici ſimplices, & puras qualitates eſſe oportet, nō immixtas, & impuras.
3774 reſtant ergo quatuor copulationes caliditatis inquam, & humiditatis. item caliditatis, & ſiccitatis, frigiditatis, & humiditatis. item frigiditatis, & ſiccitatis,
3775 quatuor ergo erunt elementa, quod & ratio perſuadet, & ſenſus teſtatur. nam ignis, aer, aqua, & terra, quae communi omnium conſenſu ſunt elementa mixtorum omnium, hiſce qualitatibus in hunc modum coniunctis affecta ſunt.
3776 ignis namquè calidiſsimus eſt, & ſicciſsimus.
3777 aer item calidiſsimus, & maximè humidus.
3778 aqua frigidiſsima eſt, ſummequè humida.
3779 terra ſua natura frigidiſsima eſt, & ſicciſsima.
3780 ſed nonnè aduerſabitur in hoc Ariſtoteles Platoni, quòd Ariſtoteles ex vnius qualitatis vinculo diſponit elementa, ob calorem enim aerem, cum igne connectit, ob humorem aquam cum aere, ob frigiditatem terram cum aqua. cum tamen Plato duas qualitates (vt ſuperius vidimus) ſumat ab extremis, vnam autem à medijs? in qua ſanè diſſenſione concilianda à nobis vndiq; quaquè Simplicij ſententia non eſt amplexanda, qui vt has opiniones componeret ſimul, dixit Ariſtotelē de elemētis loquutū fuiſſe, vt faciunt ad mixtionem, Platonem verò, vt referuntur ad vniuerſum: nā & Ariſtoteles (vt omnes illius
interpretes

interpretes fatentur) etiam de elementis ratiocinatus in vltimis duobus libris de coelo quatenus vniuersi partes sunt, & diuersam tamen à Platone viam ingressus est.

3781 vt itaquè in hoc absolutissimam posteris relinquamus concordiam, dicamus elementa, vt referuntur ad vniuersum posse bifariàm perpendi, nempè, vt corpora partialia ἄπια referuntur ad totum vniuersum vti ἄπιον, atq; cxxxvi.cõcordia.
sic aerem cum igne continuari subtilitate, & mobilitate, cum aqua verò obtusitate.

3782 aquam verò inter terram, & aerem locari, quia cum terra conuenit obtusitate, & corpulentia, cum aere verò mobilitate. cxxxvij.cõcordia.

3783 atquè in hac consideratione ita sumatur corpus ἄπιον vt à Graecis assumi solet corpus nempè sine qualitate, quod tamen aliqua figura praeditum sit, in qua declaratione nulla est contradictio.

3784 vel elementa considerantur vti qualia referuntur ad vniuersum, vti quale, atquè sic sibi assumpsit Aristoteles elementa in 3. & 4. de coelo.

3785 probauit etiam Aristoteles quatuor elemẽta ex proportione ipsorum. quam tamen Aristotelis opinionem aqua videtur infringere, quae terram totam non circundat, Pro cuius rei declaratione multa, & rectè dixit Cardinalis Contarenus. & primò ratione finis id fuisse factum asseruit, vt ad conseruationem animalium perfectorum terrae haec superficies emineret, praeter aquae, & terrae nexum: quemadmodum in animalibus multa consistunt praeter naturã materiae ratione finis, vt sinciput os durissimum, & terreum, ac proprerea graue, positum tamẽ est ratione finis in suprema hominis parte. 1. Meteorũ lib. 1. de elemen.

3786 praeter hanc rationem à fine sumptam aliam quoquè nõ incommodè adducit: cum enim Solis, Lunae, caeterorumquè omnium siderum radij. quin potius vniuersi coeli lumina in vnum cogantur in hoc mundi centro. vbi terram aquam attingit, nimirum vi caloris siderum fieri quandam terae, & aquae mixtionem, ac quadam terraei elementi fermentatione exteriorem hanc terrae partem rarescere, & intumescere, quod quotidie fieri

cernimus

cernimus in panis confectione à pistoribus fermēto apposito.

3787 praeterea vt exactius quaestionem hanc absoluamus dicere possumus in mari minimè contineri omnem aquarū copiam. sed infrà terram in maximis illis specubus maximam vim aquae contineri. item vniuersam hanc quā incolimus terram, quae tot Fontibus, tot Fluminibus irrigetur, quae vbiquè vestitur herbis, & plantis aqua plenam esse, veluti spongiam quandam.

3788 postremò cum aer hic quem colimus omni ex parte semper innumeris vaporibus plenus sit: vapor verò sit aquae disgregatio nimirum hoc pacto haec quoquè terrae superficies, quam maria non tegunt ambitur aquis.

COROLLARIVM.

3789 hinc & Homerus cecinit (licet alio in sensu haec accipiat Aristoteles (Fluuium Oceanum, vndiquè terrā circumfluere.

ΕΡΓΑ.

3790 propterea nobis facile persuadere possumus, si omnis haec aquae copia in vnum colligeretur aquā longe maiorem terra futuram esse, pulchreque seruari eam proportionem inter haec duo elementa, qua mundus perdurare queat.

3791 quia verò ad mixta properandum est, idcirco necessariū erit prius circa qualitates elementorum immorari, si tamen alienas prius falsas opiniones confutabimus.

BERNARDINI TELESII OPINIO
DE QVALITATIBVS IGNIS.

3792 Bernardinus Telesius nostra aetate vir acutissimus ignē humidum, & calidum asseruisse videtur, & sanè prima fronte validissimis rationibus, è quibus Philoponus satis se explicare non potuit: si enim ignis siccissimus est, quo pacto terminabitur, & formabitur facilè termino alieno, continentis inquam?

2. de gene.

HORVM EXPVGNATIO.

3793 cui vt diximus rationi cum Philoponus minimè satisfecerit, recentiores nonnulli conati sunt melius satisfacere dicunt enim ignem, & terram facile terminari posse: quoniam

quoniam ignis licet possit densari: rarefieri tamen amplius nequit, maxima enim raritas omnium corporũ est raritas ignis: item terra quamuis possit fieri rarior: fieri tamẽ densior nequit: densissima namquè omnium est. contra humiditas aquae, & aeris possunt deduci in vtrã partem volueris. vel scilicet ad maiorem raritatem, vel ad maiorem densitatem, ideoquè terminabilis est alieno termino. putamus nos melius responderi posse.

3794 dicamus itaquè siccitati suaptè natura per se conuenire, vt constipet corpus illud in quo primo, & per se est, indequè non effici, vt terminari queat, & definiri termino alieno; sed vt proprium terminum suamquè finitionem obtineat, alienam respuat. sicubi verò si siccitas non primò: sed per sequelam quandam, vbi id quod primò inest illi corpori obstiterit constipationi siccitatis. nil mirum si corpus illud alieno termino, terminabile est. in igne verò siccitas est secundariò, quasi assecla caloris.

STOICORVM OPINIO DE AERIS QVALITATIBVS, QVIBVS HIERONYMVS CARDANVS IN LIBRIS DE SVBTILITATE RERVM ASSENSIT.

3795 Stoici aerem non modò frigidum: sed etiam primum frigidum esse dixerunt, quorum rationes sunt hae, quoniam ignis lucidus est simul, & calidus, consequens videtur, vt illi obiecta natura, tùm frigida sit, tùm obscura, proindè quòd in natura principem tenebrarum vendicat sibi locum, idẽ & frigiditatis vendicabit. esse verò aerem huiusmodi, nè poetas quidem latuisse videtur, cum aeris nomine tenebrae intelligantur, sicuti ex eo liquet planè. Plutarch. de primo frigido.

„ ἀὴρ γὰρ παρὰ νηυσὶ βαθὺς ἦν.

3796 porrò chnephas aerem dixere luminis expertem veluti κενὸν φάους id est luce vacuum.

3797 quid? quod concretio est quidẽ aquae affectio: sed aeris opus? quippè suaptè natura fusilis aqua est, & congelationis nescia. caeterum aeriae frigiditatis vi contrahitur, constipaturquè. vt verò altissimum, quodquè flumẽ est ita maximè concretionis ferè expers videtur. aeris vi

penetrare

penetrare altitudinis vi ima nequeunte.

de subtil. rerum l. 2. 3798 ac nostra aetate cum Stoicis consensit Hieronymus Gardanus, vir omni scientiarum genere expolitus: namquè ipse etiam aerem frigidum dixit: sed in eo magis, ac Stoici laudandus est, quòd vt hanc thesim tueretur, ignē in concauo Lunae negauit. qui enim elementum calidū & siccum cum humido, & frigido coherere potuisset?

HORVM EXPVGNATIO.

3799 Verùm rationes Stoicorum inanes penitus sunt, ac omninò poeticae: neque enim quod colore caret vti aër nigrum est: sed Diaphanum.

3800 astruitur verò ineptissimè, & à ratione procul aeris vi concrescere aquam. quando aer ipse non vtiquè concrescat: neque enim nebulae, aut nubes sunt concretiones: sed crassitudines humecti aeris, & vaporosi. Adiuuant institutum cacumina montium eò altitudinis prouecta, vt nusquam ibi nubes, non nebula, non rosida videatur humectatio.

3801 quòd verò ima praealtorum fluminum gelu non contrahantur, ob id est, quia superficie concreta, exhalationibus meandi in superna libertas intercipitur, at illae occlusae, reiectaequè inferiora calefaciunt, quam rem cōprobat amplius regelatis aquis copiosior sese promens exhalatio. quo eodem modo corpora animantium hyemali tempore coniectantur calidiora.

3802 rationes autem Gardani licet subtilissimae, nihil momenti habent contra Aristotelem.

NATVRA QVALITATVM IN ELEMENTIS SVMMA.

3803 sed occasione horum posset aliquis dubitare, nùm qualitates in elementis summae sint an remissae: quaestio enī illa apud Graecos de primo frigido saepius exagitata, indicat adesse in elementis qualitates remissas: si enim plura elementa sunt frigida, daturquè inter ea primum summequè frigidum, dabitur etiam frigidum remissum.

Philop 2. de gener. Thom 2. d gen. l. 2. tc. 23. 3804 et sanè si verbotenus, & Philoponus, & Diuus Thomas intelliguntur, videntur ambo eius fuisse opinionis, vt in elementis qualitates remissae concedendae sint, licet isti

summi

summi viri aliquo pacto inter se discrepent: credidit enī Diuus Thomas Aristotelem, dùm in quolibet elemento, quae qualitas dominetur docet, non elementa ipsa: sed ambas cuiuscunquè elementi qualitates inter se comparare. at secus Philoponus.

3805 sint itaquè qualitates hae primae in elementis simplicibus intensissimae secundum omnem earum latitudinem: non tamen secundum omnem agendi vim. etenim si in elemento quopiam altera earum remissa esset, vel hoc cōtingeret ob mixtionem qualitatis contrariae, atquè tùm corpus illud simplex non esset, vel absquè vlla contrarij mixtione, sicuti contingit in lumine, quod interdum remissius est, nec tamen vllum habet contrarium. quod sanè absurdum esset, in qualitatibus nempè primis contrarium habentibus ponere remissionem absquè temperie contrarij. quod etiam in secundis Aristoteles negat. albius enim est inquit, quod est nigro impermixtius. 2. Topico.

QVALITATVM PRIMARVM DIVISIO.

3806 diuiduntur autem qualitates, quòd aliae actiuae sunt, vti calor, & frigus, aliae verò passiue, vti siccitas, & humiditas.

3807 in quo primò illud dubitandum nobis se se offert, quo pacto nempè humiditas, & siccitas distinguantur vti primae qualitates à calore, & frigore, quandòquidem illorum videntur effectus, quod, & alias ipse Philosophus fateri visus est. Verùm Aristotelis dicta in eam sententiam sunt accipienda, vt calor exiccet per resolutionem, & 4. meteorū euaporationem partis aquae humidae factam vi caloris, parìquè ratione humefaciat per colliquationem partis aquae coagulatae prius. sic frigus quoquè exiccat, & humectat, non quòd humiditatem per se, aut siccitatem generet: sed quòd vel vaporem in aquam cogit, aut calorē fugat; & exprimit, quem propria humiditas veluti formam materia consequitur, parìquè ratione euaporat. sic ergo calor, & frigus per accidens humefaciunt, & exiccant, atquè sic humiditas, ac siccitas primae qualitates non sunt.

3808 per se autem humiditas humidum facit, & siccitas siccum, atque sic primae qualitates sunt.

3809 quomodo autem illae actiuae solum sint, hae verò passiuae, dubitant omnes ferè interpretes, atquè communiter respondere solent, quòd illa propositio non est absolutè intelligenda, si quidem omnes agentes, & patientes sunt, siuè in elementis, siuè in mixtis considerantur: sed ita inquiunt intelligenda est, quòd duae sunt magis actiuae, vt calor, & frigus, duae verò magis passiuae, & minus actiuae, vt siccitas, & humiditas. quae omnia ex eo Philoponus probauit, quòd actiuae agãt etiam sine tactu, quod non conuenit passiuis. & forsan haec Aristotelea non sunt.

2. de gene. t. 8.

3810 dicamus nos itaquè melius primarum qualitatum duplices esse operationes, alias quidem primas, & proprias magis, vt calidi calefacere, frigidi frigefacere, humidi humectare, & sicci exiccare, alias verò posteriores, & minus proprias, vt terminare, & congregare, & id genus alia quae Aristoteles ennumerauit, actionemquè, & passionẽ desumiendam esse à posterioribus operationibus, nõ etiã à prioribus.

4. meteorũ

COROLLARIA.

3811 et proindè tuebimur nonnullas absolutè actiuas esse, & alias absolutè passiuas.

3812 et omnes esse actiuas, & passiuas.

EPΓA.

3813 sed dubitari solet quid nam agat frigus in rerum generationẽ, quodquè nam operetur. dicimus nos ipsum multifariam vtile esse: & primò facta mixtione ex concretione caloris naturalis massa tota vi frigoris constipatur, & cogitur, sicquè perficitur, & diutius perseuerat.

3814 vtile est etiam tribus modis per accidens, quorum primus est, quia cum calor non quilibet, sed temperatus, varia pro rerum naturis temperatione fiat naturalis, & accommodus omnibus mixtorum generibus, huiusmodi temperatio ope fit frigiditatis.

3815 saepe numero etiam vi frigoris circum quaquè obsistentis per antiperistasim calor cogitur in vnum, multaquè generat,

generat, & concocquit.

3816 insuper alia quoquè ratione frigus operatur ad rerum conseruationem: quoniam vi frigoris arcetur calor extraneus, à quo est corruptio, putrefactioquè mixtorum.

DEFINITIO CALORIS EXPENSA.

3817 calidum est (inquit Aristoteles) quod congregat homogenea, & digregat etherogenea, in qua definitione illud prius solet perquiri, cur nempè per operationes posteriores: non autem per primas tradita fuerit. at facilis erit solutio, si dixerimus calidum hic non fuisse consideratum secundum propriam illius naturam: sed vt ordinatum ab agente principe ad generationem mixtorum tāquam ad finem, atquè sub hoc considerandi modo definitum fuisse per principem operationem. 2.de gen.8 4.meteo.1

3818 sed cum in generatione mixti calidum vniat, & congreget humidum, cum sicco, quòd idem euenit in concoctione, quae à calido fit, in qua diuersa etiam congregat alimenta, ex quibus in ventriculo conficitur chilus, qui ex diuersis rebus permixtus est, quo pacto calidum non congregat etiam etherogenea? ad quod sanè dubium ridicula est prorsus Buccaferrei responsio, qui calidi definitionem, vt in pluribus intelligit. in 4. mete.

3819 Alij verò dixerunt hic calidum, vt calidum est definiri, obiectionem verò loqui de calido naturali, vt est alterius instrumentum, quae responsio nulla est. Alb. magn. 4. meteor. cap. 4. Zimar. in Theor.

3820 dicamus nos itaquè per homogenea minimè ea esse intelligēda, quae eiusdem sunt speciei, sicuti nec per etherogenea, quae diuersarum sunt specierum. Verùm per homogenea ea intelligenda esse, quae homogeneam, & similem habent complexionem, & qualitatem, vt sunt consimiliter liquabilia, vel grauia, & leuia. Demùm ea quae in vnam naturam homogeneam cōuerti possunt. per etherogenea verò ea sunt accipienda, quae dissimilis sunt complexionis, & qualitatis, & quae in vnam naturam conuerti non possunt.

COROLLARIA PLATONICA.

3821 ex quibus acutius intuenti facile apparet, cur Plato ab

Aristotele nõ dissentiat, licet illae in Timaeo ignẽ vocet ἀνομαλότητος δημιουργόν vnit enim primò; quia vnum facit per se conuentu, & consilio (vt ait Lucretius) id quod sub forma vna vnum propter eam est: disiungit autem per accidens.

cxxxviij. concordia

3822 non est absimilis huic Galeni sententia coagulo coire lactis partes, ac densari ignea vi. quod esse maximè mirũ potest ei, qui rarefactionem videt ab igne fieri. Verùm euenit hoc quemadmodum, & lateribus condensatio, spissatis aqueis partibus, aut extrusis. exigitur enim in lacte serum, in latere soluitur in ignes.

3823 prisci quoquè Platonici, quorum sententiam super Alcibiade priore sequutus est Proclus, amori diuino illi nobis ineffabili omnibus incomprehensibili attribuũt ignẽ quo aptet ea quae appetunt ijs, quae appetuntur.

3824 quamobrem vtrarumquè essentiarum interuallũ, ac potius copulatorem vocitare illum solita fuit Diotima.

3825 hinc & Iamblichus ait eum qui afflatus numen suscipit ignis excipere speciem quãdam ante numinis ingressum. conspici etiam Deo, vel adueniente, vel decedente. ideo qui spiritus in tenebris ad mentem nostram appellunt se se, eos afferre nobis friuola fluxa, dubia.

de Myst. Aegip.

ΕΡΓΑ.

MIXTA, ET EARVM DIVISIO.

3826 nunc quidem ad mixta accedamus, quae quidem in imperfecta, & perfecta secantur.

MIXTA IMPERFECTA SEV METEOROLOGICA.

3827 mixta imperfecta ea appello, quae non habent aliam substantialem formam per quam sint praeter elementorum ipsorum formas.

3828 sed controuersum est, an haec mixta imperfecta vnam tantùm habeant formam, vel magis sint tanquàm congeries quaedam elementorum. quae sanè quaestio, vt difficilis conciliatu non est, sic etiam nec plebeia. dicimus enim nos illorum quaedam vnius tantùm elementi formam habere: aliorum autem elementorum qualitate, & affectionibus impurata esse, & affecta. nihil verò aut

exiguum elementorum in eis esse immixtum, sicuti sunt & aqua maris salsa, & ignita.

3829 aliud verò ex pluribus elemẽtis constare in vnũ coactis: quae tamen aliã substantialẽ formam mixti non habent: sed sunt veluti quaedam congeries elementorum inuicẽ compactorum impuratorumquè, cuius generis (vt puto) sunt grandines, niues, pruinae.

3830 mixtaquè huius generis fiunt, plerunquè vi frigoris: nã proprium est frigoris congregare heterogenea.

IGNITA.

3831 ab ignitis autem (sicut & Aristoteles fecit) incipiamus & nos, quae quidem cum asserat Aristoteles ab exhalatione calida, & sicca, veluti à caussa materiali oriri, visus est à Platone, vt Olympiodorus refert in eo discrepare, quòd hic nullam terrae exhalationem cognouerit, cũ omnibus modis terram penitus immutabilem dictitet, cum tamen ille exhalationem calidam, & siccam à terra secernat. Verùm perperàm Olympiodorus. 1. meteor. cap. 3.

3832 perperàm & Proclus, qui terrena sanè mutationibus subiecit. terram verò centralem immortalem tuetur.

3833 perperàm & Simplicius, qui terram propterea immobilem asseruit, quòd in alia elementa imediatè mutari nequeat: sed in materiam primam immediatè: mediatè verò in alia elementa.

3834 dicamus itaquè nos terram centralem, qua centrum est immutabilem penitus esse, quam responsionem cum visus sit Proclus subodorasse, eam tamen non attigit. cxxxix. concordia.

COROLLARIVM.

3835 ex qua declaratione nõ modò ea inter Platonem, & Aristotelem componuntur, quae tanquam discrepantia de exhalatione calida, & sicca ab Olympiodoro adnotata fuere: sed & ea quoquè, quae de terrae immutabilitate in Platonem ab Aristotele dicta fuere in libris de coelo. cxl. concordia.

SPTA.

3836 ignitorum verò licet materia vnica sit exhalatio nempè calida, & sicca: caussa tamen efficiens duplex, vna nempè motio superior, qua ignis, & aer superior raptu coeli cõuertitur, eos ignes, qui accensione fiunt accendens: non

autem motio qua in sublime feruntur (vt imprudenter alij verterunt) si quidem eius vi non accenduntur.

3837 atquè ex hac vel realia, vti Caprae, Faces, Cometae, atq; hoc genus alia fiunt, vel apparentia, vti hiatus, foueae, colores cruenti, & similia.

3838 horumquè apparentium generationis duplex est modus pro duplici aeris densioris, tenebrasquè aliquas in se habentis, ad lumen seu Solis, aliorumquè siderum, seu exhalationis accensae positu. nam aut densior aer, seu nubes inter lumen aspectumquè nostrum recta intercedit, tumquè colores, qui apparent, διαφάσεις nominantur; & (vt ait Olympiodorus) Κατὰ διάκλασιν fiunt, ad latera, atquè etiam è regione positus est, tumque Κατὰ ἀνάκλασιν fieri dicuntur ἐμφάσεςq; vocabulo omnium communi (vt Philoponus ait) nuncupantur.

3839 sed controuersum est an in aere hi duo tantùm modi colorum fiant, cum iam concessum sit in corporibus solidis vltrà hos modos alios duos addi, quorum alter ex vario verorum colorum aspectu ad Solem excitatur, vt in collo columbae, & alijs compluribus similibus, alter ex varia eorumdem verorum colorum iuxtà se se positione fit, vt in lanificiorum, sericorumquè texturis: & sanè negasse videntur Philoponus, Olympiodorus, Vicomercatus, & alij. Verùm quo pacto negarunt postremũ è duobus modis, si eo pacto in Iride flauus color exoritur?

1. meteorũ

3840 altera ignitorum caussa est in aeris, seu nubium densatio, & coagulatio, qua exhalatio conclusa vi quadam extruditur. atquè hoc pacto nonnullae stellae discurrentes exoriuntur.

3841 quam sanè caussam Cometis communem Epigenes (vt Seneca refert) effecit, at non satis benè

lib. vlt. quaest. natural.

C O R O L L A R I A.

3842 ex istis omnibus sequitur huiuscemodi ignes infrà Lunã generari, quippè cum exhalatio ex qua constant infrà Lunam posita sit, nec Lunae orbem transcendat.

3843 hinc & apparet malè Aristotelem lacteam viam infrà Lunam collocasse, & ad easdem caussas, quibus & cometas adscripsit retulisse: nam qui fieri possit, vt cum aer, seu

ignis,

ignis, seu exhalatio fumida, tot tamquè varias accipiat mutationes, nihilquè in sublimi illo loco genitum, seu faces sint, seu discurrentes stellae, seu ipsi cometae idem diu permaneat: imò verò perpetuis subijciatur mutationibus; qui inquam fieri possit, vt lacteus hic orbis si exhalatione accensa constat, idem semper, eodemquè modo se habens cõspiciatur, nec totus, nec parte aliqua sui mutatus, non longior, aut latior, non breuior, aut angustior factus situm eundem, & figuram perpetuò habens, nec qua parte duplicatus est simplex redditus, aut qua simplex duplicatus in ijsdem semper stellis apparens?

3844 nec quod Olympiodorus pro eius tutela affert ipsum nẽpè more Mathematicorum ex quibusdam possibilibus suppositionibus illius viae apparentiam explicasse (satis est firmum) cum via lactea sub Zodiaco quoquè sit.

PYTHAGORAEORVM, ET ARISTOTELIS CONCORDIA DE VIA LACTEA.

3845 Pythagorici autem illi, qui lactei circuli colorem candidum, combustionẽ eam esse cõmenti sunt, quae illa ex parte tùm facta est; qua siderum vnum aliquod ex his, quae in ea conflagratione deciderunt, delapsum est, ab Aristotele (si Olympiodori allegoricam interpretationẽ sequi volumus) non multum dissentiunt: Phaethon enim cometem significat, qui à Sole ortus eius motum consequi contenderit: ita calore suo nimio, & ardore cum maximos aestus, & squallores attulerit, tùm fulmine idest vaporibus extinctus est, & in Eridano, idest humore lotus.

VERA CAVSSA LACTEAE VIAE.

3846 Veram autem caussam lacteae viae ab Auerroe mutuabimus, qui cum tres rationes huiusce rei assignet nos duas posteriores tuebimur. in media expositione p. Meteorum.

EPΓA.

EA QVAE EX VAPORE HVMIDO IN SVBLIME ELATO GENERANTVR.

3847 ea quae ex vapore humido in sublime elato generantur,

ſunt pluuia, ros, nix, pruina, & grando, quorum duo in aere longè frigido, in quo nubes concreſcunt generātur, videlicet pluuia,& nix.duo in inferiori aëre,qui nō procul à terra diſtat ros, & pruina, duobus illis correſpondentia. reliquum quod eſt grando in medio.

3848 quorum procreatio, non ſolùm loco differens eſt: verùm etiam materia proxima, & modo, atquè etiam cauſſa efficiente, ſi quidem pluuia ex nube in aquam concreta, nix ex nube gelata, ros ex vapore in aquam ſoluto, pruina ex eodem gelato, grando ex pluuia antequam decidat conglaciata.

3849 ita tres horum quinque effectuum materiae proximae ſunt vapor, nubes, & pluuia, quarum vna ex altera oritur, pluuia ex nube, & nubes ex vapore, vt cum roris, & pruinae materia proxima ſit vapor. pluuiae, & niuis, nubes. grandinis pluuia. omnium materia communis vapor ſtatuatur.

3850 eorum omnium ortus à frigore proficiſcitur: ſed alia maiori, alia minori, alia ſolo, alia calore adiuuante, qui antiperiſtaſim faciat.

3851 cumquè reliqua ſolius frigoris efficientia oriantur, ſola grando, atquè pluuiae etiam quaedam aeſtiuae vehementes calore adiuuante, atquè antiperiſtaſis beneficio frigus augentis concreſcunt.

3852 exiſtimauit tamen Theophraſtus (vt Olympiodorus refert) aliam efficientem cauſſam aquae in ſublimi generatae aſsignari poſſe, denſationem nempè, cuius rei ſignum eſt, quòd in Aethyopia quanquam frigus nullum ibi ſit: tamen aqua ſpiſsitudine cōdenſata deorſum fertur: ait enim ibi eſſe altiſsima mōtium iuga in quae nubes incidant, atquè incumbant, atquè ita pluuia diſtracta praeceps deuoluitur propter denſationem coortam, ſicut & in ipſis quoq; lebetibus humor ait contra refluit, itemquè in tholis etiam, & lauacris balinearum cum frigoris vis nulla ſit, id efficitur propter hanc denſationē. quae ſanè opinio magnam habet probabilitatem.

in p. Mete. ac ix.

3853 poteſt tamen aſſentiri Ariſtoteli frigefactionem videlicet ſolam cauſſam eſſe: namquè in balineo, ac lebete

densationẽ ex se caussã esse arbitrari à ratione abhorret: quemcunquè enim effectum dẽsatio reddit ab alia caussa per se prius mota eum perficit. itaquè magis dicendum existimo magnam vaporis abundantiam circa operculũ lebetis, & circa tholum cumulari, atquè coaceruari, ita vt calorem suffocet, cuius internecione, atquè interitu, ea exoriuntur, quae Theophrastus densationi tribuit.

3854 cumquè vapor communis omnium materia sit, aliter tamen, & aliter, atquè & alia proportione halitui sicco admixtus est, vt ob eam etiam caussam alio, & alio in loco maioris, vel minoris frigoris vi excitentur.

3855 quae cum ita sint videntur haec non accidente solùm inter se (vt multi putarunt) sed etiam quali ratione, ac essentia differre. quanquã quia ex imperfecta elementorũ admixtione oriuntur, ac quaedam sunt illorum affectiones non planè substantia inter se diuersa sunt.

NIX, ET PRVINA.

3856 quaerat autem aliquis si ex nube, & pluuia, & nix generantur, minusquè ad pluuiae, quàm ad niuis ortum frigoris requiritur. cur nõ cũ ad maius per id, quod minus est, vt per medium accedatur, & nubis in niuem conglaciatio momentanea non fit, non pluuia perpetuò: nix autem nunquam ex nube gignitur. An non (vt superius etiam dictum est) prorsus eadem nubes est, ex qua pluuia & nix oriuntur? sed siccior illa, quae in niuem conglaciatur, ob eamquè caussam ad pluuiam generandam minus idonea? vehementius etiam frigus in niuis est ortu, quàm vt ad pluuiam procreandam requiratur. id igitur frigus cum materiam idoneam, id est, nubem sicciorem inuenerit, non in pluuiam nubem soluit: sed in niuem conglaciat.

3857 illud verò magis vrget, quae caussa sit cur nix, quàm pruina mollior sit, quae tamen durior esse deberet, vt potè maiori frigore conglaciata, nempè mediae aeris regionis, quod longè valentius est, quàm infimae, in qua pruina oritur. An frigoris quidem conglaciantis ratione niuem, quàm pruinam duriorem esse oporteret? pruina tũ durior est, atquè asperior, & rigidior, quod exhalationis

ſiccae maiorem, quàm nix, permixtam copiam habeat.

3858 Albertus aliam mollitiei niuis, & duritiei pruinae cauſsã affert: ait enim vaporem in pruinam conglaciari, calore qui in vapore inerat ſtatim extruſo: nubes autem in niuẽ calore ex nubibus ſenſim egrediente.

3859 illud etiam dici poteſt, nubem ex qua nix oritur multũ aeris in ſe habere, quandòquidem vapor, qui in nubem concreſcit aeris copiam magnam ad ſe trahit, qui ſi frigori vehementi quo calor extinguatur, non occurrat ſuperius ſcandit, & in nubem mutatus, in niuẽ concreſcit.

3860 porrò ex aere, & ſpiritus in niue copia candidus eius color oritur, quemadmodum euenit in ſpuma, atquè etiam in permixtione ex oleo, & aqua, quam permixtionem ad docendum, & niuem, & ſpumam ob aerem albas eſſe Ariſtoteles alibi in exemplum attulit.

3.de anim: ortu.

3861 quoniam autem temporis progreſſu ſpiritus ille; & aer è niue exhalatur, fortaſſe euenit, vt vetuſtate rubeſcat, ſicuti alibi ſcribitur. quanquã Euſthatius in Armenia rubentes niues conſpici ait, quòd loca illa ſint μιλτώδη hoc eſt minio ſcateant, vnde exhalationum vi nix inficiatur.

in 5.de animal. hiſt.

3862 ſunt qui niuem candidam non eſſe, eo argumento tueantur, quòd color mixti corporis, quale nix non eſt, affectio ſit quaedam. videri autem candidam ob perſpicuitatem, vt & Chriſtallo euenit. ſed hi quoniam rationem ſolam ſenſu contempto ſequuntur, non ſunt audiendi, ſenſus igitur niuem candidam eſſe docet, nemoquè hoc fallitur, nec ſolum candida videtur: ſed re vera candida eſt. Ratio autem quae contrarium docet, falſum aſſumit, videlicet niuem admixtam non eſſe. Etſi enim perfectè admixta non eſt, aliquam tamen admixtionem in ſe habet, vt potè multum ſpiritus, & halitus terrei, atquè humoris intra ſe continens, ac frigoris vi terminata.

3863 nec tamen illud inficiendum quin perſpicuitas ad eius candorem plurimùm conferat, lumine perſpicuitatem illam informante: ſed illi ſpiritui, qui in meatibus eius continetur, maximè eſt tribuendus.

COROLLARIA.

3864 ex quibus omnibus duo poſſunt elici Corallaria, quorum

primum est nos caussam intelligere posse, cur duobus potissimum signis nix futura esse à vulgaribus conijciatur. Vnum est cum aerem turbidum clara quadam turbatione ad albedinem declinante intuemur. Alterum cum ea nube apparente aerem calefieri aliquantulum sentimus calore illius paullatim ab ea expulso.

3865 hinc & liquet cur Homerus ita canat.

„ αὐτὰρ, ἔπειτα χιὼν γένετ' ἠΰτε πάχνη Odiss. ξ.
„ ψυχρή.

id est.

„ Sed postea nix facta est, veluti pruina
„ Frigida.

ΕΡΓΑ.

GRANDO.

3866 Grando autem omninò alia de caussa oritur, quàm Anaxagoras putauit, si quidem ille eam tùm fieri docuit, cũ nubes è qua prodit in superum frigidumquè locum pelleretur, cum contra potius fiat, nube ad inferum, calidũ locum depulsa per antiperistasim.

3867 sed quaestio existit quo pacto ad gelationis celeritatem, aqua ante excalefacta aliquid conferat. A ratione enim alienum videtur, vt quod magis aduersatur, in contrarium suum velocius, quàm quod minus mutetur. An aqua prius excalefacta per se quidem magis gelationi aduersatur, & resistit, quàm frigida, ex accidenti verò minus? cum enim calore rarior reddita sit, frigoris actionem magis, celeriusquè excipit, quàm frigida. 1. meteor. t. 72.

3868 sed si haec vera sunt cur minus aestate, quàm vere, & autumno grando gignitur? An ob aestatis siccitatem? qua efficitur vt grandini gignendae materia, videlicet vapor nubes, & pluuia desit, quae materia, nec vere, nec autumno deest, minus autem autumno.

FLVMINVM ORTVS.

3869 duplicem aquae fluminum caussam, praeter specus subterraneos aqua refertos, qui in nonnullis locis inueniũtur tradit Aristoteles, nempè aeris, ac vaporum, qui in terra concluduntur in aquam frigoris vi, & efficientia conuersionem, & aquam pluuiam, quam terra, vt spongia

quaedam excipiens multis in locis stillat hoc modo, vt guttae paruae ab ea primum stillentur, tùm illis inter se coeuntibus fluuiorum fontes emergant.

GEORGII AGRICOLAE OBIECTIONES IN HANC ARISTOTELIS OPINIONEM.

in p. de subterraneorum ortu & caus.

3870 hanc autem Aristotelis Sententiam de fluminum ortu cū Georgius Agricola assequutus planè (quantum videtur) non esset. quanquam modestè, reprehendit tamen. credidit .n. Aristotelē velle ex eo tantū halitu, seu vapore, qui à multo, & copioso humore à pluuijs à terra concepto, & calefacto redditur aquam fluuiorum exoriri: ideo non leuiorem plagam ipsum accipere, quàm ipse alijs inflixerit. tantas enim pluuias à montibus concipi non posse, quantae ad eum omnem vaporem mittendum, ex quo fluminum omnis aqua exoriatur, sufficiant; nisi multo plures aquae ex vapore sublato gigni possent, quàm fuerit humor, ex quo vapor est ortus. porrò pluuiarum quae à montibus excipiuntur paucitatem inde proficisci quòd non totum montium corpus, nec omnium constet ex terris, & saxis, quae aquam combibant.

3871 quae autem ipse de aquis subterraneis distinxit haec sunt: ait enim aquarum eiusmodi aliquam ex imbribus colligi, aliam oriri ex halitu, de mari, vel fluminibus manare aliam: halitum autem intra terram gigni, partim ex aqua pluuiarum, partim ex marina, partim ex fluuiali.

3872 proindè aquam fontanam hoc est sua sponte è terra erūpentem frequenter oriri, non rarò colligi ex pluuijs, rarissimè manare de mari, vel fluminibus. At putealem, quae sua sponte non effluit è terra: sed de ea hauritur, frequenter mari, vel fluminibus profundis; non ratò ex imbribus colligi, rarissimè oriri.

ARISTOTELIS DEFENSIO, ET GEORGII AGRICOLAE CVM EO DE FLVMINVM ORTV CONCORDIA.

3873 sed non satis animaduertit Agricola, non eum solum halitum, qui ex pluuia calefacta redditur aquae fluminum materiam

materiam Aristotelem statuere: sed omninò omnem, qui in montibus, & terrae meatibus continetur, seu ex pluuia collecta, seu ex alia, quae in cauernis terrae detineatur, aqua expiratum. quin & aerem ipsum intra terram conclusum cum expulso calore refrigeratur, quomodò & in sublimi, tū ex vapore, tū ex aere densato pluuia oritur.

3874 videtur ergo vir ille, quòd ad pauca respexit, promptius quàm par esset de Aristotelis sententia pronūciasse. quae autem ipse de aquis subterraneis distinxit, illa quidem doctè videntur tradita: sed Aristoteli, quanquam is non ita distinxerit, omnia ferè debentur.

SENECAE OPINIO DE ORTV FLVMINVM, ET CVM ARISTOTELE CONCORDIA.

3875 Seneca aquarum sub terra nascentiū caussas primas duas statuit: vnam quod quicquid illuc efflauit, quia non aere libero concipiatur, crassescat, & protinus in humorem conuertatur: alteram terrae in aquam mutationes.

3876 verùm primum & Aristoteles cognouit, secundam verò (cum sensilis est) tanquam non continuam omisit.

ASCENSVS AQVAE.

3877 aqua verò ad fontes ascendit non naturaliter quidem, aut ex ordine vniuersi (vt Olympiodorus dixit) sed vi quidem ab ea, quae subinde generatur, seu accedit pulsa.

DILVVIA, ET INCENDIA.

3878 dubium autem est quae sint ea tempora, quae vt dicit Aristoteles fato constituta sunt, cuius vi certis temporibus, non solùm hyems magna, & aquarum inundatio esse posit: sed necessariò fiat. Alexāder ad circuitus quosdā astrorum tempora, haec & fatum refert: sed qui & quorū sint non exponit. p. meteorū t. 91.

3879 melius itaquè Olympiodorus magis particulatim rem declarans hyemem hanc magnam fore ait, cum stellae omnes vagae signum aliquod brumale, & hybernū, quale est Aquarius, aut Pisces occupauerint: nam si vnius Solis discessu, & ad loca illa accessu singulis annis hyems efficitur, necessarium est, vt cū stellae omnes vagae, quae propinquitate sua nos calefaciunt, siccitatemquè adducunt: à nobis

à nobis discedentes ad eadem loca se contulerint, vnumquè illorum signorum subierint, maxima hyems, infinitaquè aquarum vis excitetur.

3880 quomodo item necesse est ijsdem stellis omnibus signum aliquod aestiuum, Leonem videlicet, aut Cancrum subeuntibus aestatem magnam fieri, ac terras, quae illis subijciuntur maxima siccitate affici.

3881 fuerunt verò qui non solùm speciale diluuium ex imbribus horum siderum conuentu fieri: sed vniuersale etiam existimarunt. Vnde Seneca ait Berosum ea fuisse sententia, vt putarit totius terrae inundationem fore, cum sidera omnia errantia in Capricornum conuenerint, quéadmodum conflagrationem cum in Cancro. sed hoc intelligentia apprehendi vix potest, quandòquidem aut luminis, seu caloris à lumine prodeuntis defectione sidera haec hyemem, imbresquè excitant, aut speciali quodã influxu, quem Astrologi ponere consueuerunt.

3882 ac si luminis, aut caloris priuatione id agant, ea certa sola loca hyemem illum patientur, quae à siderum illorũ lumine, & calore absunt. At si influxu id accidat illa, quae eis subsunt, eaquè verticẽ habent hyeme afficiẽtur.

3883 quamobrem vniuersale diluuium ex hoc siderum conuentu esse non posse videtur: sed nec alia vi coeli, quãdòquidem nulla totam terrã aequaliter respicit: sed quaeuis partem solam, siuè per climata coelum diuidatur, siuè per triplicitates. Dei solius itaquè vi omnipotente pendet, vt fide tenemus.

3884 mutatur etiã mare ab aggeratione fluminum: adimpletur enim mare ob arenas, quas omnia flumina continuè deuehunt, quod etiam Polybius testatum reliquit.

3885 rectè etiam idem Polybius inquit Danubio multis ostijs ex Europa in pontum influente tumulos quosdam fieri ex colluuie deuectae materiae, quos nautae pectora appellant vnius diei itinere à littore distãtes. quatenus enĩ impetus decurrentium fluminum praeualet, & superantibus fluentibus ingreditur mare, eatenus arenam, & omne genus materiae ferri in altum necesse est. Vbi verò profunditate maris impetus ipsi fluminum dissoluentur,

tunc

tunc omnis materia secundum naturam deorsum fertur, fundumquè quò consistat inuenit, ex quo fit vt maiorum ac rapidorum fluminum aggeres magis in mare protendantur, maiorquè profunditas iuxtà terram appareat: minorum verò, ac mitius fluentium tumuli non longè ab ostijs distent.

MARE.

3886 nunc ad mare transeamus, quod sanè aquae vniuersitas est. at si vniuersitates secundum naturam sunt, mare autē contra naturā salsum est, quo pacto vniuersitas erit? an vt Olympiodorus affirmat contra naturam non est mare salsum: si enim hoc fuisset secundum naturam alium habuisset saporem, cum tamen aquae secundum naturam omni sapore careat. Olympio. in 2. Mete. Ac. xx.

SALSEDO MARIS SECVNDVM ARISTOTELIS OPINIONEM.

3887 salsedinem maris retulit Aristoteles ad exhalationem vaporosam, in sublime elatam, quae multum fumidae exhalationis admixtum habeat, itaquè cum in sublime elata in nubem, & aquam cogitur, ac rursus defertur fumidum illum, & siccam exhalationem admixtam, & in se conclusam habet, quae cum salsedine affecta sit (nec enī prorsus à calore euinci potuit) mare in quod pluuiae magna ex parte decidunt, efficiunt salsum; qui quidē vtriusquè exhalationis in sublime ascensus, rursusquè descensus ordine quodam semper fit, quoad tamen ordinem, & constantiam ea, quae hic fiunt possunt seruare. 2. meteorū t. 23.

3888 atquè sicuti in alimenti concoctione in corporibus animalium, & in rerum adustione aliquid semper remanet, quòd caloris concocquentis vi euinci non potest, in illa quidem excremētum, in hac verò cinis, quorum vtrunq; salsum est. ita & in vniuerso ex alimenti, quo stirpes omnes aluntur, quod quidem in terra inest concoctione eius generis terra manet, veluti excrementum, quod ad alendum, vt ineptum concoqui non potuit. atquè ex hac terra exhalatio sicca (magna autem eius copia, ab eiusmodi arida tellure mittitur) talis est, videlicet excrementitia, & eo affecta sapore, quo excrementum omne affici

consueuit

consueuit. Ita Aristoteles de salsedinis maris caussa decernit, probabili quidem ratione: sed tamen dubia, & cum difficultatibus multis coniuncta.

SALSEDO MARIS IVXTA THEOPHRASTI SENTENTIAM.

3889 quapropter in hoc Theophrastum magis laudamus, qui quidem existimauit exhalationes è fundo maris eleuatas, saepiusquè aquam illam transientes modò sursum tẽdendo, modò deorsum relabendo aquam marinam salsedine inficere.

3890 nequè vti quidam arbitrantur maris profunditas impedit eleuationem exhalationum ab imo: nam vis calefactiua Solis transit per aquam, sicut, & illuminatiua, cum aqua eam non habeat, quam terra soliditatem, nequè dẽsitatem, seu duritiem, & quamuis maris fundum extrinsecum habeat, & in conuexo humiditatem: habet tamen intrinsecam, naturalemquè siccitatem, quae eleuandis exhalationibus sufficit.

3891 nequè consimili ratione oportet paludes, & flumina esse amara, quòd Sol ab eorum summa parte subtile, & dulce eleuet, à fundo verò exhalationes. tùm quòd fluuiorum aqua minus crassa, & terrestris, minus retinet exhalationum cum sursum educuntur, cum tamẽ aqua maris crassior sit, & propter hanc crassitiem plus exhalationum admixtum teneat. tùm quòd exhalationes à fluuijs eleuatae subtiliores sunt, & rariores, atquè hinc non consistunt in aere infimae regionis, nequè deorsum recidunt: sed altius attolluntur. maris autem exhalationes densiores, & grauiores haud procul eleuantur in aere, & facile ob grauitatem relabuntur, relapsuquè suo salsedinis occasionem praestant. tùm demùm quòd in fluminibus aqua è fonte semper scaturit.

2. meteorũ c. 3. 3892 atquè hanc opinionem falsò Faber Stapulensis Aristoteli adscripsit.

PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA DE ORTV MARIS.

in Phaedo 3893 quòd autem dixit Plato è Tartaro oriri mare, Aristoteli licet in illud dictum apparenter inuehenti nõ repugnat,

nequè

nequè enim (vt etiam ait Olympiodorus) quae fabulosè à Platone commemorantur, Phisicè accipere oportet. Tartarus enim est commune diuersorium iudicialium locorum, fabulosè vniuersitatem aquarum dictum ob errorum lotionem, in eo autem Cocytus, Pyriphlegeton, & Acheron continentur, iudiciariae nempè omnes sedes, carceresquè in quas prout multiplex, variaquè peccatorũ ratio postulat sordidae animae inijciuntur. 2. meteorũ ac. 21. cxli. concordia.

MARIS AESTVS SECVNDVM ADELANDI OPINIONEM, ET SARACENORVM.

3894 Nunc ad maris aestus transeamus, qui quidem ex Adelandi, Saracenorumquè opinione ita fit: cum enim ipsa maris brachia, quae interiecta terrae dirimit moles obuiare, atquè confluere impetu concito properent, fit tũ montibus interpositis, tùm ipsius terrae situ, vt ab eodẽ cursu dum deficiunt referantur, vtquè inde, quò & paternus, ac naturalis impellit motus, loci ipsius positu reuocentur. Picus in Astr. lib. 3. cap. 15.

3895 itaquè ex horum opinione rectè quispiam dixerit hunc accedendi, recedendiquè motum naturalem esse aquae, non quatenus aqua est: sed quatenus partes habet elementi principalis, obiectu moles terrenae diremptas, & separatas.

HORVM EXPVGNATIO.

3896 Verùm si haec ita se habent, cur Oceanus hunc motum habet?

IOANNIS PICI MIRANDVLAE OPINIO DE AESTV MARIS.

3897 dicunt alij maris aquam conceptaculum esse, alumnamq; vaporum multorum, nec tenuium, nec facile difflabiliũ qui de suis parentibus, hoc est aquosa terra, & aqua terrea, dequè coeli calore ducunt amaritiem illam notam, atquè salsedinem, propterea de aqua, & terra tali vapores identidem quales diximus, ventiquè suscitantur, vnde in aqua fit ventus tumultusquè, praesertim quod ex motu, impulsuquè isto, & vaporum admixtione calescit, quare locum requirit ampliorem, quò se diffundat.

Horum

HORVM EXPVGNATIO.

3898 sed si haec sufficiunt, cur aestus maris motus Lunae tantoperè sequitur.

ROGERII BACCONIS OPINIO DE AESTV MARIS.

in Epist. ad Clemen. v.

3899 Rogerius Baccon caussam reddere voluit in hunc modũ, nam cum inquit, exoritur Luna super mare alicuius regionis, cadunt radij Lunares ad angulos obliquos, quare debiliores sunt, ideoquè vapores exsuscitant è profundo maris, quos cum consumere nequeant, dùm ista durat attractio vaporum ebullientium fluit sedibus aquam. cũ verò Luna fastigio proximat, fiunt radij itẽdidem, quoniam rectiores, idcirco fortiores, quanto scilicet illa magis ascendit, qui demũ eatenus inualescunt, vt dissoluendis vaporibus pares fiant:

3900 cumquè coelum inquit supremum, siuè octauum, siuè nonum densum sit: terminat enim visum, qui denso tantummodò terminatur, proindè lunares radios illuc protensos ad partem aduersam reflecti necessarium est. idcirco si ab occidente Luna ad imum terrae mouetur, virtus eius in quadram aliam coeli oppositam vigebit, facitquè reflexo radio, quod faciebat ab oriente pergens ad summum.

HORVM EXPVGNATIO.

3901 sed primò haec opinio contradicit, experimento, ob quod notum est in pluribus locis non prius remitti aestũ, quàm caeperit Luna descendere, cum tamen contra Baccon quo magis proximat summo Luna remitti putet accessum dissolutis vaporibus lumine calidiore.

3902 praeterea quis credat reflexis radijs Lunae sub terram decurrentis inesse vim tantam, vt posint etiam suscitatos vapores absumere?

AVERROIS OPINIO DE AESTV MARIS.

3903 ob quae forsan dixit Auerroes Lunam motu suo, ac lumine facere aestum, vt cum infrà terram sit, lumen ad ima maris per ipsam terram transfundat, ob quod in ipso mari exhalatio fiat.

Horum

HORVM EXPVGNATIO.

3904 sed quo pacto debile Lunae lumen tantam poterit penetrare terram.

DIVI THOMAE OPINIO DE AESTV MARIS.

3905 Diuus Thomas ad Lunae motum maris aestum retulit, quem natura tacito consensu imitatur, quare ascendit cũ ascendente, descendit cum descendente. in libello d occultis operibus naturae

HORVM EXPVGNATIO.

3906 at si haec vera sunt, cur pro quatuor coeli cardinibus singulis sex horis non eiusmodi vbiquè fit aestus? cum quibusdam in locis singulis quatuor horis mare fluat, octo verò refluat, in alijs etiam aliter.

PROPRIA OPINIO DE MARIS AESTV.

3907 in hac itaquè re tanquã Sceptici assensum suspendimus.

3908 quòd si Dogmatici volumus esse, Rogerij Bacconis opinionem in paucis mutatam, tuebimur.

VENTVS SECVNDVM ARISTOTELIS SENTENTIAM:

3909 ventus secundum Aristotelem ab exhalatione calida, & sicca, veluti à caussa materiali oritur, cuius obliquae motionis caussam cõuersionem ait esse Aristoteles, qua aer, qui in orbem terram ambit, perpetuò conuertitur, cum alioqui aspiratio, qua constat ventus suaptè natura sursum conscendat.

OBIECTIONES IN ARISTOTELIS OPINIONEM, ET THEOPHRASTI DE VENTO OPINIO.

3910 obijcit autẽ Alexander, quòd videlicet omnes ventos in eandem partem, nempè ad occasum ad quem coelum cõuertitur ferri oporteret, quòd item venti praeter naturã, quemadmodum, & aer ille, qui circumuertitur, mouerentur. deinde obijciunt alij, quòd è supero illo loco, vbi aer circumfertur venti flatus non potest incipere, quandoquidem traditum est in altissimis montibus ventos non fieri, aeremquè illum, qui extrà montium summitates

mitates non extenditur, non circumferri.

3911 his difficultatibus Theophrastus fortasfis ductus motionis ventorum caussam (vt Olympiodorus refert) in exhalationem e qua constant retulit. eam enim non omninò siccam esse affirmat: sed humidi plurimum admixtum habere, ideo cum sicca leuis sit, humida grauis, obliquè non in rectum mouetur.

OBIECTIONES IN THEOPHRASTI OPINIONEM.

ET ARISTOTELEAE SENTENTIAE DEFENSIO.

Olympio. 1. meteorū act. 15.

3912 verùm si Theophrasti opinio vera est, cur ex motu nubiū, qui ventus sit futurus praedicimus? etenim ab ipsis nubibus flare incipit, cum tamen ex Theophrasto ab ima plaga sui ortus initium habeat.

3913 praeterea cur tanto impetu aerem scindit?

3914 quòd autem ad rationes ab Alexandro contra Aristotelem allatas spectat, prior ab Olympiodoro diluitur: nec enim ait Aristotelem docere ventos coeli conuersione impelli. sed quòd exhalatio sursum ad aerem illum circulatim motum conscendens, eumquè prae crassitie, & motu suo secare non valens, ab illo celerrimè circumlato deorsum repellitur, hacquè, & illac violentia magna disijcitur, vnde obliqua ventorum motio existit.

3915 altera verò obiectio incommodum nullum affert, quòd facile concedamus ventos, seu exhalationem qua constant vi quadam moueri.

3916 eam verò, quae postremò conclusa est diluere facilè non est, nisi dicatur exhalationem quidem ad ea loca scandere: sed ad illorum montium cacumina non pertingere, quòd ab aere circumlato repellatur, cum & ibi exhalatio adeo tenuis sit, vt facile leui illa circumlatione posfit expelli.

ALIA RECENTIORVM OPINIO PROBABILIS DE VENTIS.

3917 alij ab aere mediae regionis denso, & constipato exhalationem, quae sursum ferebatur, repelli voluerunt, itaquè deorsum, obliquè tamen ob eius motum naturalem, qui

sursum

sursum est, & quòd ab alia exhalatione ascendente impediatur, trudi, quam sententiam ex libello de mundo ad Alexandrum videntur accepisse, si quidem in eo dicitur, ventum ex sicca exhalatione constare à frigore impulsa ita vt fluat. quae opinio etsi Aristotelis non est, habet tamen maximam probabilitatem.

TERRAEMOTVS.

3918 ob spiritum in terra conclusum, exitumquè quaerentem terraemotus oritur: nequè tamen spiritu solùm, qui nõdum in aerem exierit Aristotelis sententia terraemotus excitatur, quod quidem Agricola, & nonnulli alij putarunt, illo quidem sanè potissimum gignitur: sed venti quoquè aerem mouentes, & omninò exhalatio, quae iã in illum conscendit ad eum saepenumero excitandum, magnum iuxtà Aristotelis sententiam afferunt momentum. 1. de sub. or.& caus.

3919 quam terraemotus rationem à spiritu proficiscentis Archelaus antiquitatis diligens, atquè Callisthenes, & Straton probarunt. quanquam illi hoc nomine ab Aristotele dissidere videantur, quòd cum Aristoteles in spiritum etiam intra terram genitum, qui nondum prodierit, non in solùm exteriorem, qui aliquo casu retrocedat terraemotus caussam retulerit, illi in ventum exteriorem solùm videntur referre.

3920 quaesitum autem video, núm ille spiritus intra terrae viscera accendi possit: sed cur non accendi possit? vi enĩ detentus, ac ne exeat repulsus spiritus, suis primùm inter se partibus, tùm ad terrae concauitatum latera colliditur, vehementerquè impellitur, & aerem, qui in concauitatibus illis inest, in frusta distribuit, vnde eius accensio necessariò consequitur, sicuti in nubibus compactis dẽsatisquè accenditur.

ARISTOTELIS, ET GALENI CONCORDIA DE PVLSV, ET TREMORE.

3921 sed dùm affirmauit Aristoteles terraemotũ fieri ob spiritum interceptum, quemadmodum & pulsus, & tremor in homine ob spiritum interceptum fit, reprehensionem medicorum subit: nec enim tremor, pulsusquè iuxtà 2. meteorũ t. 62.

v. de symp. caussis.

Galenum ob spiritum interceptum existunt: si quidem (vt iste ait) tremor partium corporis fit ex virtutis mouentis imbecillitate, cum membrum nempè attollere nitimur, quod pondere suo in contrarium ruit. duo itaq; tùm motus fiunt, aut vnum ex duobus, mixtum videlicet eo quem virtus mouens in superum facit, & eo, quē grauitas in inferum.

in lib. de caus. puls.

3922 pulsum similiter nullibi tradit Galenus à spiritu interclusum fieri: sed proficisci ait à facultate tali mouēte, quae in arterijs inest, & illas nunc attollit, nunc deprimit caloris naturalis conseruandi gratia: aere cum attolluntur attracto, & vaporibus fumosis cum demittūtur expulsis.

3923 sed cur non etiam & Galenus tremorem caussam spiritū interclusum fatebitur? quandòquidē (vt Seneca inquit) corpora nostra non aliter tremant, quàm si spiritum aliqua caussa conturbet, siuè timore contrahatur, siuè senectute languescat, siuè venis torpentibus emarcescat, siuè frigore inhibeatur, siuè sub accessionem cursu suo deijciatur. nam quandiu, sine iniuria procedit, & ex more profluit nullus est tremor corpori.

in 2. de locis affectis & alibi.

3924 pulsus autem si pro eo sumatur, qui in membris inflammatis, & affectis dolorem excitat, aut etiam pro micatione, & vehementi arteriarum motione, in qua significatione vocabulum Σφυγμός veteres vsurpasse Galenus ipse auctor est, cur ex spiritu intercepto non fiet? & primū quidem in partibus inflammantis spiritus, qui extrà arteriam exire contendit, ne exeat impeditur, propterea quod ex materia affluente arteria densior sit facta. quo impedimento efficitur, vt pulsus maior fiat, quàm si liberum exitum spiritus haberet.

3925 nec aliter in palpitatione, aut micatione euenit: crassus enim, vaporosusquè spiritus discursu carens palpitationis caussa est,

3926 atquè hanc significationem ab Aristotele vsurpatam esse, inde colligi potest, quòd palàm dicit pulsum in animalibus non simul cessare: sed paullatim cessante affectione vt motionem praeter naturalem esse, & symptoma intelligamus.

Ea quae

EA, QVAE AB EXHALATIONE CALIDA, ET SICCA INTRA NVBEM CONCLVSA GIGNVNTVR.

3927 in illis quae ab exhalatione calida, & ſicca intra nubem concluſa gignuntur, vti ſunt fulmina, Tiphones, & ſimilia, dubitat optimè Albertus, an ſimul vapor pro nube, & exhalatio pro fulmine eleuentur: ſi enim ea, quae non aequaliter ſunt facilia ad reſolutionem, non aequaliter reſoluuntur ab eodem agente, cum aqua facilius reſoluatur calore Solis, quàm terra, videbitur vtiquè citius eleuari vapor terrae, quàm aquae, & propterea ſi non aequè citò eleuantur, quo pacto alter in alterum includitur? an ſiuè ſimul, ſiuè ſucceſsiuè (vtroquè enim modo contingit) eleuentur erit ſemper poſsibile ſiccam exhalationem in humido vapore concludi? ſi enim citius eleuetur humidum aqueum, & conſequatur ipſum ſiccum terreum, tūc humidum aqueum ſtabit in loco frigido, & in ipſum ibi penetrabit ſiccum terreum propter acumen ſui caloris. 3.li. mete. trac.3.c.9.

3928 praeterea licet aqua, quantum ad ſui naturam facilius euaporet, quàm terra; non tamen oportet, quòd actu ſemper hoc eueniat propter multas diſpoſitiones diuerſas, quae poſſunt, tum aquae, tum terrae contingere.

3929 quaerit etiam idem Albertus num poſsibile ſit, includi vaporem ſiccum in humido: cum enim vna de conditionibus facile miſcibilium ſit humidum, & ſubtile: & in iſtis vaporibus ſit ſubtile, & humidum, propterea deberent iſti vapores in aere quando eleuantur miſceri. ſed & huic quaeſito idem Albertus optimè ſatisfacit, dùm affirmat hos vapores diſtinctos ſeruari, & ex parte materiae, & ex parte calidi agentis. valdè enim diſtinguuntur per eſſentiam, & calor in humidum agit dilatando ipſum, cum faciat ipſum fluere extrà ſe ipſum, ſi quidem trahit aqueum humidum ad formam aerei humidi. in ſiccum autem agit extrahendo ipſum humidum, & proptèrea eum denſius, & conſtantius reddit. cap. 10.

TVRBO IVXTA OLYMPIODORI OPINIONEM.

3930 Turbo iuxtà Olympiodori opinionem duplex eſt, alter

in p. com. 3. meteorũ nempè, qui ab ima plaga ortum ducit, alter verò à nube.

3931 et ille, qui ab ima plaga oritur, est quando humor crassus qui recta in decliue pronus defertur, siuè per mare, siuè per terras, cuidam corpori solido incidat, resiliatquè tãquam illisu ipso repercussus, cum autem ipsius humidi vaporis anteriorem partem retrò resilire pars posterior à tergo insequens prohibeat, fit vt repercussa pars in obliquum refluat, deindè si huic vapori in obliquum vibrato corpus quoquè aliud solidum illidat tali corpori incidens vapor vagus inde quoquè reflectitur. atquè ita assiduo agitatu, atquè repercussu vortex quidam, & turbo venti efficitur, qui postea cum à terra tortuoso flexu tanquam ad nubem celeri raptu se cõuoluit. quodlibetq; incidens corpus in sublime rapit, è mari namquè nauigia plerunquè ex medijs vndis, pariterquè è terra animantia ipsa, & saxa, vel quidpiam aliud secum in aerem detulit, quae postea ad terram dimittit.

3932 quòd si è nube de superiori loco deuenerit, efficitur in hunc modum: nam vbi gelida nubes vndiquè coacta fuerit, posteaqnàm igneus spiritus intus conclusus fremere incipit, & multiformi nexu agitatus nubem concutit: ipsa statim per vim abrumpitur, extemploquè fumida exhalatio se circumuoluens, & exitum quaerens è nube erumpit, ipsius motus specie seruata, quam in nube habebat, dico motum volubilem in spiram circumactum. postea turbo is è nube abruptus ad terram deuoluitur.

3933 alter autem ab altero dignoscitur duplici via, & primò quidem ex ipso aspectu: cum enim turbinem modò sursum, modò deorsum videbimus ferri, originem sibi à terris esse dicemus. sin à superiori loco pronus tantùm in terram verget, habere primordium fatebimur à loco superiori.

3934 deinde id quoquè iudicabimus à corporibus ab ipso turbine in summum aerem abreptis. nam si corpus ipsum à propria positione primò deturbatum fuerit, & eiectum, deinde in obliquum per quoddam spatium protractum tandem rapitur in sublime, tùm ipsum turbinem à superiori loco principium habere dicemus.

Horum

HORVM EXPVGNATIO, ET ARISTOTELIS SENTENTIA. DE TVRBINE.

3935 haec autem Olympiodori sententia licet ex suppositione multa habeat praeclara, & quae sustineri possint, non est tamen auribus Aristotelis accommoda: vnum enim tantùm turbinem explicauit Aristoteles, eum videlicet, qui è nubibus excernitur, & in ipsis nubibus antequam excernatur, in girum contorquetur, atque ita contortum in terram demittitur. id autem Typhonis genus similitudine ventorum, qui portis aut vijs angustis ex lato, & spatioso loco incurrentes, in orbem flectuntur, declarat.

HALO.

3936 quoniam autem Aristoteles in relatu de corona dixit omnes lineas ab aspectu nostro emissas, quae nubi incidunt aequales existere, Mathematicae disciplinae illum ignarum nonnulli audacter nimis dixere: nam in illis lineis visualibus ad nubem missis, quaecunquè à catheto longè absunt omnes alias magnitudine superant. quae verò catheto viciniores, quo viciniores eo breuiores. caeterarum cathetus breuissima. huic dubio vt satisfaceret Olympiodorus dixit nubem non esse veluti planiciem vnam continuatam. sed esse quasdam nubeculas exiles fusim dispersas, quarum altera altera tum minus, tùm magis à terra remota. 3. Meteor. tc. xxxiij.

3937 sed labitur Olympiodorus, si quidem Aristoteles tres lineas duntaxat ad nubem sidus ambientem, ab aspectu ductas descripsit, easquè aequales esse sumpsit, inter eas aut mediam nullam, & sic nullum cathetum accepit.

3938 quaerat etiam aliquis quo pacto Halo fiat ex reflexione, si quidem vt hoc sit anguli reflexionis, & anguli incidentiae aequales debent esse, cum autem radius à nube ad sidus reflexus longè maior sit, quàm qui ab aspectu ad nubem recta est protensus, propterea minores sunt anguli reflexionis, quàm incidentiae. an cum nubes sit veluti speculum obliquum obiectio nullius est momenti? à speculo namquè obliquo aequales anguli fieri possunt, etsi radiorum alter longitudine alterum vincat.

IRIS.

3939 in Iride illud primum se se nobis offert an veros côcipiat colores, & sanè Diuus Thomas illi veros colores adiudicat: cum enim lux omnium colorum sit hypostasis, & substantia formalis, & constituat colores tinctis radijs in perspicuo denso, constat ibi veros esse colores, vbi eiusmodi lux tingitur in perspicuo aeris humidi, vel rorationis descendẽtis, eo namquè modo Iris colores concipit, & ideo veri sunt censendi.

3940 at secus non solum Possidonius: sed & nonnulli Peripatetici senserunt, quandoquidem illi colores in speculo apparent, in quo non veri, sed apparentes existunt colores.

POSSIDONII, ET DIVI THOMAE CONCORDIA DE VERITATE COLORVM IRIDIS.

3941 sed si distinguitur veritas coloris à coloris (vt ita dicam) intentionalitate, haud dubium est colores Iridis veros esse, vti sensit Diuus Thomas.

in trac. 2. lib. 3. c. 3. in digress.

3942 si verò sumatur verus color, pro eo, qui habet intrinseca principia, sicuti in mixtis perfectis apparet, non habet Iris veros colores, cum ibi habeat color esse debile, à principioquè pendeat extrinseco, & fiat secundum determinatum situm ad visum.

COLORES IRIDIS NON PINGIBILES.

3943 cum autem scripserit Aristoteles colores Iridis nullam consequi posse artem, huiusce dicti triplicem reddidit Albertus rationem nobis: quarũ prima est, quòd Pictores linea colores illos adeo similes eorum termini sunt, distinguere nequeant; quod tamen in alijs coloribus efficiant ipsi, hinc & rectè Ouidius.

„ Qualis ab imbre solet percussis solibus arcus
„ Inficere longum ingenti curuamine coelum,
„ In quo diuersi niteant cum mille colores
„ Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit.

altera quòd Pictores in materia tantùm terrestri colores pingunt, non in aere quales arcus est materia. tertia quia

Pictor duos colores pingere iuxtà se positos non potest, ex quibus iuxtà se positis tertius exoriatur, vt in arcu euenit, quae omnia rectè dicta sunt de coloribus Iridis, vti colores Iridis sunt:

3944 attamen existimamus nos de istis coloribus simpliciter Aristotelem loquutum, non vt solùm arcus sunt.

CAVSSA ORDINIS COLORRVM DVPLICIS IRIDIS IVXTA AMONII OPINIONEM.

3945 maxima verò est dubitatio de causa ordinis colorum in prima Iride, & de ordine inuerso in secunda, in qua sanè dubitatione Amonius dixit radium perpendicularem ad illud spatium ferri, quod inter vtrúquè arcum positū est. illud itaquè spatium, quod radio valentiori conspicitur, absquè errore vllo à nobis apprehendi, tùm id quod sequitur puniceum, qui color à Solis colore caeteris minus recedit, vt potè minori errore conspectus, & propterea cum magis error augeatur magis etiam ad nigrum colores tendunt.

HORVM EXPVGNATIO.

3946 verùm haec sententia licet ex suppositione vera oriatur applicita tamen arcuum coloribus falsa penitus est: si .n. radius perpendicularis ad spatium illud perduceretur, cum paribus interuallis radij ab illo distantes circū circa producantur, atquè à nube ad Solem reflectantur, semicirculum aequalem vtraquè ex parte apparere oportebat vt ergo arcus exterior appareat, cuius cauum terram respicit, radijs videlicet aequaliter, & in orbem à perpēdiculari distantibus, ad Solem reflexis. ita ex altera parte arcus fieri debebat, cuius cauum versus alterius cauum situm esset, vt potè ex radiorum aequaliter à perpendiculari distantium ortu. Alexander Picol. in tract. de Iride

3947 fit autem vterquè terram versus cauum habens: alter videlicet in altero: non igitur perpendicularis eò fertur: sed ad centrum, à quo vtriusquè arcus partes omnes, seorsum tamen, aequaliter distant.

3948 nulla etiam his, qui perpendicularem eò ferri aiunt via remaneret docendi, quamobrē colores, qui in exteriori

sunt arcu languidiores sint, quàm in altero, vt potè radijs à perpendiculari aequaliter distantibus.

3949 nec Aristoteli sententiae Amonij dictum ab ipso Olympiodoro rectè accomodatur, cum ait Aristotelem eo quod dixit plurimum aspectum ab ambitu interioris arcus extimo, quia maximus est referri, non plurimũ multitudine, ac numero radiorum intellexisse. sed vi solùm, ac facultate, quoniam videlicet perpendiculari radio vicinior sit. perspicuum enim est Aristotelem multitudinẽ radiorum illis verbis indicasse.

RECENTIORVM OPINIO DE CAVSSA ORDINIS COLORVM DVPLICIS IRIDIS.

3950 sed hanc dubitationem recentiores aliqui sustulerunt aliter concedentes per se quidem colorem, qui ad candidũ magis accedit in intimo ambitu apparere debuisse, ob eamquè caussam puniceum, nigriorem autem, veluti purpureum in extimo. ex accidenti tamen ob duo impedimenta candidiorem, qui est puniceus in extimo, & purpureum in intimo apparuisse. ac impedimenta quidem esse ambitus illius interioris paruitatem, atquè nubis in qua apparet crassitiem, & densitatem, quae longè maior est, quàm in exteriori. in secundo verò arcu cessare impedimenta per accidens.

HORVM EXPVGNATIO.

3951 sed cur à nube densiore magis non reflectuntur?

DIVI THOMAE OPINIO DE CAVSSA ORDINIS COLORVM DVPLICIS IRIDIS.

3952 Diuus Thomas easdem assumpsit sibi caussas, quas & Aristoteles attulit, in primo nempè arcu magnitudinem, in secundo situm. sed addidit inter vtrunquè arcum mediũ citrino colore apparere ob maximam magnitudinis, & vicinitatis facultatem, qua cessante elanguescerent colores ob situm.

HORVM EXPVGNATIO.

3953 sed haec opinio repugnat sensui, qui quidem inter vtrũquè arcum nullum colorem citrinum percipit.

VERA SENTENTIA DE CAVSSA ORDINIS COLORVM DVPLICIS IRIDIS.

3954 vera itaquè erit sententia, si simul cum Aristotele magnitudinem ambitus tantùm adducamus pro caussa.

3955 quòd si aliquid audendū est addamus, & fortasse id posse fieri, quia radij perpendiculari proximi; quoniam caeteris validiores sunt debiliter admodum, & ad angulos magnos reflecti. imo verò ipsam nubem magis penetrare, illiquè magis admisceri, ob eamquè caussam Solis colorem debiliter valdè primò repraesentare, ac quo magis à perpendiculari recedunt, eo debiliores esse, validiusquè reflecti, & ad angulos minores referri, ideoquè colores ad candidum propius accedentes, & à nubis nigredine remotiores ostendere.

ABOASARIS OPINIO DE ORDINE INVERSO SECVNDAE IRIDIS, ET DE SPATIO SINE COLORE INTER VTRAMQVE IRIDEM.

3956 existimauit Aboasar arcum exteriorem non ex reflexione aspectus ad Solem exoriri. sed alterius arcus imaginē esse, quae in nube exteriori appareat, quia ad arcum interiorem aspectus reflectatur.

HORVM EXPVGNATIO.

3957 quae quidem opinio licet caussam, quare colores exterioris arcus languidiores sint quàm interioris reddere posit, quam Amonius, & Olympiodorus nequeunt. rursus quamobrem colores illius contrario ordine positi sint, ac interiores. quare item spatium inter vtrumquè interceptum nullo colore appareat. eorum tamen, quae in speculis cernuntur rationem prorsus non seruant.

3958 conuexa namquè vtrius essent sibi proximiora: nā quae vicinior ipsi speculo interioris arcus portio est, apparere in eo propinquior debet, quae verò remotior, remotius.

Alexandri

ALEXANDRI SENTENTIA VERA DE ORDINE INVERSO SECVNDAE IRIDIS, ET DE SPATIO SINE COLORE INTER VTRANQVE IRIDEM.

3959 Alexander autem optimè ordinem innersum secundae Iridis ad situm tantum simul cum Aristotele attulit: non etiam ad magnitudinem: spatium verò interceptum sine colore asseruit, quod ibi nulla fieret reflexio: sed quãobrem id sit, non satis rectè explicat.

3960 credimus tamen satis probabilem rationem afferri posse si simul cum Scaligero dicamus Iridem secundam in eadem nube minimè fieri: sed in loco superiori. quanquã id oculo dignosci non quit, tum propter loginquitatem, tum ob corporum similitudinem: medium itaquè interceptum cum aer sit, non reflectit? in hoc quaesito nos melius non habentus.

Exer.lxxx. cap. 4.

3961 erimus itaq; in hoc Sceptici, si nostra responsio nõ valet.

OLYMPIODORI OPINIO DE PORTIONE MINORI ARCVS, QVAE CIRCVLI MAIORIS VIDETVR.

3962 solet & altera inter Peripateticos exagitari quaestio, quare nempè cum Iris, semicirculi forma apparet minoris circuli esse videatur, cum verò figura, & portione minori, quàm semicirculus majoris. huic quaesito Olympiodorus duplicem assignat responsionem, quarum altera est, quod quo minor semicirculo portio est, eò propius terrã videtur, quẽ totũ locũ magis, quã superiorẽ vapores occupant, indequè efficitur, vt maior, quàm sit, portio illa appareat.

3963 alteram etiam adiecit caussam, nempè portionem semicirculo minorem maioris circuli videri. quia cũ propè terram appareat ab aspectu nostro minus distet.

HORVM EXPVGNATIO.

3964 sed quanquam arcus, cum est semicirculus summitas à nobis magis distare videatur, quàm cum est minor semicirculo

micirculo, non ob id tamen minoris circuli videri deberet, alioqui pars illius inferior, quae Orizontem attingit maioris circuli videretur, quandòquidem aequè propinqua sit, atquè est cum minor portio quàm semicirculus videtur.

3965 quod idem dicitur ad alteram rationem, & eo magis, quia cum semicirculus videtur, tùm aer est densus praecipue, si quidem mane, aut vesperi, Solis exortu, aut occasu videtur.

VITELLONIS OPINIO DE PORTIONE MINORIS ARCVS, QVAE CIRCVLI MAIORIS VIDETVR.

3966 Vitello autem existimauit cũ semicirculus videtur, minoris circuli videri, quia tum radij perfracti propius ad perpendicularem accedant. aerem enim tùm densum esse propterea quod Sole nondum sublato ita videatur, aereque densiori minorem semper à perpendiculari radiorũ fieri perfractionem.

HORVM EXPVGNATIO.

3967 an nè hoc quidem modo dicendum videtur? si quidem in aere crasso, & denso radiorum perfractiones à perpẽdiculari magis fiunt, quàm in eodem tenuiori.

VERA SENTENTIA DE PORTIONE MINORIS ARCVS, QVAE CIRCVLI MAIORIS VIDETVR.

3968 an quoniam haec quae attulimus partim à verò absunt, partim caussam nõ reddunt, potius dicendũ est portionẽ, quae Sole supra Orizontem sublato apparet, maioris circuli videri, quoniã in aere, nubibusq; lõginquioribus cernatur? eas enim, quae propiores sunt Solis calore solutas esse, aeremque propiorem similiter attenuatum, & rariorem redditum, ob eamque caussam basim, quae Iridis superficies est ampliorem habere.

OBIECTIONES OLYMPIODORI IN DISCVRSVM ARISTOTELIS DE IRIDE.

3969 obijcit autẽ Olympiodorus in discursum Aristotelis de

Iride, quod C qui pro centro circuli, cuius circũferentia & nubem, & Solem tangit, à nube, & à Sole non aequè distat, praeterea si aequae distarent, fieret vt ad idem centrum lineae, non ad Solem referrentur.

SOLVTIONES OLYMPIODORI, ET ALIORVM.

3970 respondet autem Olympiodorus C non vniuersi centrũ: sed alterius cuiusdam circuli intelligentia comprehensi, ex quo centro lineae ad Solem, & nubem ductae sunt aequales.

3971 ex qua responsione potest etiam, & ad secundã obiectionem responderi.

3972 altera responsio est C vniuersi quidem centrum esse quoniam aspectus vbicunque fuerit in centro sit vniuersi: nõ tamẽ Orizontis, quae sane responsiones tollunt obiecta.

3973 sed non sunt Aristotelis, quoniam Aristoteles in C aspectum ponit, quem in centro Orizontis esse perspicuum est, nullaque circuli imaginationem, aut intelligentia comprehensi mentionem facit.

3974 dicendum igitur potius lineas à C ad Solem, & ad nubẽ aequales non esse: sed apparere solum, quoniam Iris in coelo videatur.

MIXTA PERFECTA.

3975 post mixta imperfecta sequuntur mixta perfecta ad quorum exactam declarationem mixtionis, & generationis discrimen praenoscere necessarium est.

GENERATIO.

3976 Generatio secundum Aristotelem est mutatio secundum totum non manente sensibili, vt subiecto eodem, quae quidem diffinitio simul cum Diuo Thoma ita est intelligenda (quicquid garriant Auerroys, & Auicennas, qui pluralitatem formarum substantialium in composito cõcedunt) vt quando nihil maneat actu existens, cuius alterum quod transmutatur sit passio, & accidens, tùm vniuersaliter sit generatio, & corruptio.

lec.x. p. de gen. t. 24.

3977 et propterea manifestum est in generatione compositorum esse multas generationes medias, quae necessariò terminantur ad aliquas formas, quarum nulla facit ens

Thom. lib. 1. de gene. lec. p t. 18.

completum

completum secundum speciem; sed ens incompletum, quod est via ad speciem aliquam, quae per formam perfectam constituitur, similiter ex parte corruptionis.

3978 cum itaquè formae substantiales differant secundũ perfectius, & imperfectius, dicẽdum est quòd quicquid imperfectius potest, idem potest perfectius,& adhuc amplius: atquè sic nulla forma substantialis aduenit subiecto in actu existenti; nec praesuponit aliam formam cômuniorem re diuersam, quae ad Physici considerationem pertineat.

COROLLARIVM.

3979 errauit itaquè sine dubio, Zimara, qui supradictã Aristotelis de rerum generatione diffinitionem elementis solùm adiudicat.

EPTA.

PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA DE GENERATIONE.

3980 et quamuis Plato in transfiguratione generationem ponat: non tamen à supradicta sententia dissentit. non enĩ intelligenda est transfiguratio superficialis, idest mutatio tantùm figurae (in quam opinionem inuehitur Aristoteles) sed transfiguratio intrinseca, & substantialis. in Timaeo cxlij. concordia. 3. đ coelo

PHILOSOPHORVM ANTIQVORVM, QVI ENS ACTV GENERATIONIS SVBIECTVM STATVEBANT, ET ARISTOTELIS DE GENERATIONE CONCORDIA.

3981 quid si audeamus Thaletem, caeterosquè, qui ens actu generationis subiectum statuebant cũ Aristotele supradictaquè sententia conciliare? arduum sanè opus. audẽdum est tamẽ, cum & Magnus Albertus ante nos id praestiterit. generatio enim secundum esse ens actu requirit: ens autem potentia expostulat sibi generatio secundum essentiam. 1 p. de gen. trac. 2. cap. 21.

MIXTIO.

3982 Aristotelis verba de mixtione videntur iis fauere, qui elementorum vires integras in mixto seruari volunt, si quidem eorum virtutem remanere dixit, nec penitus ea p. de gen. t. 84.

corrumpi

corrumpi voluit, cum corruptio tùm fieret iuxtà ipsum, non mixtio.

AVERROIS, ET AVICENNAE OPINIO DE MIXTIONE EXPLOSA.

3983 et propterea Auicenna formas integras in mixtis ita posuit, vt à minimo minimum contingatur. Auerroys autē cum intensionem, & remissionem elementorum formis tribuisset, eas in esse refracto in mixtis credidit. vterquè autem malè, nec enim multae formae actu, sub vna forma contineri queunt, nec quidditas ipsa gradus habet, vti Aristoteles multis in locis probauit.

3. coeli cap. 67.

GREGORII DE ARIMINO, HERVEI, DIVI THOMAE, ET SCOTI VERA SENTENTIA DE MIXTIONE.

3984 Gregorius de Arimino, Herueus, Diuus Thomas, & Scotus eiusmodi parapetasmate Scenam texerunt hanc, vt nullo pallio melius Agamemnon Zeusis. dicunt enim ex elementis ad inuicem coniunctis, & per mutuam actionem ad inuicem corruptis, quantum ad esse substantiale, & accidentale, resultare aliquam qualitatem mediam ab elementaribus differentem, non sicuti remissum ab intēso, sed specificè: sicuti mollities ex humido, & sicco cōmixtis fit, in qua tamen humiditas, & siccitas dicuntur manere virtute: non quia ibi adsint essentiae intensae, aut remissae: sed quia aliquid conuenit mollitiei ex natura humidi, sicut cedere tangenti, & aliquid ratione sicci, sicut cedere absquè diuisione superficiei. quae qualitas media formae mixti est instrumentum.

p.par. sum. q. 36. ar. 4. 2. sent. dis. 16. q. vnica

Capreolus p. sen. dis. 15. q. 1.

GENERATIO MIXTORVM.

3985 accedamus iam ad rationem explicandam, qua & generantur mixta omnia imperfecta, & corrumpuntur. in generatione itaquè mixtorum duae passiuae qualitates, seu (vt rectius dicamus) corpora hisce duabus qualitatibus affecta ex natura, & vi harum duarum qualitatum consistunt, & cohaerent: sed vi caliditatis, ac frigiditatis fit eorum inuicem mixtio, & coniunctio. quapropter cum actiuae proportione quadam passiuas superant fit generatio mixtorum.

4. meteorū

quaesitum

3986 quaesitum autem video num frigiditas in generationem mixtorum per se ingrediatur, an verò per accidens, & sanè per accidens oriri calorem superfluum temperando, plerique fatentur. nos verò Alberti Magni in plerisq; distinctionem amplectimur, ad formam enim introducendam per se saepius nihil frigus operatur. at per se ad id operatur, quod sub forma est, nempè ad partium materiae constantiam nè calore dissoluatur. quae tamen distinctio non est semper vera cum aliquando frigus per se formam introducat. 4. meteorũ p. trac. c. 4.

PVTREDO.

3987 verùm cum calor sit caussa generationis mixtorũ, quaeri potest quaenam sit caussa corruptionis eorum, posletquè alicui videri frigori adtribuendam esse corruptionis caussam: nam contrariorum contrariae videntur esse caussae. contra verò esse videtur efficax ratio: nam sicuti generatio mixtorum fit per compositionem quandam, itẽ corruptio fit per resolutionem, & separationem corporum componentium mixtum, & frigus semper congregat, & constipat, tùm homogenea, tùm heterogenea, igitur per se à frigore resolutio, & separatio esse nequit.

3988 sed frigus primò & per se, si calorem impediat, generationem succedere non sinet, hocquè pacto impedit etiã frigus concoctionem caloris, & indigestionem facit. illi igitur forsan primò & per se attribuenda erit mixti corporis dissolutio, & corruptio? perspicuum est cuiq; acutius inuestiganti nulli attribui posse dissolutionem praeterquam calori. à calore ergo mixta generantur, & corrumpuntur.

3989 atqui fieri potest, vt ab eadem caussa prodeant effectus contrarij per se primo? nimirum ex hisce efficitur omninò alium esse calorem à quo est generatio, item alium eũm, à quó est corruptio, & dissolutio mixti corporis. priorem dicimus naturalem, & proprium. posteriorem alienum, & extraneum.

3990 sed qualis nam est istè calor extraneus? communiter ferè respondent Philosophi, & Medici per calorem extraneũ, quem Aristoteles ambientis appellat, non solùm intelligi

calorem

calorem aëris, aut aquae: sed etiam vaporum, & fuliginum, quae à corporibus nostris eleuantur, cum nullum alium calorem Aristoteles intelligat quã aëris aut aquae. à fuliginibus enim, calidisquè vaporibus nõ fit remissio, neque diminutio caloris naturalis: sed potius intentio, & adauctio, vti patet in febribus putridis.

3992 in putredine verò primò ambientis calor calefaciendo corpus mixtum aperit, & relaxat. relaxatione verò facta, internus calor egreditur, & foras trahitur, diminuiturquè ob id. calore autem egrediente, secum trahit, & allicit humidum naturale, atquè hinc interna frigiditas incipit augeri, caloriquè adeo dominari, vt ipsum labefactet vsquè quò non possit amplius retinere humidum cum sicco, vnde humidum quasi sui iuris factum diffluit à sicco, & disiungitur.

COROLLARIA.

4. meteorũ cap. 6. trac. 1.

3993 hinc liquidò constat modum putredinis eos non intellexisse, qui cum Alberto dixerunt, putredinem per intẽsionem caloris naturalis fieri. qui voluerũt etiam calorẽ naturalem auctum à calore ambientis agere in humidũ, ipsumquè dissoluere, quo dissoluto, & consumpto putredo esset, & naturalis corporum corruptio.

3994 apparet etiam Vgonem Senensem temerè modum putredinis explicasse, qui voluit calorem in humidum agens ipsum attenuare, & rarefacere, ob quod egrederetur, quẽ & calor naturalis sequeretur, post quae iam adesset corruptio mixti. quae opinio modò communis est.

3995 patetquè quo pacto per Aristotelem putredo à combustione distinguatur, si quidem putredo fit non solùm à caliditate externa: sed etiam à frigiditate interna: combustio verò solùm à caliditate externa.

ΕΡΓΑ.

3996 sed non nè contradicimus nobismet ipsis, qui in febribus putridis superius calorem internum adaugeri diximus: cum tamẽ inferius fassi simus in putredine adesse semper internam frigiditatem? dicimus audacter in hisce verbis nullam esse contradictionem. duo enim apud Aristotelẽ putredinis genera sunt, quarum altera dicitur secundum partem

t. 5. & 4. 4. meteorũ

partem, & est recessus à propria natura, in qua potest calor internus augeri. altera verò secundum totum in qua calor internus diminuitur.

COROLLARIVM.

3997 ex quibus nemo est, qui non videat, quantùm defecerit ab Aristotele Argenterius, qui Aristotelem accusare ausus fuit, quòd putredinis differentias non assignauerit.

EPPA.

3998 actionum autem, quae à calore, & frigore proficiscuntur in humorem, & siccitatem, veluti in materiam receptarum, aliae sunt eiusmodi, vt per eas in lucem, cum antea non esset res, perducatur, aut cum esset, in interitum abeat (cuiusmodi sunt ea, quae superius diximus). aliae in rebus, quae in rerum vniuersitate, & natura constant versantur, & earum diuersae qualitatis sunt caussa. priores hactenus fuerunt expositae. posteriores itaquè explicandae.

3999 ac duo quidem genera sunt, quibus ternae species adiudicantur.

4000 genera sunt concoctio, & inconcoctio.

CONCOCTIO.

4001 maximum autem dubium est, an concoctio fiat per inspissationem, velper rarefactionem, id quod etiá & apud Didymum quaeritur num maturitas fiat ἐν συμπτώσει vel ἐν μανώσει. & sanè Aristoteles illi fauet partũ, quae concretionem adiudicat digestioni. at secus exemplum sumi 4. meteoror. potest à rosa, si quis eius partes mentis vi separatas dijudicet: nam vt quaequè maximè terrestris pars est, ita primo quoquè tempore producitur pediculus, alae, turbinatus, tumor ille, qui tandem excrescit in capitis, & nomen, & proportionem.

4002 nec est Peripateticis tutum perfugium si ventriculi operã negabunt esse concoctionem, sed tantùm ad coctionem praeparationem. quo quidem gladio putarunt se posse soluere nonnulli Gordianum illum nodum, quo captiua teneri Philosophi sententia videbatur, cum in ventriculo nemo non videat succum, quàm prius erat in cibo liquidiorem. côciliator

4003 dicamus itaquè id, quod primò recipit digestionem, humidum esse, eoquè veluti medio siccum terrestre molle fieri, & reddi mixtioni idoneum. humidum verò propterea concoctionem recipere, quòd vi caloris misceatur terreo: sequitur itaquè id, quod primò maturatur, & digeritur humidum nempè propter admixtionem terrestris partis, necessariò crassius effici.

4004 quòd si qua mixta post digestionem vti mixtum subtiliora facta esse videantur, hoc vtiquè fit per amotionem partium terrestrium concoctioni non accommodatarū.

COROLLARIVM.

CONCORDIA EORVM QVI DICVNT CONCOCTIONEM FIERI PER INSPISSATIONEM CVM HIS QVI DICVNT FIERI PER RAREFACTIONEM.

4005 ex quibus ni fallimur gluten iam adest earum contrariarum opinionum.

EPYA.

4006 solet etiam & illud perquiri an concoctio, putredo possit appellari aliquo pacto. negant sanè Latini: Graecorum verò nonnulli affirmāt qualēqualē putredinē esse concoctionem, quibus & nos adstipulamur, ad vsus enim & cōmodi nostri rationem (vt etiam dicebat Olympiodorus) concoctionem ipsam appellamus, nam quantum ad id spectat, quod cōquitur putrefactio est; ad nos autem concoctio. cuius rei signum quòd fructus ab arbore excerptos maturescere dicimus, quasi respicientes tantùm ad vsum nostrum, cum illi tamen putrefactione à propria recesserint natura.

Vicomerc: Buccafer. & alij Olympio. 4. meteorū sc. xlv.

4007 sed cum in coctione calidi virtus superet humidum, & ipsum terminet ad crassitiem: in putrefactione verò secus accidat, cum in ea calor ab humido vincatur, cur cōtra Olympiodorum Latinos non tuebimur?

LATINORVM, ET OLYMPIODORI CONCORDIA DE CONCOCTIONE.

4008 ex his aūt quae supradicta sunt de duplici putredine facilis erit Latinorū in hac re cū Olympiodoro cōcordia.

cum &

4009 cum & alibi ipſe Olympiodorus lumbricos in ſuperiori
ventre oriri negarit, ne putredinem in eo quoquè ad-
mitteret.

SPECIES CONCOCTIONIS.

4010 concoctionis autem ſpecies ſunt maturatio, aſſatio, &
elixatio.

MIXTORVM PARTES.

4011 nunc ad ea tranſeamus, quae ob paſsiuas qualitates in
mixtis ſunt, de quibus, vt abſoluta methodo aliquid pro-
ponamus, dicimus mixtorum partes alias eſſe ſimiles,
alias verò diſsimiles.

ΠΑΡΕΡΓΑ GRAMMATICA.

4012 Theodorus atquè eum ſecuti ſimilares, & diſsimilares
diceret. minus benè: nam ſimiles inter ſe ſunt partes car-
nis. ea verò accidentia, quae in ipſa illa ſubſtantia inſunt
dicentur ſimilaria.

4013 quomodo itaquè potuit Gaza attribuere praedicationē
denominatiuī primitiuo eius? pilum militis militare
eſt, quis militem dixerit militarem? ſic caro erit ſimilis
ſimilaris affectus, qui in carne eſt, auris, & naſus diſsimi-
les, non diſsimilares, & verbum de verbo expreſſum eſt:
nam quid aliud eſt, quàm ſimile?

4014 ſed mihi videtur vir optimus, atquè doctiſsimus Theo-
dorus adiungere voluiſſe relationis aptitudinem. at ea
vis in primitiua voce eſt ſimilis.

ΕΡΓΑ.

4015 ſimiles verò partes à diſsimilibus eo diſtinguunt, quòd in p. de ani
videlicet ſimiles inter ſe affectibus differant, vt duritie, mai. oru
mollitie. diſsimiles verò facultate, quòd poſsint aliquid
efficere; itaquè & actionem non ſimilibus: ſed diſsimili-
bus tribuit Ariſtoteles. Rectè itaquè diſsimiles officiales 4. meteorū
dicuntur, & inſtrumenti habent rationem, quod ſimili- cap vlt.
bus non adeo congruit.

4016 ob eamquè cauſſam dixit alibi Ariſtoteles, quòd ſenſus, 2. de par.
& actionis principium eſt partim ſimile eſſe, partim diſ- anim...
ſimile. ſimile quidem qua ſenſus capax eſt, diſsimile verò
qua mouens, & agens.

4017 partes itaquè hae ſimiles illis differentijs diſtinguuntur,

 quae

quae à pasſiuis qualitatibus ortum trahũnt, tenſione nẽpè, tractu, confractione, duritie, mollitie, atquè alijs ſimilibus.

4018 in quibus quae aquea ſunt frigore concreſcunt, quae verò terrea calore.

4019 Oleum autem, quod & frigore, & calore non concreſcit, ſed vtroquè craſſeſcit, inter quae adnumerandum videtur? maxima ſanè difficultas: cui tamen ſic reſpondendum cenſemus, horum omnium cauſſam in aeream, ac ſpiritoſam conſtitutionem referri debere; cui aquearum ac terrearum rerum proprietates non congruunt. aeris enim mixtio cauſſa eſt, vt tàm calore, quàm frigore concreſcat. frigore quidem quòd eius efficiẽtia aer qui ineſt in aquam denſetur, quae ipſi oleo admixta craſsitiem affert. calore verò & tempore ob eam ipſam aquae ex aere generationem: ſed aliunde prodeuntẽ ex caloris videlicet, qui inerat tabe.

4020 verùm non nè haec contradictoria ſunt? ſi enim calore tabeſcente oleum craſſeſcit cum aer in aquam mutatur, craſſeſcere profectò non poterit cum aqua in aerem mutabitur: imo verò tenuius fiet, aut ſi tùm craſſeſcet aeris in aquam mutatione tenue reddetur. ſed fortaſſe (quicquid dicat Olympiodorus) ex aquae diuerſitate hoc accidit; quae enim in oleo ineſt excrementitia, tenuis eſt, ideo cum exalatur oleum craſsius efficitur; quae autem ex aere gignitur craſsior eſt, vt potè multum aeris in ſe admixtum habens, ex cuius admixtione craſsities oritur vt in ſpuma.

4021 ſed cui nam aſſentiendum Gellio nè an Ariſtoteli? ille enim ſenſit ex ſententia Tauri Philoſophi oleum ſaepe, & facile ſtare, atquè concreſcere, vinum autem admodũ rarenter illiuſquè cauſſam percõtatur. potius tamen in hac re Ariſtoteli eſt adſtipulandum ſentienti, oleum neq; à frigido gelari, nequè à calido coagulari; nam quae cõgelantur, & coagulantur humidum aqueum debent habere non pingue, nequè viſcoſum. atqui oleum non habet humidum aqueum: ſed aereum, quod itidem pinguè eſt, & viſcoſum.

lib. xvij. cap. 8.

nequè

4022 neque caussa à Gellio adducta satis firma videtur, oleum scilicet ob leuitatem facilius coagulari: nam aer longè est oleo leuior, & tamen congelationi non est obnoxius. praeterea lutum aqua humectatum facilè gelu stringitur, & tamen est admodum graue.

FOSSILIA.

4023 verùm vt distinctius rem vnamquemquè prosequi possimus deueniamus ad ea, quae è terra fodiuntur. cum itaq; videamus fossilium eorum, quae simplicia sunt quaedam talem à natura compositionem duxisse, vt si humore aliquo aspergantur manibus subigi possint, atquè ex eorum corpore massam quandam effici posse, cuiusmodi sunt ea Georgius omnia, quae terrae simplices aliqua facultate insignitae Agricola appellantur. quaedam verò alia tali modo à natura esse de sub. caus. composita, vt cum sicca sint, & duriuscula si aquis aspergantur, aut non fieri mollia: sed liquescere, aut si fiant mollia plurimum tamen à terris differre, aut in pinguedine, aut penès materiam, ex qua facta fuerunt. quod fossile succus concretus appellatur. alia verò quaedam adeo duriora esse, vt ab aqua vix in magno tempore fieri possint mollia, quae si igni ac superfluo calori apponantur in puluerem potius adducuntur, vel si ab igne quandoquè liquefiant, non amplius tamen pristinae suae naturae, ac formae restitui possunt. quod genus lapis appellatur. alia verò quaedam si liquefiunt: tamen ex se ipsis restituuntur pristinae suae naturae, ac dignitati. quod genus fossilis metallum dicitur, cumq; aliud fossile sub terra non reperiamus, quod non reducatur sub aliquo horum quatuor generum, sequitur propterea quatuor esse tantùm fossilia simplicia, nec plura, nec pauciora.

CONCORDIA ARISTOTELIS CVM AGRICOLA DE NVMERO FOSSILIVM.

4024 sed cur Aristoteles ad duo tantùm genera reduxit omnia in fine 3. corpora, quae intrà terram generantur? ea enim distin- meteorum xit in ὀρυκτικὰ & μεταλλευτὰ. an ab hanc rationem duo tantùm genera fecit Aristoteles, quia quartum genus quod metallum appellatur hanc habet proprietatem,

quod si liquefiet iterum tamen regredi possit ad antiquã suam formam, ac dignitatem. tria vero alia genera in hoc conueniant, quòd si transmutentur non amplius redire possint ad pristinam suam formam.

4025 duplicem hanc rationem diuersitatis respiciens Aristoteles ad duo solùm capita ea reduxit. Agricola verò didinctius primum genus ορυκτικὸν in tria genera secauit secundum quod illud triplici natura variatũ esse cognoscitur.

ARISTOTELIS OPINIO DE FOSSILIBVS, ET CVM PLATONE CONCORDIA.

3. meteorũ t. 42.

4026 credidit Aristoteles omnia fossilia ex duplici exhalatione constare. vnum quidem ex vna. alterum autem ex altera, atquè vnum genus τῶν ὀρυκτῶν hoc est fossilium esse ait, alterũ τῶν μεταλλευτῶν hoc est metallicarum rerum, & illud quidem ex sicca exhalatione ardore sicca constare. hoc verò ex humida.

3. met. ac. xl. in Timaeo cxliij. concordia. 4. meteorũ

4027 nequè ab hoc vt animaduertit Olympiodorus discrepauit Plato, cui placet metallicam naturam esse aquae ex frigore gelationem: vapor enim quodammodò aqua est et propterea ipse etiam Aristoteles alibi metalla ex aqua oriri fassus est, atquè etiam quod ex gelu decrescit aquã vocauit, ad quae & Plato respiciens aquae ex frigore concretionem metalla esse dixit.

PRO ARISTOTELIS OPINIONE DE FOSSILIBVS IN GEORGIVM AGRICOLAM.

4028 Georgius autẽ Agricola ab Aristotelis sententia in metallorum, & lapidum materia leuiter magis, quàm oportebat desciuit: nam vt ab istis incipiamus, quae contra lapidum materiam afferuntur, tàm facile dilui possunt, quàm temerè allata sunt: censet enim Agricola halitum siccum, quem ipse vaporem nominat purum ab halitu humido prorsus secretum materiam lapidũ statui, ideoq; colligit lapides solidos ex eo fieri non posse: sed puluerẽ tantum: cum tamen haec Aristotelis sententia non sit, cum ipse materiam credat halitum siccum humido admixtum

mixtum, ita tamen vt longè plus ficci abſquè proportione (vt ſic dicam) contineat: ſic enim in quarto Meteorum mixta omnia ex humido, & ſicco, vt ex materia inter ſe admixtis, viciſsimq; ſe terminantibus fieri tradit.

4029 verùm oritur maxima difficultas: quoniam reperiuntur lapides aliqui, qui ex ſola aqua ea ratione quòd tranſluceant videntur eſſe conſtituti, in quibus terra non videtur admitti poſſe, cum terra non ſinat tranſparere res ipſas in quibus reperitur. At reſpondendum eſt gemmas quoquè pellucidas non ſolùm ex aqua: ſed etiam ex terra originem trahere, cuius rei ſignum eſt, quòd ſi in aqua ponantur fundum petunt.

4030 quaerat autem aliquis in iſtis nùm plus aquae, vel terrae ſit, & in liquabilibus ſanè, cuiuſmodi eſt Chryſtallus, abſquè dubio plus aquae eſt, ob quod forſan nonnulli Chryſtallum in neutro horũ generum, nempè foſsilium, & metallorum non poſuerunt, quippè quae glacies ſit quaedam, quanquam congelationis vehementia, & firmitate à communi glacie differat.

4031 in nõ liquabilibus verò plus ſubtilis terrei accenſi, à quo non diſcrepat Plato, qui lapides èx terra colata ait fieri. 4. meteorũ cap. 8. cxliiij. concordia.

4032 quod autem aſſerit Agricola ſi lapides ita fierent, & in ſupera regione vbi exhalatio illa eſt effici debere, dicimus id nihil momenti habere contra Ariſtotelem: in ſupera enim aëris regione ex halitu illo lapides non fiunt, tùm motu illius concretionem impediente, tùm verò etiam quòd exhalatio humida ibi deſit, aut certè tanta non ſit, quanta ad mixtionem lapidis requiritur.

4033 nec minori facilitate dilui poteſt id, quod contra metallorum materiam affert, inquit enim veriſimile non eſſe tot halitus ſimul concludi, vt tantum argenti puri (ne de alijs dicatur) fiat, quantum in venis cumulatum vidémus. ſed vt concedamus ait tantam halituum magnitudinem ſimul concludi: non tamen propterea efficitur vt materia ſint metallorum: ſed aqua in quam ita rurſus abeant, vt ex ea ſunt orti. quis enim ignorat longè maiorem exhalationis humidae copiam in latebris, ac ſpecubus terrae, commiſſuriſquè lapidum cogi poſſe quàm

aquae? itaquè copia metallorum, quae intrà terram oritur: non efficit vt magis ex aqua, quàm ex humida exhalatione gignantur, imo verò potius id quod vult Aristoteles concluditur.

4034 nec si calore liquantur metalla, ideo ex aqua actu constant, quando & nix atquè pruina calore soluuntur in aquam, cum tamen pruina ex vapore nix & nube concrescant.

4035 sed & in vaporem metalla soluuntur, ac cum liquantur in materiam quidem fluuidam: non tamen in aquā soluuntur, quam ob caussam metalla partim aquam esse, partim non esse asserit Aristoteles: quoniam actu aqua non sunt, nec ex eo quod actu aqua sit cōstant: sed ex eo quod potestate est aqua, parumquè abest vt in aquam mutetur.

3. meteorũ t. vlt.

4036 quòd autem lapidum non calore solùm (vt Aristoteles ait) sed etiam frigus efficientem statuit caussam de hisce lapidibus, qui calore soluuntur dici potest, quorum exhalatio sicca quidem ignescens est: sed humidae multum admixta, cuius admixtionis beneficio refrigeratione coagulantur, & calore ipso soluuntur.

ALCHYMIA.

4037 post haec ad Alchymiam transeamus, quam etiam & ad Iasonis tempora floruisse asserunt nonnulli, idquè satis probabiliter. velleris enim aurei nomine intelligi librū voluerunt veterum more in pelle conscriptum, quo auri conficiendi scientia contineretur arte quam χημίαν vocant.

Cael. Rhodig. lib. vij. cap. 2. Var. lec.

ALCHYMIAE DIVISIO.

4038 diuiditur autem summè Alchymia in veram, & falsam.

FALSAE ALCHYMIAE DIVISIO, ET POSSIBILITAS.

4039 falsae Alchymiae alterum genus est, quod metallorum vilium substantiam non immutat; sed ipsa vel auri, vel argenti colore tingit, & noua forma induit, vt ea videātur esse quae non sunt, qua forma ignis calore de eis, tāquam aliena veste detracta in suam redeunt speciē, quod posſibile est sanè cum accidentia tantùm immutet. at decipit.

nec

4040 nec minus poſsibile fallens tamẽ eſt alterum genus, quod auri, vel argenti particulam in aliquo carbone incluſam in catinum conijciens fingit ſe additamentis, quae vim eliciendi habeant admixtis, conficere vel aurum ex auripigmento, vel argento ex plumbo candido, ſimilibusq́;.

VERAE ALCHYMIAE NATVRA, ET IMPOSSIBILITAS.

4141 vera Alchymia profitetur ſuis diſcipulis vias tradere ob quas vilia metalla in aurum tranſmutentur, cuius poſsibilitatem ex eo deducunt, quòd (vt nõnulli dicunt Auerrois ſectatores) vbi natura adeſt inchoatiuè, ars poteſt praeſtò eſſe completiuè. Zimara

4042 dicuntq́; metalla conſtare argento viuo, & ſulphure, argento viuo tamquam proportionato menſtruo quodam ſulphure tanquam ſemine virili, vnde quando apud Chymiſtas legimus ſemen foemineum metallorum, intelligimus ſemper de argento viuo, cum verò legimus ſemen maſculinum, intelligimus de ſulphure.

CHYMISTARVM, ET ARISTOTELIS CONCORDIA APPARENS SECVNDVM OPINIONEM ALBERTI, ET DIVI THOMAE.

4043 neque tamen ob hoc ſe ab Ariſtotele diſcrepare aſſerunt. dicunt enim principium metallorum eſſe duplex, alterũ nempè remotum ſicuti vapor, de quo locutus eſt Ariſtoteles, alterum autem propinquum, ſicuti ſulphur, & argentum viuum, de quo Chymiſtae ſermocinantur. quam diſtinctionem mirandum eſt Diuum Thomam ſolidiſsimae virum doctrinae amplexatum eſſe. 3. meteorũ trac. 3. c. vnico.

4044 eorum autem potiſsima ratio eſt, quia nõ datur tranſitus ab extremo ad extremum ſine medio, non ergo ſtatim è vaporibus, & ſpiritibus tenuiſsimis metalla generantur, datur itaquè corpus aliquod medium ex quo metalla fiũt quod quidem corpus medium hydrargiron eſſe, & ſulphur alijs rationibus futilibus probant.

HORVM EXPVGNATIO.

4045 cum autem Chymiſtarum opinio ſit argentum viuũ humidũ aqueum eſſe metallorum, facilis eſt illius cõfutatio quan-

4. meteorũ cap. 8. quandòquidem teste Aristotele hydrargyron non congelatur, quia est aereum valdè. si itaquè metalla constarent hydrargiro non congelarentur.

4046 nequè tamen si sequimur Aristotelis sententiam, concedimus transitum ab extremo ad extremum sine medio. in vapore namquè humido, & sicco sunt partes terreae, quae licet minutissimae sint. tamen durae sunt, sicuti & metalla,

4047 quod autem pro tutela Chymistarum Gebrus dicebat, non esse intelligendum de sulphure, & argento viuo cõmuni: sed de Philosophico, omnium vanitatum vanissimum est, sicuti dubitantibus demonstrabimus.

4048 quòd verò nonnulli dixerunt eos, & in caussa efficiente procul à vero recedere, quandòquidem calori efficientiam atribuunt: cum tamen iuxtà metalla ex frigore oriantur, tutum non est: simul enim cum Alberto potius crediderim in metallis frigus sub forma operari, ad introductionem autem formae calorem tantùm, cum & metalla liquefacta adhuc metalla sint.

PLANTAE.

4049 post metalla plantae sunt, in quibus methodus postulat, vt modò nos exerceamus.

PLANTARVM PARTES.

4050 quaerenti autem quae partes plantis necessariae sint, vti plantae sunt, haud quaquam sese offerent folia, occidunt enim superstite parente.

4051 non rami quippè sine matris excidio exciduntur.

4052 non cortex scilicet suo strangulatur suber, & eo adempto laetior adolescit.

4053 non cacumen, robora crassescunt decacuminata.

4054 non medulla ea namquè de sarmentis excerpta, Graeci profitentur acinos sine gigartis produci.

4055 non radix quoniam semperuiuum radice nulla viuit, & semen fert, & sibi ipsum radix est.

4056 sola itaquè caro videtur eiusmodi: non enim in arũdine solus cortex: nam quibus deesse videtur caro, in ijs illa est confusa.

Empe-

EMPEDOCLIS CVM THEOPHRASTO CONCORDIA DE VTROQVE SEXV PLANTARVM.

4057 verùm adeſt nè in vna eademq; planta pars, quae maſculus ſit, & pars quae foemina ſit? & ſanè vtrunque ſexum in plantis agnoſcit Empedocles, quod Theophraſti ſectatores rident. è re itaquè cenſeo Empedoclis animum ita interpretari. puto enim eum ſic ſenſiſſe, generationem eſſe actionem in ſubſtantia, à ſubſtantia ad ſubſtantiam, quamobrem habere & efficientem, & effectionem, & effectum, & ex quo fit, & in quo fit.

4058 quae omnia cum ſeparatim nequeant in plantis poni, propterea quod eae locum mutare nunquam viſae ſint, opinatus eſt in ipſis ille horum principia confuſa, nō admodum vt ego quidem reor ineptè. quemadmodum in lapide ſi quis intelligat agens, & patiens, cum mouetur (idcirco namquè deſcendit) eundem ad modum, plantis ineſſe ſimul actionis primordia, & paſsionis ea proportione, vt in ſe & concipiant, & foetent. nō enim aſsignare poſſumus cauſſam fructificationis, aut propagationis, quae è ſemine, & per ſemine fit, niſi ſic intelligamus.

CONCORDIA ISAAC CVM THEOPHRASTO DE SENSV PLANTARVM.

4059 ſed adſunt nè in aliqua plantarum parte ſenſoria? ſcribit enim Philoſophus Iſaac plantas duobus eſſe praeditas ſenſibus, guſtu nempè, & tactu, quod mordicus negaret Theophraſtus, & cum eo omnes Peripatetici. at facilis conciliatio ſi dicamus alios eſſe ſenſus, qui dicantur animales, alios qui naturales.

4060 ſenſus naturales voco virtutes congruas ad alimentum ſuſcipiendum, animales autem, qui cum alimento etiam ſenſibilium intentiones percipiunt, iuxtà animae quodcunquè iudicium.

COROLLARIVM.

4061 ex qua re etiam Platonis, & Ariſtotelis in eadem re concilium apparet. cxlv. concordia.

Cauſſae

de cauff. plan. c. v.

4062 audet aliquandò fuſpicari Theophraſtus è ſemine omnes plantas prouenire, fluuij enim inquit, & aquarum colluuiones, atquè eruptiones multis è locis inuehũt ſemina, tùm arborum, tùm minorum ſtirpium, proindè ſi ſemen non eſt fruſtra, ſementiferae ipſae quae aquarum inuectionibus exoriuntur videntur furtiuo ſeminio ſuas origines debere.

4063 putatquè omnes arbores ſuum ſemen habere, quod quoniam abſurdum videtur è ſententia eorum, qui in ſyluis verſantur, adumbrat hanc opinionem rei tenuitate, atq; obſcuritate. latere enim ſemina eorum quae nullum ferre exiſtimantur.

4064 quòd ſi quae ſint ſteriles non à ſpecie id habere vt fructũ ne ferant, ſed ab euentu. quae opinio defendi poteſt.

4065 verùm cum haec tractatio apud Theophraſtum & confuſa ac fluctans ſit, vt diuinandum ſaepè ſit vtram in partẽ vergant eius ſententiae poſt multas implicatorum argumentorum tractationes, cur & ſpontaneam plantarum generationem ſimul cum ipſo non admittemus?

in oecon. cap. 2. de cauſ plan.

4066 in βλάστησι verò dubium eſt inter Xenophontẽ, & Theophraſtum nùm facilius plantae obliquo, vel recto ramo ſerantur, in quo quaeſito nos Xenophonti fauemus: ex agricolarum enim praeceptis minus mirum videtur ſi obliquus ramus facilius radices emittat: nam quanto plures oculi ſub terra fuerint, tanto plura erunt loca radicularum (vt ita dicam) emiſſaria.

2. Georg.

4067 quapropter ſecundum Theophraſtum praeter σπέρμα & αὐτόματον eſt etiam βλάστησις quod & Virgilius quoquè in ſuis carminibus cecinit.

EMPEDOCLIS OPINIO DE PLANTIS OVIPERIS, ET CVM THEOPHRASTO CONCORDIA.

lib. 1. de cauſ. plan. cap. 7.

4068 ſemen verò plantarum cũ ouo compararet Empedocles, propterea plantas ouiperas nuncupauit, nec ab eo diſcrepauit Theophraſtus, qui in ſemine plantarum, & generationis, & nutritionis principium poſuit.

Caſtigatio

4069 hic dicendum est non esse integram similitudinem. nam pullus intra putamen arcetur, ideo in tractu temporis eget non solum alimento: sed etiam augumento, id in plantae semine nō videtur esse: formatio enim ibi requiritur sola, augumentum nullum. igitur explicari tantum ac radicem illicò demittere videmus abiectis alijs partibus ad conseruationem tributis.
4070 huic simile est, quod censuit Hippocrates iecur primo quoquè momento statui scilicet ob alimētum. hoc haud ita est. non enim alitur quod nondum est. itaquè prius necesse est creari opificem, cor scilicet, quàm nutricem, iecur nempè.
4071 dum etiam dubitat Theophrastus qui sit, vt ex validiore semina sint imbecilliora, ex debilioribus fortiora, dubitationemquè diluit, non caret reprehensione. nam dum arborum semina annuis satis debiliora asserit, quod mutentur & in dies fiant deteriora: cum tamen illa nō mutentur, & sibi similes fructus furant non est absquè nostra dubitatione. tametsi enim vitis è grano proueniens infelicior sit, quàm quae malleolo: non tamen omnibus euenit arboribus, principio non vlli Syluestrium, accipe Glandem, Pinum, Piceam, Laricem, Ilicem, & alias. 4. de caus. plant. c. 1.
4072 nec minus valent è mitibus multae, nam Persicus, & Prunus ex ossibus optimae, nequè Iuglandes alia veniunt nobis ratione: quae omnes arbores partim magnitudine partim fructu sunt insignes.
4073 postremò dùm colligit non à robore: sed à debilitate citari celeriorem generationem, adiungitquè similem in animalibus naturam, eget accurariore disceptatione. cū enim tria sint tempora, in coitu, in vtero gerendo, in educatione neutiquàm respondent inter se tractus hi.
4074 à coitu incipiamus. insecta quae habentur pro imperfectissimis diutissimè in coitu immorantur, vt Pulex, Cicindela, quanquam Muscae celerius expediuntur. Pisces quoquè nonnisi affricatu: non enim habent quod immittunt. ideo ne fricant quidem aliqui, sed expulsa oua semine aspergunt. Canis qui est satis perfectum animal multum

multum trahit morae: homo non multum. tempus autē praegnantium non respondet. insecta pariunt haud multo post. Cincindela postridie. Canis altero mense. mulier nono.

4075 sic & hominis conformatio Theophrasti dictis refragatur. Foemella enim ad octagesimum diem. mas ad sexagesimum: cum tamen mas operatior, & robustior sit.

4076 sic & diutius gerit ouis quàm Canis. robustior tamen hic.

4077 genita quoquè neutiquam respondent Theophrasti sententiae. mulier enim cito adolescit. mas serius.

CAVSSAE PLANTARVM ARTE INSTITVTAE.

4078 caussae plantarum arte institutae apud Latinos sunt insitio, inoculatio, & emplastratio, exactius verò Graeci vltrà insitionem, & inoculationem ἐμφυλλίσμοι, & ἐγκεντρίσμοι addiderunt, vt altera tenui cortici; altera verò crasso deseruiret. (Dydimus)

CONCORDIA VIRGILII CVM THEOPHRASTO, DYDIMO, ET ALIIS DE INSITIONE.

4079 verùm quo pacto dixit Virgilius in Castanea fagū inseri (2.Georg.)

„ Et steriles Platani malos gessere valentes
„ Castaneae fagos.

si in fertili iuxtà omnes agricultores nulla foecunda inseritur? an nec Virgilius ab alijs discrepat, si cum Seruio dicamus in versibus Virgilij Hyppallagem esse?

4080 possumus etiam & melius asserere mutandam esse distinctionem, vt sit sensus infoecundae arbores Platani fortes ramos Castaneae portauerunt. fagos autem, & ornus incanuit albo flore Pyri.

CAVSSAE ADIACENTES.

4081 sunt autem caussae adiacentes locus, & tempus.

PLANTARVM LOCVS.

4082 macrum aruum arboribus tribuit Theophrastus, propterea quod earum radix multum nacta multum trahit, ideoquè à meliori terra deterior fit arboris conditio, cū in hac succus quia modum excedit vitietur. at exuctior (lib.2. c. de caus.plant.)

terra

terra minus alit, probior ergo concoctio.

COROLLARIA.

4083 proindè multae arbores pertusionibus, & adactis clauis castigantur. apertis enim fluit, quod nimis est.

4084 et ex amaris dulces fiunt fructus iuxtà Theophrastum exciso ramo, cuius tamen caussam ipse Theophrastus nō intellexit, quandòquidem existimauit impuritatem afferre succo amaritudinis vim, ideoquè dixit purificari fluxione. cap. 19. p. lib. de caus. plant.

4085 non enim qualitas est admista succo, quae detrahatur: sed vt in venae humanae sectione, quod relinquitur sanguis regitur à natura, sic & relictus succus ab excisione concoquitur melius à plantis. amaror itaquè in Amygdalo est ex incoctione, quod satis manifestum est ex fructibus, qui antequam maturescant amari sunt, vt glandes & cucumeres.

EPPA.

4086 segetes verò in pingui iuuantur, tùm quòd frugum omnium stipula rarior, absquè medulla, tùm quòd radices minus profundae. castigatur itaquè succus in superficie de qua sugunt. quapropter rectè Virgilius.

„ Altera frumentis quoniam fauet, altera Baccho,
„ Densa magis Cereri rarissima quaequè Lyaeo.

VARRONIS CVM THEOPHRASTO, ET VIRGILIO CONCORDIA DE LOCO SATIONIS.

4087 sed non nè à supradictis apertè discrepat Varro, qui in tenuiore terra ea serenda esse asserit, quae non multo indigent succo, in pingui vero ea quae succi sunt maioris? cuius sententiam & nos in superiori libro tuebamur. an quia comparat indiuidua, non etiam species, propterea nulla discrepantia.

CONTRADICTIO VIRGILII CONCILIATA DE LOCO VITIVM.

4088 quo pacto verò cum Virgilius dixerit aliquando Bacchū apertos amare colles, quasi sui immemor dixit alibi.

„ Quiquè frequens herbis, & fertilis vbere campus: 2. Georg.
„ Qualem saepe caua montis conualle solemus
„ Despicere

„ Despicere: huc summis liquuntur rupibus amnes,
„ Felicemquè trahunt limum: quiquè editus Austro:
„ Et filicem curuis inuisam pascit aratris:
„ Hic tibi praeualidas olim, multoquè fluentes
„ Sufficiet Baccho vites.

lib. 3. de cauſ. plan. cap. 17.

an ea omnia ex Theophrasto mutuauit, qui quidem cum vitium multas tradiderit species, proindè, & speciebus ipsis nnn eundem terrae modum? nam colles densis, con valles verò laxis tribuuntur. laxae namquè maiorẽ alimenti consumunt copiam. densis verò meatus angusti, proindè per angustias parum nutrimenti subire quit.

4089 carpit autem hanc rationem Scaliger, siquidem cum in densis plus solidi sit, propterea plus ali deberent. verùm non animaduertit in laxis ab aestu maiorem fieri resolutionem.

4090 quòd autem ipse subdit in collibus vites densas ob earũ robur ea propterea exoptandas esse, quòd quantum est in solo macro tantum sibi comparare possunt; cum ab auaro solo extorqueant, non reprehendimus.

SATIONIS TEMPVS.

3 de cauſ. plant. c. 6.

4091 vernam laudat Theophrastus arborum sationem: sed quã bene haud satis video. quin & cum ipse haud illico Scrobes compleri suadeat, ne emittentur fibrae in superiora loca, atquè ita ab imo destituantur, videtur sibimet aduersari. tanto enim magis in verno tempore euocatur ab radice succus, nequè solum ad summa Scrobis labra: sed in totum vsquè corpus arboris.

PLANTARVM AFFECTIONES, ET ORDINIS THEOPHRASTI CASTIGATIO.

Scaliger in 6. de cauſ. plant.

4092 affectiones plantarum iã aggrediamur, quas male Theophrastus post morbos pertractauit: nam si morbus est cõstitutionis deprauatio, quis neget prius agnoscendas ipsas qualitates quàm earum vitiationes?

CONCORDIA ANAXAGORAE CVM ARISTOTELE DE SOMNO, ET VIGILIA PLANTARVM.

4093 et in primis discutiamus nùm plantae somnũ habeãt, vt

visus est aliquando credidisse Anaxagoras, & sane si Anaxagoras non animalis somnum: sed somnum in communi genere sic diffiniet quies ab exterioribus animi functionibus, non video quo pacto à veritate recedat.

4094 bellus verò Philosophus Erasmus animalis etiam somnũ in plantis admisit cum in manipulis suis sensum quoque adiudicarit plantis mirifico sanè argumento, è lignatoribus enim affirmat se accepisse, quod ipsi obseruarunt. primum quemque ictum arbores quasi incautas mollius excipere, atquè inde recuperari facilius securim. postea verò saucias cogere sese, atquè constringere, neque facilè vulnus admittere, nequè leniter emittere adactum ferrũ. verùm hoc non ex sensu: sed ex eo est, quòd deinde subest lignum firmius, ad quod vbi deuentum est, aequè facilè recipere nequeunt dolabram.

AMOR ET ODIVM
PLANTARVM.

4095 amorem & odium plantarum quas affectiones nonnulli ad Magiam retulere ego ad nutrimentum ad opacitatem & ad fulturam refero.

4096 Ficus enim, & olea viti molestae sunt, tùm quia sunt voraces, ac succi bibulae, tùm quia multũm occupent vmbra sua. vitis enim humilis, illac imminent, atquè latè operiunt.

4097 Amygdalum autem multi in vineis ponunt cum innocẽtissima sit arbos, modico enim leuiquè eget nutrimento. non est serotina, non multum opacat. haec enim complectuntur omnes conditiones. nam non aufert vicinae succum, non concurrunt tempora fructificationis, non defraudat coctionem, quae fit solis vi. cap. 16. de caus. plan. lib. 3.

4098 sed est controuersia, quae hodie quoquè agitat Agricolarum opiniones. vtrum magis officiat vmbra nè, an radix? hoc discutere possumus Pinus exemplo. eam enim innoxiam asserit Theophrastus cum cedat de iure suo quo ad suctum pertinet. est enim radice singulari propterea non multum circa se se fuggit. patitur itaquè Myrtos propè satas bene habere. item eadem radix quòd sit profunda, ex profundo sibi hauriens nõ defraudat succo

ſuperficiarias adſitarũ arborũ radices. ita quaſi in coenaculis haec agitant: illae de ima cella depromunt ſibi.

4099 et Pino tamen vmbra tanta eſt, vt nocere queat, cum itaquè non noceat, magis ab radice, quàm ab vmbra eſt nocumentum.

4100 Anadẽdras verò emortua Ficu ſimul interijt, quòd Anadendras ſiuè labruſca ſit, ſiuè quod aliud vitis genus, cuius omninò natura ſcandere fuit, ſubtracta fultura, cuius praeſidio viuebat, interijſſe mirum non eſt.

LONGITVDO ET BREVITAS VITAE PLANTARVM IVXTA DEMOCRITVM.

4101 radicem Democritus vitae ſtatuit authorem, tortaſquè arbores diutius viuere dixit, propterea quod vegetiore nitantur radice. ſuccum enim ab ea intercipi, idcirco non corrumpi eas ſuperfluo, atquè aduentitio, quemadmodum contingit paluſtribus. ſimilem deprehendemus apud Philoſophum rationem. claudos nempè eſſe libidinoſos, retenta ſcilicet vberiore materia supernè. at proceros, rectoſquè arbores minus diu viuere.

HORVM EXPVGNATIO.

4102 nos verò in promptu multa meminimus quorum praeſidio ſecus ſentiamus. Quercus rectiſsimas, grandiſsimas vetuſtiſsimas. Salices flexuoſas aeui breuiſsimi. Cupreſſus longaeua eſt, & Pinus, vtraquè rectitudinis, atq; proceritatis ſpecie viſenda.

4103 haec plantarum natura ſi cum animalium genere comparetur, longè diuerſa videatur. voratia namquè animalia parum viuunt. igitur plantae longaeuitas nó adſcribetur ex multa radicis attractione.

4104 radix enim non eſt vitae cauſſa efficiens, non forma, non finis, non materia: ſed materiam excipiens prima pars. quin materiam exceptam ipſam non potius tranſmittit agendo, quàm amittit patiendo, caeteris ad ſe trahentibus partibus. nimirum attractione ſubit ſuccus, non appulſione, propterea Ieſemini taleae flores ferunt, cum ne veſtigium quidem radicis habeant.

Corollarium

COROLLARIVM.

4105 nec male tamen Scaliger non iniucunda contemplatione dixit, radicem quia prima nascitur, ac postrema interit, habere cordis proportionem, quia cibum prima sumit oris officium facere, quia est in ea prima concoctio ventriculi vicem gerere. in cap. 15. lib. 1. caus. plantarum

ΕΡΓΑ.

ANIMALIA.

4106 proximus ijs est animalium gradus, de quibus vt simul cum Aristotele methodice nonnulla proponamus auspicabimur ab eorum partibus.

ANIMALIVM CARO.

4107 à carne verò incipiamus tanquam magis nobis nota, & parte omnibus animalibus communi: omne enim animal (vt rectè dicebat Auerroys) sicuti necessario habet membrum officiale commune, pro communibus actionibus quod est ipsum cor, sic & habet membrum simplex commune, pro communi passione, quod est ipsa caro. in par. de part anim. cap. 1. li. 2.

OPINIONVM ALEXANDRI, AMMONII, ET GALENI CONCORDIA DE ORGANO TACTVS.

4108 existimauit autem Auerroes simul cum Alexandro solam carnem esse tactus organum: Ammonius autem (referēte Olympiodoro) spiritum. Galenus neruum, nec tamē eos existimo adinuicem discrepare. 2. de anim. com. 116. & alibi 4. meteorū ac 47.

4109 si enim in vniuersa animalium latitudine tactus sumatur sola caro videtur necessaria. quid enim aliud tactui spōgiarum, ostrearumquè praesto est, praeterquam caro.

4110 in animalibus autem organicis caro tactus pars erit materialis: spiritus verò, cuius vehiculum in tactu neruus erit, formalis. cōciliator diff. 42.

COROLLARIVM.

4111 ex quibus patet in hac re concilium contradictionùm Aristotelis, qui interdum carnem, interdum quid intimius, dixit tactus organum esse. licet pro orgāno intrinseco Zimara aliquando non spiritum cum Ammonio. sed cor, perperàm intellexerit, quod & Simplicius fecit. Auer. 2. de an. cō. 108.

SANGVIS.

VIRGILII, ET ARISTOTELIS CONCORDIA DE SANGVINE INGENIOSI ANIMALIS.

4112 apparet in sanguine prudentis Virgilius ab Aristotele valde discrepans, sic enim ille.

2.Georg. „ Sin has naturae ne possim accedere partes
„ Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis.

lib. 2. de part.anim. cap. 2. cum tamen iste sanguinem frigidiorem,& tenuiorem in ingeniosioribus animalibus adiudicarit : an frigidus sanguis per accidens ingeniosa efficit animalia? euenit enim id ob tenuitatem.

de resp. 4113 in eadem verò tenuitate calidior confert magis prudentiae, quod & Aristoteles dixit alibi.

COROLLARIA.

4114 rectè itaquè adnotauit Eusthatius pectus hirsutū, Achilli tribuisse Homerum, vt illius prudentiam subindicaret nobis. — p. illiad.

4115 quo tendunt etiam ea Platonis (eodem referente Eusthatio) ἔχοντας ἀνδραποδώδεις ἐπὶ τῆς ψυχῆς τρίχας alicuius enim indicabat ignauiam paucitate pilorum, & sic ex defectu caloris.

ΕΡΓΑ.

MEDVLLA, ET IN EIVS EXPLICATIONE PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA.

4116 in medullae natura explicanda valde differentes à plerisquè censentur Plato, & Aristoteles. quod enim apud Aristotelem, & Galenum de sanguine diceretur, id apud Platonem de medulla dictum putant. & sanè non iniuria vt enim illi in sanguine quatuor primarum qualitatum, tanquam principiorum temperationem considerant, ex huiusquè varietate partes caeteras varie conformatas docent, sic hoc loco animaduertemus in medulla spectari varietatem triangulorum, quibus vt primis omnium corporum principijs vsus est Plato, ex eaquè partium reliquarum originem explicari, siuè per intermedias alias mutationes, siuè nullis alijs omninò intercedentibus. at

cxlvi.concordia.

si medulla

si medulla pro semine capiatur, cur idem non sentient?
4117 sed cum Aristoteles à medulla vim geniturae seminalis seiunxerit, nonnè saltem in hoc à Platone recedet? & sanè quanquam Aristoteles id quodammodo reprehendere videatur in libris de partibus animalium, in problematis tamen diuersam sententiam secutus est, cum caussam reddit cur spadones calui nō efficiātur, an eo inquit. 2. de par. anim. c. 6. sec. 10. prob. 56.
„ quòd multum cerebri obtinent? quod sanè illis cō- cxlvij. concordia.
„ tigit, quia rem veneream non agunt. semén enim
„ labi per spinam è cerebro videtur. qua de caussa bo
„ ues quoquè castrati cornua gerere maiora videntur
„ nec non & mulieres, & pueri cur calui non effician-
„ tur, eadem ratio esse creditur.

4118 contradictio verò Aristotelis ex eo tollitur, quòd triplex est medulla, vt etiam Galenus adnotauit, prima quidem cerebri, secunda spinae, tertia osium, à qua vltima Aristoteles vim geniturae seminalis abiunxit. lib. 7. de plac. Hip. & Plat.

LOCVS ARIOSTI OBITER DECLARATVS.

4119 cum autē dicat Aristoteles esse ex animalibus, quae nullam commentatione dignam medullam habeant, videlicet ea, quibus ossa robusta, & solida sunt; vt Leoni, cur dixit Ariostus: lib. 2. de par anim. cap. 6.
„ Di medolle già d'Orsi, e di Leoni
„ Ti porsi io dunque li primi alimenti.
an summi ingenij poeta veteres imitatus ita dixit? illi enim (vti Atheneus refert) nomen cerebri veluti parum decori conueniens cum prae caeteris euitarent, illius loco medullam semper dixere, quamuis nōn semper illud nomen reiecerit Ariostus. lib. 2. Dip. cap. 27.

CEREBRVM.

4120 quòd autē Aristoteles cerebrum nolit nomine medullae nuncupari est magis discordia penes verba, quàm penes rem. cxlviij. cōcordia.

4121 est autem compertum illam partem calidam igneam homini insitam, quae spiritus nuncupatur, animae quatenus anima primum organum esse: cuius spiritus essentia oritur in corde per se, & in alijs membris reperitur ab Auerro. in paraph. c. 7. 2. d part. animal.

ipso corde inditus per venas pulsatiles, verùm quia natura cerebri est opposita huic naturae ob excessiuam aquositatem eius, & exuperantiam frigiditatis: proindè eius officium in sensu, & motu erit ex secunda intentione, contemperando videlicet naturalem calorem cordis sua frigiditate naturali.

4122 et sic sensum atquè motum nobiliorem, & incolumiorẽ reddit, cum frigidi sit contemperare operationem caloris, eamquè exquisitissimam reddere. calidi verò est efficere sensus turbulentiores, atquè imbecilliores: nam operatio sensuum temperie, & sinceritate perficitur, vt ex ipsis quinquè sensibus perspicuum est (quicquid Galenus dicat) quo cerebrũ,& cor sunt caussa sensus,& motus.

CONCORDIA ARISTOTELIS CVM MEDICIS DE CEREBRO.

4123 sed dubitatur vtrum prae caeteris membris ad sensum, & motum conferentibus cerebrum principatum aliquem obtineat in huiusmodi officio temperandi. principatũ autem hunc appellat Auerroys virtutem quandam mittentem calorem temperatum membris sensitiuis, & motiuis; & sanè si deuinctis neruis motus illicò aufertur membris, & solutis vinculis idem motus restituitur, cogimur fateri cerebrum habere particularem principatũ in virtute motiua.

4124 quod idem concederet Auerroys de tribus sensibus: sed non de tactu, & gustu,

4125 nos verò etiam, & de tactu, & de gustu concedimus.

4126 dicamus itaquè virtutis motiuae, & sensitiuae initium esse cerebrum, caussam verò cor.

COR, ET IN EIVS PRINCIPATV HIPPOCRATIS, PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA.

4127 Auerroys subtilissimè contra Galenum disputauit non dari tertiam actionem virtutis illius vitalis, quã passim in corde reposuit Galenus. motus enim cordis pulsatiuus, cum sit motus, non est tertium genus. nec enim momentum habet si dicamus, motum tributum animalibus esse voluntarium. pulsatiuum verò non voluntarium. nam

in par. c. 4. l. 3. de par. animal.

nam & non voluntarij sunt attractio, expulsio, atquè retentio, quos tamen refert Galenus ad virtutem nutritiuam.

4128 quòd si pulsatiua sit tertium genus virtutis, quae nominatur vitalis, & nulla alia reperiretur in corde, vel membra à corde nullo pacto iuuarentur, vel acquirerēt à corde virtutem pulsatiuam.

4129 vt haec itaquè euitemus operaepraetium erit dicere simul cum ipsomet Auerroe, cordi virtutem inesse vniuersalem, quae tanquam forma sit earum materierum, quae ab alio membro fluunt.

4130 fluat itaquè ab Epate materia sanguinis. at non prius nutritioni aptus sit, quàm à spiritibus cordis formam susceperit. Auerr. 2. collig. c. 8.

4131 à qua quidem opinione, nec Plato, nec Hippocrates recedunt: quod & inferius probabitur clarius. cil. concordia.

PVLMO, ET IN EIVS VSV NONNVLLA CONTRA PLATONEM.

4132 in pulmonis vsu ardua inter Platonem, & Aristotelem offert se se nobis discordia. visus est enim aliquando Plato credidisse potum per pulmonem transire: quaē sanè sentētia si verbotenus intelligatur magnos cōtinet errores. in Timaeo

4133 nam cum necesse sit (vt ab hoc incipiamus) humidum nutrimentum cum sicco permisceri, probabile est ambobus commune vas subijci stomachum, qui cibum mollem & madefactum in cibum didat inferiorem.

4134 deinde cum pulmo vndiquè leuis sit, & densus, quomodò id quod per ipsum hauritur exibit, & in eo non retinebitur? quod rectè obijciebat Erasistratus.

4135 postremò superuacanea esset epiglottis: opificium tamē naturae. proindè rectè Aristoteles in hanc inuehitur opinionem. de par. ani.

PLATONIS MALA DEFENSIO EX PLVTARCHO, ET MACROBIO.

4136 sed pro Platone, & Plutarchus, & Macrobius extiterunt, qui quidem audacter Platonis dicta etiam verbotenus intellecta ausi sunt defendere, & primò sensui nituntur, arteria namquè vulnerata non deglutitur humor: sed Plut. Sym. 7. q. 1.

veluti canali rupto foras erumpit, & tanquàm per fistulã prosilit, quantumuis integro, illaesoque stomacho. at non viderunt laesa arteria laedi etiã oesophagum, & interdum epiglotidem non satis suo fungi munere.

4137 quòd autem addunt affectiones circa pulmones ardentissimam sitim excitare, negotiũ nobis minimè facessit. id enim vel ex consensu cum ventriculo erit, vel ex adauctione caloris naturalis in corde, cũ pulmo malè affectus iuxtà morem cor refrigerare nequeat.

4138 demùm quòd animalia, vel nullum, vel paruum habentia pulmonem potu non indigeant, neque eum expetant, haud est (vt illi arbitrantur) quòd partibus illis careant, ob quas humor transmittitur. sed quòd tanquàm siccissima à cibo sat humoris habent, qui praeterea in alia resoluitur excrementa.

PLATONIS DE POTV PER PVLMONEM TRANSMISSO VERA SENTENTIA EX GALENO, ET CVM ARISTOTELE CONCORDIA.

8. de plac. Hip. & Plat. cl. concordia.

4139 melius erit itaque cum Galeno dicere nonnihil potus in pulmonem confluere, & per fauces, & per asperam arteriam non confarctim per mediam spatij laxitatem delatum. sed circa tunicam roris modo defluentem.

4140 nec enim Plato dixit per arteriam totum potum ad pulmonem transmitti: cum in eodem Timaeo potum sicuti cibos in ventrem deferri pronunciauerit, idq; non semel: sed admodum frequenter, vt licet perspicere ex verbis ipsius.

MODVS RESPIRANDI IVXTA PLATONIS OPINIONEM.

4141 vult Plato respirationem in animalibus non solùm per os, & nares fieri: sed ab vniuerso etiam corpore ob raritatem (vt inquit) carnium meatus, & poros vndique in se habentium. cum enim pro confesso accipiat. quod elegantiores ferè omnes voluere Philosophi nullam vacui esse naturam, dicit praeterea quòd quando ex ore, & naribus per expirationem aer exierit calidus, proximum

propellit

propellit aerem: non enim vacuum quippiã est, in quod ingrediatur. ille autem extrinsecus impulsus aer, alium sibi contiguum eodem impellit modo, qui rursus illi loco cedens, coniunctumquè propellens, & impetens animalis corpus, illiusquè ingressus carnes latentibus per vias meatibus, locum nimirum petit illum, ex quo expiratus ex ore, & naribus abscesserat.

4142 ibi autem valenter excalefactus Euripi retrocedens more, & cognatum petens aerem in corporis meatibus existentem illum sanè impellit, qui alium sibi contiguum impetit, eumquè extrà corpus per latentes extrudit meatus. porrò is de corpore exiens calidus aer extrinsecum impellens aerem, illum loco mouet, qui alium impellẽs eum sanè in patẽtes oris nariumquè meatus ingredi cogit, & ad locum deuenire illum, vnde expiratus per corporis meatus aer prius abscesserat.

OBIECTIONES GALENI IN SVPRADICTAM OPINIONEM PLATONIS DE MODO RESPIRATIONIS.

4143 obijcit autem rectè Galenus in hanc opinionem verbotenus intellectam, quòd (haec est enim illius potissima ratio) in vnius respirationis tempore septies, aut octies, aut etiam decies cor cum arterijs apparet eleuari, submittiquè.

PLATONIS DEFENSIO, ET CVM ARISTOTELE CONCORDIA.

4144 verùm animaduertendum esse censeo, quòd Platonici assertores dogmatis non habent concedere, quòd omne quod inspiratur penitus expiretur: sed id omne quod excalescit. calescit autem non vniuersum simul: sed per partes, quae conuenientem petentes locum, illicò contiguas sibi impellunt partes, quae statim exeunt simul cũ impellente, & loco pellunt extrinsecum aerem. & hic profectò est Platonis, Academicorumquè de respirandi ratione clarissimus modus.

4145 cui nec Aristoteles repugnabit. Ari.concordia.

RESPIRATIO PISCIVM.

4146 perscrutatione quoquè dignũ videtur an Pisces respirẽt, & sanè

l b.4.c.13. de par.ani. cap.9. l.4. de historia

& sanè aerem non attrahere multis in locis dixit Aristoteles, proindè illis branchias pro pulmonibus datas esse, per quas aquae tantùm haustu, non etiam aeris attractione, refrigerentur.

cap. 4. lib. de resp.

4147 Galenus autem per tenuissimos branchiarum meatus aerem cum vapore penetrare vult, aquam verò crassiorem repelli. at ni fallimur Aristotelis opinio potior, si aer enim sub aqua est, cur non euadit ad locū suū superiorē?

DEMOCRITI, ET PYTHAGORAEORVM QVI PISCES AEREM ATTRAHERE DIXERVNT CVM ARISTOTELE CONCORDIA.

4148 pro veterum autem quos coarguit Aristoteles caussa animaduertendum esse censeo Pythagoraeorum antiquam fuisse sententiam spiritalem halitum quem attrahendo animalia viuunt, non tantum in aere esse: sed in aquis, terraquè etiam ipsa spissiore naturae elemento. hunc igitur quo omnia viuunt spiritum, & hunc vitalem halitum aeris nonnunquam vocabulo antiquos illos Physiologos signasse, omniaquè illum spirare dixisse non ab rȩ contenderim.

RESPIRATIO AN VOLVNTARIA.

l.1.de motu musc.

4149 contendunt etiam Galenus, & Auerroes nùm respiratio voluntaria sit, voluntariam enim illam arbitratur Galenus, si quidem iuxtà ipsum motus, qui ex arteria, & vena procedunt naturales sunt, & voluntatis expertes. qui autem à musculis animales, & voluntarij.

cap.19. su. p collec.

4150 contra hanc opinionem multa commemorat Auerroes, concluditquè melius eos sentire, qui illam naturalem potius, quàm animalem dicunt. quaecunquè enim animalis facultatis pars ad actionē suam ab aliquo obiecto prius excitatur. quod quidem sub specie boni apprehensum mouet, vel voluntatem, vel appetitum, deinde haec per calorem, & spiritum mouet illa instrumenta, quae ad opus id perficiendum sunt destinata.

GALENI, ET AVERROIS CONCORDIA DE MOTV RESPIRATIONIS.

4151 dicimus nos vtrumquè rectè sentire. nō est enim voluntaria

taria, quòad functiones: sed quòad impetum.

ANIMALIVM INCESSVS.

4152 animalium incessum per quosdam fieri innisus, & applicationes Aristoteles testatum reliquit. cuius rei signum dixit esse euidens id, quod in petachlis conspicere licet, qui plus certè saliebant cum instrumenta illa, & pondera tenebant manibus, quae a saltu Halteres appellabatur. cursores quinetiam inquit manus concutientes, & motantes brachia pernicius currere animaduertuntur. tex. 4. de ani. incess.

4153 verùm quo pacto in illa brachiorum motione innisus, & applicatio fiat fortior, satis nō explicauit Buccaferreus qui quidem existimauit ad innisum satis esse diuersam motionem. In lec. 3. de animal.

4154 dicamus itaquè nos in extensione illa innisum fieri, & applicationem cum bracchij ad cubitum, & ad lacertum tum illorum sanè ad carpi iuncturam, & manum. vniuersim autem immobilitatem, cui motus nititur in aliqua fieri iunctura.

PLATONIS ET ARISTOTELIS CONCORDIA DE DEXTRO, ET SINISTRO ANIMALIVM.

4155 cum autē dixerit Aristoteles natura in animalibus dextrum a sinistro secerni, nonnè palàm à Platone discrepat, qui secus sensit? at cum dextrum sumi possit, vti dextrū & vti ratione hepatis calidius, poterit sanè sub ratione calidioris natura secerni, quod dicere voluit Aristoteles, nō autē sub ratione dextri, sicuti arbitrabatur Plato. tex. 7. de incess. ani. 7. de ll.

QVATVOR NOTAE INCESSVS ANIMALIVM SANGVINE PRAEDITORVM.

4156 mouentur autem omnia animalia quatuor motis, per dextrum nempè, & sinistrum, & per sursum, & deorsum: à quibus notis nec (Serpentes etiam, quod forsan aliquibus mirabile videbitur) excludimus.

COROLLARIVM.

4157 hinc liquidò constat hominis volatum impossibilē esse. moueretur enim homo pluribus, quàm quatuor notis, quod minimè fieri potest.

ΕΡΓΑ.

4158 vropigium verò in volatilibus architectata est natura, vt illius ope auium dirigeretur volatus. ideo quaecunquè ex volucrum genere, aut ista carent parte, qualia insecta sunt omnia, quae integras ex fragili membrana gerunt alas, vt Apes, Vespes, Crabrones, caeteraquè id genus, aut si habuerint illam ineptè tamen,& incommodè habere videntur, vt ex eorum pleraq; sunt numero, quae Scissiles, & pennis distinctas habent alas, Pauones videlicet, Gallinacei, Anseres, aliaequè eiusmodi alites, quae non altè volant: sed humi degunt, haud recto volare cursu possunt, cum naturalis illae caudae temo, vel omninò deficiat, vel ineptè admodum, & incommodè illis sit applicatus, & ad mouendum inutilis.

ANIMA.

4159 Animae naturam iam expendamus, in qua explicanda ea plerique Philosophi dixere, quibus nequè Poetae, nequè Pictores, quicquam finxerunt vnquam quod magis monstrosum videri posit, & precipuè Auerroys,& Alexander, vt inferius particulatim docebimus. licet & ipsemet Aristoteles, Platoquè, quorum sententiam, & in hac quoquè speculatione eandē esse credimus modò naturam sequentes, modò diuinius quoddam lumen adhibentes in huiuscemodi re non satis rectè dixere omnia, sicuti in tertio libro ex vera Philosophia patefaciemus.

THEMISTII, ET AVERROIS OPINIO DE MODO INFORMATIONIS ANIMI HVMANI.

4160 atquè iuxtà veram methodum eorum, quae à nobis dici debent illa quaestio vltrò occurrit, num nempè animae definitio ab Aristotele tradita vniuoca sit, siuè (quod in idem recidit) an anima rationalis sit forma asistens, vel informans. in qua quaestione Auerroys (vti pleriquè ipsius praeclari sectatores dempto Achilino, Antonioquè Mirandulano) sentiunt & Themistius, animam rationalem formam asistentem tantummodò vnamquè in omnibus hominibus crediderunt.

cap. 5. 3. de anima

3. d anima cap. 27. vs. què ad 32.

4161 inter eos tamen illud interest, quòd Themistius licet rationem

tionem formam aſsiſtentem arbitratus ſit: hominem tamen à tali forma perfectionem vltimam ſubſtantialem ſuſcipere viſus eſt credidiſſe, quod Auerroys (niſi Mirandulani, & Achilini dicta ſequamur) mordicus negaret. l. 32. de euer. ſing. cer. ſec. 1.

4162 quòd ſi in Auerroyſtarũ via dubites de hac vnione, dicũt vnionem fieri propter eandem operationem agentis, & patientis. eadem enim iuxtà ipſos eſt operatio per quam phantaſma in intellectus ſpeciem agit, atquè intellectus ſumit ſpeciem à phantaſmate. l. de intell. quol. 3. dub. 2. & 4.

HORVM EXPVGNATIO.

4163 at contra hanc impiam fatuitatem, omiſsis ſexcentis Ariſtotelis locis, duo tantummodò omnium (ni fallor) validiſsima argumenta proferemus, quorum alterum Ficini eſt, alterum autem Alberti. & primò ſi haec vera ſunt nonnè in eodemmet ſubiecto contraria exiſtent? quòd ſi ad diuerſa phantaſmata recurrant, nonnę ex diuerſis cauſsis efficientibus cõtraria in ſummo in eodem ſubiecto concedent? 15. de Theol. Plat.

4164 praeterea quo pacto ex Ariſtotele idẽ motor plura mouebit mobilia? hoc enim dato iam diſcurſus de intelligentiarum numero corruet. Albertus lib. 3. de an. trac. 2. cap. 7.

NVMENII PLATONICI OPINIO, QVAE ALIQVO PACTO CVM AVERROIS OPINIONE CONVENIT.

4165 apud Platonicos verò Numenius vnam animam nõ modò in hominibus: ſed & in brutis, plantiſquè faſſus eſt. quam quidem opinionem videtur ex Platone ipſomet oriri quaſi id opinante. vbi enim mundum probauit animatum eſſe, viſus eſt dixiſſe, quòd quemadmodum corpora noſtra mundani corporis partes ſunt, ſic & animae vniuerſalis noſtrae animae. deinde & pro Numenio ea faciunt, quae in Republica, in Phaedro, & in Timaeo pariter inquit, dùm aſſerit animas noſtras ſequi totius mũdi circuitum, & inde mores, fortunaſquè accipere. videtur inſuper veriſimile homines intra mũdum genitos, vitam à mundo ſortiri, & quaſdam totius vitae portiones habere. poſtremò quod alibi dicit animam noſtram totius inanimati curam habere (cum haec communis Ploti. enn. 4. l. 3. c. 1. in Philebo i Phaedro

cura

cura duntaxat ad mundi animam pertineat) Numenij dictis fauet.

4166 hanc eandem opinionem absquè dubio sequutus est Virgilius in illis carminibus.

Aeneid.
,, Principio coelum, terram, camposquè liquentes,
,, Lucentemquè globum Lunae, Titaniaquè astra
,, Spiritus intus alit, totamquè infusa per artus
,, Mens agitat molem, & magno se corpore miscet,
,, Vnde hominum,pecudumq; genus,feraeq; volantũ,
,, Et quae marmoreo fert monstra sub aequore pôtus.

4167 hoc tamen inter Auerroem, Numeniumquè interest, quòd Numenius animas nostras licet totius animae partes in tribus vehiculis, mixto nempè, aereo, & coelesti, ex se vitam ducere asserit: cum tamen Auerroes partiales has vitas post seiunctionem animi ab hoc mixto corpore non admittat.

HORVM EXPVGNATIO.

4168 verùm contra hanc opinionem cum Plotino sic agamus. praestantior est forma, quàm materia, & totum partibus igitur si datur totum materiale, datur & formale totum, item si totum ex partibus, ergo & totum ex totis. cum igitur mundus sit totum absolutissimum. certè & formale totum est, totumquè ex totis. non erit autem totũ ex totis nisi multa sint in eo non solùm differentia formis, sicut in arbore: sed etiam secundum existentiam disiuncta,& actionibus segregata. oportere autem mundum hunc esse verum totum ex rebus verè totis. non solùm eius perfectio postulat: sed etiam exemplaris imitatio exigit.

4169 praeterea vbi perfectiores sunt partes, perfectius est totũ: partes verò perfectiores sunt, quae existentiã propriam, propriumquè habent officium, sic ergo & totum magis formale est,vbi partes magis sunt formales. hae verò ibi formales magis, vbi magis formis atquè existentijs, siuè substantijs, & actionibus distinguuntur. ad hoc autem vt totum sit verè vnum, satis profectò facit ordo cunctorum vnus ab vno pariter, & ad vnum. ex quibus apparet non esse probabile hanc mundi machinã vnicã duntaxat habere

habere animam. sed probabilius esse plures adesse animas praeter mundanam animam.

4170 atqui & in nobis esse propriam animae nostrae substantiam ab ipsa anima mundi differentem inde conijcimus, quòd proprium noster animus, liberumque possidet arbitrij motum. alioquin si pars totius foret subito totius impetu raperetur. nequè foret discursus, & consilij compos, neque aberrare posset, quandòquidem anima mundi errare non potest.

4171 omnino verò ponere nostras animas esse partes animae mundi nihil aliud est quàm dicere, hanc animam tuam esse ipsam totam mundi animam, meamquè similiter. illa enim diuidi nequit in varias portiones: sed tota indiuidua, & eadem est prorsus vbiquè.

4172 quòd autem in Philebo dictum erat, non id quidem sibi vult (vt etiam Plotinus animaduertit) quod Numenius opinatur. sed quod tùm Platoni erat in mente scilicet animatum esse mundum. hoc enim comprobare studens inquit absurdum esse coelum inanimatum dicere, cum nos, qui corpus mundani corporis partem habemus, animam habeamus. quo enim pacto pars animam habuisset si totum esset inanimatum? Plot.l.3.4. enn.cap.7.

4173 quòd autem adductum fuit animas sequi circuitum vniversi, moresquè inde ducere, & inde pati, nullo modo significat animas nostras esse partes. potest enim anima ex se. naturaquè locorum. aquarum & aeris multa coelitùs imminentia propulsare. habitatio quoquè, & vrbana consuetudo, complexionesquè corporum coelestibus resistunt influxibus. propterea si dixerimus nos inclusos in vniuerso habere aliquid à mundi anima vitae, & à coelesti circuitu pati, possumus & asserere contra, animam nempè nostram alteram esse his omnibus resistentem, ipsaquè resistentia se se alteram manifestè monstrantem.

4174 ad id verò quod dicitur nos intrà mundum genitos esse, respōdemus similiter in aluo materna foetum aliam habere animam, quàm maternam.

4175 quòd autem in Phaedro dicitur omnem animam totius inanimati

inanimati curam habere, quod mirum? nam quid aliud corporis naturam gubernat, format, ordinat, facit, nisi anima? neque dicendum est, hanc quidem naturaliter id facere posse, illam verò nequaquam. vnde subdit perfecta igitur existens anima ipsa, scilicet vniuersi elata sublimius, neque immersa: sed vt ita dixerim, supernatans agit in mundum: sic & quaecunque perfecta sit similiter dispensabit.

4176 praeterea vbi animam fractis pennis quasi ruentem inducit euidenter eiusmodi animam asserit ab anima mūdi esse diuersam.

4177 demùm sententiam Platonis secus se habere, ac Numenius senserit liquet potissimū in Timaeo, vbi facta iam anima mundi, deinceps aliae oriuntur in eadem patera, differentiamque illarum per secundos, tertiosque gradus assignat.

PLOTINI, IAMBLICIQVE OPINIO DE MODO INFORMATIONIS ANIMI HVMANI.

4178 Plotini, Iamblicique opinio, inter Auerroem, & Alexādrum media est, Alexander enim intellectualem naturā esse posse vitam corporis propriam confitetur. Auerroys autem neque vitam corporis esse concedit, neque vllam corpori vitam infundere. Plotinus intellectualem naturam esse quidem vitam corporis familiarem negat, concedit tamen familiarem quandam sua praesentia vitam in corpora propagare, ex qua & corpore non homo: sed animal conficiatur.

cap. 2. p. 2 ennead.

4179 probantque haec omnia ex Platone, qui palàm corpus animae instrumentum appellauit.

in Alc. de nat. homi.

HORVM EXPVGNATIO. ET PLATONIS CVM ARISTOTELE CONCORDIA DE MODO INFORMATIONIS ANIMI HVMANI.

4180 sed haec opinio quamuis à Simplicio, à Philopono probata fuerit, Platoni tamen repugnat. cur enim ipse animas coelestes, quin & animam ipsam mundi à corporibus suis nunquā seiungit, si mens humana illis ignobilior

à vehiculis suis tandem separabitur?

4181 sit itaquè anima humana, tàm secundùm Platonem, quã secundùm Aristotelem forma informans (quod & inferius expendetur distinctius) ita tamen vt à materia non pendeat. quod & de animis sphaeras coelestes informãtibus multi è Platonica, Peripateticaque familia dixere. clii. concordia.

4182 quòd autem asseruerit Plato corpus animae instrumentum esse supradictis non obstat. potest enim (vt Plotinus & Alexander animaduerterunt) vtens instrumento, vel vt habitus, vel vt artifex cõsiderari. & sanè si anima corpore vtens, vt habitus sumatur, nihil est quod nobis contradicat. Plotinus 1. 4. enne. c. 21. Alex. li. p. de ani. c. 3.

4183 hominem autem animam tantùm nuncupauit Plato, non quòd non putarit omninò corpus esse portionem hominis: sed quòd intellectus potior hominis sit pars, & vnum quodquè quodammodò pars sui potior, atq; melior esse censeatur, & propterea saepius Aristoteles mentem hominem appellauit. cliij. concordia. 9. ethi. ca. de concordia. x. ethi. ca. antepen.

4184 cui rationi seu consuetudini calculum adijcit etiã Scriptura, animam interiorem appellando hominem, corpus verò exteriorem, ceu duo planè sint homines, cum simul vtrunquè sit homo vnus. significari obscurius hoc ipsum Eusthatius quoquè animaduertit vbi Αὐτοὺς inquit, id est ipse nunc quidem dicitur de anima tantùm, nunc de corpore, vel mortuo, vt apud Homerum. 1. Illiad.

„ Αὐτοὺς δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν.

nunc verò & de vtroquè id est homine composito, proinde perpendendum amplius qua ratione dicatur homo ad imaginem Dei factus, & esse item terra pronuncietur denuoquè in terram abiturus. dici namquè illud rationalis animae intuitu palàm fit acriùs inspectanti, qualẽ Deus insuflando indidit hominis corpori. hoc autem corporis ratione, qualẽ hominem ex puluere finxit Deus, cui & animam est impertitus, vt sic concinaretur animale corpus id est homo in animam viuentem.

DISTINCTIO ANIMAE REALIS NE AN RATIONALIS.

4185 post haec perquiramus num anima re, vel ratione di-

 stinguatur

ſtinguatur (intelligo autem nunc diſtingui ratione omne id, quod cum re non diſtinguatur, poteſt vel ex natura rei, vel formaliter, vel re diſtingui) in qua re tres reperio opiniones diuerſas, quarum prima Philoponi eſt, ſecunda Galeni, tertia Ariſtotelis, & Platonis.

PHILOPONI OPINIO DE TRIPLICI SVBSTANTIA ANIMAE HVMANAE.

in fine p.ᵈ anima & i a. t. c. 29.

4186 ſenſit Philoponus in homine tres adeſſe animas tota ſubſtantia diſtinctas, quarum prima virtute quae eſt in genitura, ortũ trahit à craſsitie prima vita plantae viuente. elaborato autem magis corpore ſanguis quoq; attenuatur, & purior fit, atquè è ſubtiliſsima quidem portione ſanguinis enaſcitur, quae à Philoſophis ſpiritus appellatur, defecatus ſanè à priori illa craſsitie, ac feculentia corporea. huic vt peculiari ſubiecto ineſt facultas ſenſiua, quae ſanè eſt veluti extremum fundamentum recipiens animam rationalem, demùm animato iam corpori extrinſecus aduenientem.

HORVM EXPVGNATIO.

Simon por de me. hũ. cap. 5.

1.ᵈ anima

4187 quaerendum autem eſt ab homine iſto, quo nam glutino animae in homine actu tres inter ſe cohaereant, vt vnum animal componant? hoc enim idem percunctatus eſt Ariſtoteles eos, qui re & loco animam diuidebant.

4188 praeterea ex Philopono animae iſtae partibus corporis ſecernuntur non quidem organicis vt multi Philoſophi ſenſerunt: ſed ſimilaribus, quo nihil leuius, ac rudius cogitari poteſt. ſi quidem quoniam ad functiones exercendas vtuntur organicis partibus non eſt ſanè abſonum, ſi partes animi in ipſis organis conſtituantur: ſed vt in partibus ſimilaribus noſtri corporis tanquàm in proprijs ſubiectis facultates diſponantur, nulla ratio, nec ſenſus perſuadet. nam vt vegetalis vtitur organis, iocinore, & ventriculo, vt praeparent alimentum caeteris partibus, ſic quoquè de alijs ſentiendum eſt.

GALENI OPINIO DE DISTINCTIONE PARTIVM ANIMAE HVMANAE.

4189 Galenus etiam tres ſubſtantias diuerſas vno in corpore, quaſi in ergaſtulo, aut cataſta concluſit, eaſq; naturalem

vitalem

vitalem, animalemquè appellauit. naturalemquè iecori de plac. Hip. & Plat.
vitalem cordi, animalem verò cerebro adiudicauit.

HORVM EXPVGNATIO.

4190 in quae eadem dici possunt, quae superius contra Philoponum dicta sunt.

GALENI A PLATONE DISCORDIA.

4191 quin (quod mirum forsan aliquibus videbitur) à Platone etiam prorsus dissentit: Plato enim concupiscibilem etsi irrationalem faciat: non tamen aufert ab ea dignotionem. verùm enimuerò si cognoscit, licet non dirigatur ratione, nihilo secius potentia cognoscit animali.

4192 quam appetentiam cum in iecore posuit minus bene naturalem nominauit, vt animalis detraheret appellationē. vnico namquè fine mouentur naturalia, velut ad ascendendum, & descendendum. at ipse asserit concupiscibilem dolorem fugere, appetere voluptatem, propterea quod hoc iudicat conducibile, illud non.

4193 à rationali propterea non suppeditari cognitionem. sed in Timaeo ei fraenum imponi tanquàm equo ibidem Plato sensit, quo in loco scribit concupiscibilem, & à simulachris, & à φαντάσμασι moueri. at enim verò hoc est cognoscere, quare iecori diuinationem attribuit propter imaginationes. quod si ita est alia quoquè in parte, quàm in cerebro sita erit cognitio.

4194 sed in hoc absquè contradictione Galeni quoquè partes tueri possumus. erit enim motus naturalis quò ad functionem non quò ad impetum.

4195 in his autem, quae sequuntur nescio, quo pacto Galenum tueri possimus. cum enim irascibilem ponat in corde Plato ponit & animalem. irascimur enim nunquam nisi re cognita. irascuntur etiam fortes, in quibus habitus nequit consequi principia fortitudinis absquè ratiocinatione.

GALENI AB HYPPOCRATE DISCORDIA, ET ARISTOTELIS, PLATONIS HYPPOCRATISQVE CONCORDIA.

4196 quin & ab Hyppocrate quoquè desciuit Galenus. Hyppocrates H. de corde

pocrates enim alicubi dixit mentem habitare in ſiniſtro cordis ventriculo, eamquè reliquae animae imperare, & alibi delirij cauſſam ita explicat, vt velle videatur ſenſus imaginationis, & rationis ſedem in eodem corde exiſtere.

initio lib. de morb. virginum

4197 quòd ſi alibi rationalem in cerebro locauit, abſquè contradictione id prolatum eſt: nihil enim impedit, quominus aliqua potentia ab vno membro cauſſatiuè, ab alio verò initiatiuè pendeat.

4198 hoc idem Platonem ſenſiſſe compertiſsimum eſt, cum ille palàm in Timaeo ſentiendi principium in cerebro minimè ponat: ſed magis in corde, ſentiendiquè inſtrumēta neruos minimè dicat: ſed venas quarum appellatione etiam arterias complectitur.

cliiij. concordia.

4199 quin & in Thaeeteto ex mollitie, vel duritie cordis probitatem mentis coniectaſſe viſus eſt.

4200 eo autem modo, quo Hyppocratis, ſic & Platonis contradictiones tolluntur.

4201 adſunt tamen in Platonica Philoſophia arduae dubitationes. quo pacto enim in corde plures animae conſiſtent? videntur autem omnes Platonici plures animas in vnoquoquè homine concedere. ſi enim omnes facultates ad vnam, & eandem animae eſſentiam pertinent, cur ea ſola pars, ſiuè facultas qua ratiocinamur, & intelligimus à Deo immediatam originem habere dicunt: reliquae verò à Dijs minoribus? an quia reliquae duae iraſcendi, & concupiſcendi non ad agendum comparatae ſunt, ſed ad patiendum. propterea redundant in animā ex corpore? ex quo conſequens eſt, vt Dij minores, qui corporis humani formatores extiterunt, ijdem authores eſſe dicantur in anima duarum harum facultatum inferiorum, quae ex tali corpore in eam redundarunt.

4202 non quòd illi nouam animae eſſentiam adiecerint: ſed quòd effecerint, vt ex communicatione cum corpore, cuius ipſi formatores extiterunt, nouae in illam facultates redundarint ad aliquid patiendum, quarum eadem ſuaptè eſſentia omninò erat expers.

4203 ob quae dicta & aliud dubium adnaſcens iam ſoluitur, ſi quis

quis enim quaerat, quo pacto anima vna sit, cum mens sola immortalis: anima verò irrationalis mortalis sit, quandòquidem immortale cum mortali re vnum, & idē nullo modó esse posse videtur. optimè respondebunt Platonici, & cum eis Diuus Thomas potentias mortales redundare ex corpore adnexo in anima, tanquam in ea, quae illas virtute tantùm contineret, sicut in principio, vel in radice. p. summae q. 78. art. vlt.

4204 sed cur (vt etiam Plato testatur) saepius irascibilis cum rationali pugnat, & cur nonnunquam irascibilis rationali aduersus concupiscibilem in corpore habitantem opitulatur, si in omnibus istis potentijs eadem est anima? quo pacto enim in impotentibus, atque intemperantibus eadem anima, eodem tempore, circa rem eandem in cōtrarias partes afficietur, illam scilicet simul appetendo, & fugiendo? an hoc quidem potius arguit animam eandem sub ratione diuersa rem eandem apprehendere, quā illam esse diuersam? vt enim eadem anima re ipsa simul, eodemquè temporis momento sentire potest calida, & frigida, alba, & nigra: sed ratione varia, nec sub eadem rei obiectae imagine. sic cum voluptas corporis aliqua impotenti attētius omnia consideranti obijcitur sub specie mali fugienda videtur. eadem verò cum negligentius expenditur, aut vi perturbationis de corpore enatae falsam boni imaginem ostentat rationi, accidit vt ab illo etiam appetatur. & quanquam re vera eiusdem animae hi duo motus sint, tamen propter huius maximam in suis functionibus celeritatem accidit vt vnum facere videantur. 4. de Rep.

4205 quòd in his, quae ad vitam, & mores pertinent, non video cur magnopere mirari debeamus, cùm in veritatis contemplatione idem contingere frequenter animaduertamus. etenim cum ad vnam rem suppetunt in contrarias partes paria momenta rationum, tùm animae eadem pars tempore indiuiso (hoc enim facit in eius motibus celeritas admirabilis) in contrarias opiniones distrahitur pro varietate argumentorum, quae occurrunt.

AN ANIMA IN TOTO CORPORE, VEL IN CORDE TANTVM.

4206 sed cum iam superius secundùm Platonem animam vbiquè essentia sparsam demonstrauerimus, poterit quis arbitrari ab eo Aristotelem recedere, qui vt multi arbitrātur, cor tantummodo per essentiam animatum esse dixit. reliquas verò partes per virtutes tantùm, & facultates ab illa substantia in corde residente cum spiritu effluente. quam sententiam & Aristotelis esse D. Thomas nonnullis in locis asserit.

Simō Por. de ment. hum. c. 7. Alb. 2. de an. cap. 72 li. 2. cont. Gentil.

HORVM EXPVGNATIO.

4207 at rectè cum Scaligero eos interrogare possumus nùm illae potentiae à corde effluentes sint substantiales, vel accidentales. si substantiales totum corpus informatur. si accidentales, homo erit histrio personatus, & idem erit simpliciter, ac secundùm quid.

cōtra Car. excer. 307. cap. 29.

ARISTOTELIS, ET PLATONIS CONCORDIA IN SVPRADICTA PROXIMA QVAESTIONE.

4208 vt autem haec quaestio lucidissimè discutiatur operaepretium censuimus à penetralibus Platonicis altius rem repetendo principia desumere. Platonici itaquè illud quidem supernaturale vnum simpliciter vnum faciunt vsquè adeo, vt subsistentiam, potentiam, & actum ipsius à se inuicem non discernant.

Plethon cap. 9.

4209 in alijs verò, quae post, & infrà ipsum sunt formis, & mētibus non eodem modo tria illa vnum esse arbitrantur. sed actum quidem à subsistentia. potentiam verò non omninò ab actu discernunt, eo quod mentes illae, siuè formae cum sint immobiles nihil quicquam potentia, sed ea omnia re ipsa, & actu semper habent praesentia, quae sibi insunt.

4210 at in anima tria haec subsistentiam, potentiam, & actum omninò distinguunt, eo quod anima humana ab vna cogitatione ad aliam mouetur, & ex non intelligente fiat intelligens, rursusquè ex intelligente non intelligens.

4211 asserunt praeterea (Plotino, Iamblicoq; exceptis) essentiam animae totam in toto, & in qualibet parte inesse.

hinc

Platonicus Virgilius.

„ totosquè infusa per artus 6. Aeneid.

„ Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

caussas verò omnium potentiarum in corde, potentias autem ipsas in corde, cerebro, hepate, alijsquè membris.

4212 cui sententiae cur repugnabit Aristoteles? cur enim & secundùm ipsum affirmare non possumus animam secundùm triplicem toti quanti diuisionem, nec per se, nec per accidens posse secari? sed esse totam in toto, & in qualibet parte sui secundùm totalitatem perfectionis, & clv. cõcor-
essentiae, non autem secundùm totalitatem virtutis? nec dia.
enim secundùm quemlibet potentiam suam est in qualibet parte corporis: sed secundùm visum in oculo, secundùm auditum in aure, vt etiam animaduertit Diuus p. sum. q.
Thomas. 77. art. vlt.

4213 quòd si aliquando apud Aristotelem reperias animam in fine de
in corde inesse, intelligas ibi inesse vti est prima caussa ani. motio:
omnium potentiarum, seu vti est omnium motionum primus motor.

4214 à qua opinione forsan, nec Diuus Augustinus recedit, Epis. 28.
dum affirmat in corde animam sedem habere dici posse, quia in eo affectus animae primi sunt, maximequè necessarij, hoc enim dictum nostro non repugnare tuebimur.

AN OMNIS ANIMA INDIVISIBILIS, ET IN HOC PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA.

4215 verùm est ne sola anima rationalis induisibilis quemad- 1. sen. dis.
modum existimauit Aegidius? an solùm anima ratio- 8. ar. 1.
nalis, & perfectorum animalium, vt Arbitratus est Diuus p. sum. e.
Thomas? an (vt plerique senserunt Platonici) omnes 76. art. 8.
animae etiam, & imperfectorum animalium, planta- Ficinus in
rumquè indiuisibiles sunt? quibus cum & D. Augustinus 6. de The.
adnumerandus videtur, arbitramur nos Aegidij senten- plat.
tiam potiorem, cum anima rationalis è potentia mate- Simp. 2. de
riae non deducatur, non modò iuxta Platonem; verùm ani. t. 19.
etiam iuxta eam, quam opinamur Aristotelis sententiã. l. de imor.
ani. c. vlt.
clvi. concordia.

4216 nec est locus in Platone (quicquid Ficinus, & Simplicius dicant) qui caeteras animas indiuisibiles affirmet. clxij. concordia.

4217 neque per consequentiam ex eius scriptis deduci potest.

DISTINCTIO ANIMARVM, POTENTIARVM ANIMAE, ET ANIMATORVM.

4218 crediderim ego simul cum Diuo Thoma animarum genera esse tria vitale nempè, sensitiuum, & rationale. nec enim Aegidio assentio, qui quatuor animarum species facit, vegetatiuam nempè, sensitiuam, motiuam secundū locum, & intellectiuam. nam motiua potius est species sensitiuae cum ab eodem gradu eleuationis oriatur, à quo & sensitiua. 1.p.sum.q. 78. ar. 1.

4219 si verò ex generibus actionum potentiarum numerus colligatur, eos quinque nec plures, nec pauciores videbimus. vitalem nempè, sensitiuam, appetitiuam, motiuam, & rationalem. D. Thom. 2 de an.le. 5. com. 1.

4220 gradus autem animatorum quatuor sunt, non enim appetitiua gradum facit.

PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA DE RELATIONE POTENTIARVM.

4221 verùm dum Aristoteles actus priores potentijs asseruit, à Platone visus est recessisse, & proinde reprehensus fuit à Georgio Plethone. cum enim ea, quae ad aliquid dicuntur mutuam habeāt inhaerentiam, sensibile actu nō erit prius sensu actu, neque sensibile potentia prius sensu potentia. 2. de ani. t. 32. cap. 6.

4222 sed vt Simplicius adnotauit in libris de anima ita prius non sumpsit Aristoteles, velut imponit illi Plethon. at id tantùm prius intellexit, quae est secundum caussam, & effectum. in his enim quae ad aliquid caussa caussato prior est. clxiij. concordia.

DIVI THOMAE, ET SCOTI CONCORDIA DE RELATIONE POTENTIARVM.

4223 sed atrocior in eadem ferè quaestione inter Scotum, & Diuum Thomam pugna existit. arbitratur enim Diuus Thomas actus, & obiecta quodammodo formas potentiarum esse. Scotus verò existimat potentias se ipsis distingui 2. de ani. in t. 32.

ſtingui abſolutè. & ſanè prima opinio Platonicae ſupradictae ſimilis eſt: ſecunda verò Peripateticae. Scotus 2. ſen. diſ. 16. q. vnica

4224 cum autem iuxtà Thomae, Scotiquè ſectatores habitudo duplex ſit. altera nempè ipſamet relatio, & ipſe ordo potentiae ad actum, & ad obiectum. altera verò habitudo eſſentialis ideſt primum principium in ipſa potentia vnde naſcitur prima relatio. cur per hanc vltimam habitudinem potentiam conſtitui negabit Scotus? cur per primam potentiam finiri aſſeret Thomas? ipſemet Scotus in loco ſupr. Lechetus in quaeſt. 1. prologi 1. ſenten.

OPINIONVM SCOTI, ET D. THOMAE CONCORDIA DE DISTINCTIONE REALI, ET FORMALI POTENTIARVM ANIMAE, AB ESSENTIA, ET ADINVICEM.

4225 ſed non minor eſt altercatio inter eoſdem ſummos viros Scholaſticaequè doctrinae anteſignanos de modo diſtinctionis potentiarum animae. videtur enim D. Thomas ad eam partem verti, quae diſtinctionem realem tuetur. at Scotus diſtinctionem formalem defendit. dicimus nos potentias, quae cum organis ſimul pereunt realiter diſtingui. aptitudines verò, quae etiam in anima à corporibus corruptibilibus ſeparata remanent, formaliter adinuicem, & ab eſſentia differre, quae omnia nullus iuratus in Thomae, ſeu Scoti verba audebit negare. 1. p. q. 77. art. 1. 2. ſen. diſt. 16. q. vn.

VEGETATIVA.

4226 Vegetatiuae munus eſt alere, augere, & generare.

ALIMENTVM.

4227 perpulchra eſt dubitatio an alimentum ſit alimentum actu cum diſſimile eſt, vel cum ſimile factum eſt. non enim videtur actu dici poſſe alimentum cum eſt diſſimile, cum contrarium ſit ei, quod alitur. nec tùm cum ſimile factum eſt, cum eo modo viuentis ſit pars. an audacter dicendum eſt alimentum actu alimentum eſſe? poteſt .n. comparari & ad partem praeexiſtentem cui apponitur, & ad partem effluxam, & deperditam, in cuius locum reponitur. primo modo eſt pars, ſecundo alimentum.

Diſcordia

DISCORDIA PLATONICORVM DE VEHICVLIS NVTRIBILIBVS CONCILIATA.

4228 dubium autem est inter Platonicos quale nam sit illud vehiculum, cui nutrimentum conuenit, in quo dubio communis Platonicorum est opinio corpus hoc mixtum id esse, cui debent alimenta tribui. Numenius tamen & aereo vehiculo nutrimenti, cibiquè indigentiam visus est adiudicasse, dicimus eos ab inuicem non discrepare. potest enim corpusculum illud aereum ali, & nutriri: nō autem eo modo quo terreum hoc corpus alitur: sed vaporibus quibusdam, suffituumquè generibus, non quadā sui parte receptis, & in alijs rursum partibus digestis, cōfectisquè, quod in hoc terreo corpore altricem vitam efficere dicunt alij, vbi etiam diuersa varios ad visus visuntur instrumenta. sed totum per se totum ali, non alio similiori, quàm spongiarum exemplo, quae se totis nutrimenta capiunt, receptaquè conficiunt, & illis nutriuntur.

Ammoni' Herm. in Phaed.

ARISTOTELIS CVM PLATONICIS CONCORDIA DE PASSIVA POTENTIA SENSVS.

4229 in discursu sensitiuae potentiae illud prius se se nobis offert, an nempè potentia sensitiua sit passiua, vel actiua, passiuam vbiquè videtur afferere Aristoteles. Plotinus verò actiuam. Simplicius tamen vtrumquè idem, & rectè sentire arbitratur. materialiter enim solùm, id est quo ad receptionem speciei patitur sensus. formaliter verò, id est quo ad id quod ratione potentiae, & animae, inest organo, agit, quod dictum è pijssimi, doctissimiquè viri D. FRANCISCI TOLETI commentarijs plenis quaestionum, plenisquè solutionum in libros de anima depromptum est.

enn. 4. l. 6.

t. 51. & 52. 2. de ani.

4230 quòd si obijcias adhuc Aristotelem à Platone recedere, quòd Aristoteles, tàm actionem, quàm passionem organis adiudicarit, & quòd sentire non animae solius: sed corporis coniuncti esse dixerit. quae satis tutè non videntur posse dici in Platonica doctrina. dicimus nos & Platonem

clix. concordia.

Platonem in Timaeo vt etiam Plutarchus testatur de illo sensum definisse animae, & corporis communionem.

4231 quòd si aliquando apud Platonicos, & praecipue apud Plotinum legas animam solam sentire, responderi potest apud Platonicos sensiuae potentiae actum esse duplicem, exteriorem, qui non nisi per corpus promi potest. interiorem alterum quem per se exerceat anima. duplex itaquè agnoscitur in anima motus, alter quo mouetur ab ea corpus, alter quo se ipsam, qua ratione in anima apparet videndi actus primus.

4232 at perscrutatione dignum est, nùm à sensibilibus formae in animam nouae imprimantur. nouas laudant Peripatetici non consentientibus Platonicis. an & etiam apud Aristotelem ad sensibilium praesentiam proferuntur in actum species in anima latentes? clx. concordia.

4233 quam opinionem (quod quidem multis mirabile videbitur) non sequitur Priscianus Lidus, vt malè sensit Ficinus. in Teoph. cap. 5.

SENSIBILIVM DISTINCTIO.

4234 sensibilium alia per se sunt, alia per accidens.

4235 et eorum quae per se, alia propria, alia communia.

4236 solet autem dubitari quo pacto sensibile cōmune à sensibili per accidens distinguatur: in qua quaestione illa quę D. Thomas in medium affert omninò satis faciūt nobis. 2. de ani. t. 65.
Differentia namquè circa sensus immutationē bifariàm potest effici. vno modo quatenus ad ipsam speciem agētem attinet, quo partialia sensibilia per se, immutāt sensus partiales. altero non quatenus ad speciem agentis: sed quatenus ad speciem actionis. qualitates enim sensibiles mouent sensum iuxta quantitatem, & sensum. vnde aliter mouent in maiori, aliter in minori corpore: sic iuxta diuersum situm, diuersimodè mouent.

4237 sensibilia verò per accidens, nequè speciem, nequè modum habent.

COROLLARIVM.

4238 et proinde liquet (quicquid in hanc opinionem dixerit Scotus) communia sensibilia propriam non habere speciem. 4. sen. dist. 12. q. 3.

Platonis

ΕΡΓΑ.

PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA DE COMMVNIBVS SENSIBILIBVS.

4239 cum verò Plato, Platonicique in hoc quaesito Scoti partibus fauere videantur, tentandum est pro virili Platonẽ à Scoto seiungere, & cum Aristotele, Thomaque componere. arbitratur itaque Proclus, ex Platonis opinione animam in primo vehiculo sensum tantummodo vnicũ & communem habere: impatibilem tamen: in secundo verò eundem solum sensum, at passibilem. quod si Platonicum esset dogma, cum iste sensus vehiculis istis tribuatur ad animae scientiam, iam sensibilia communia propriam haberent speciem.

2. lib. in Tim.

4240 tutius erit itaquè simul cum Plotino asserere visum etiã per totum hoc primum vehiculum fusim propagari, propagari & auditum: inesse verò illis eam potestatem admirabilis naturae, vt Sphaerarum tacitus aliàs cõcentus persentiatur. auditui subijciatur & vox daemonica, visuiquè obuia sint, & eorum corpora, si abiuncta pro viribus à crassioris sarcina corporis in aethereum se se anima corpusculum seuocarit. quae omnia & Simplicius in Aristotelea doctrina absurda non iudicat.

l.4.en.4.c. xli. concordia.

3. de coelo.

COROLLARIA.

3241 hinc iam elicimus quid nam sibi voluerit Virgilius in eo versu.

6. Aeneid. „ Aethereum sensum, atquè aurai simplicis ignem.

quidquè sibi voluerit Iuuenalis.

Sat. 4. „ Sensum à coelesti demissum traximus arce.

quidquè Euripides.

in Medea „ Νοῦς ὁρᾷ νοῦς ἀκούει.

„ Mens aspicit, mens audit.

4242 apparetquè quid sibi voluerit Tatius Mercurij filius, qui sacris expiatus proditur exclamasse illico agere se iam in corpore mortis nescio, tralatumquè altius mirãda praecipue, & intueri, & audire. quod approbans Mercurius id ipsum vsu venisse sibi testatur.

in Phaed. 4243 hinc & Platonicus Olympiodorus monumẽtis prodidit Tyaneum

Tyaneum Appollonium eorundem poteſtate ſenſuum cũ in vrbe ageret tanquàm de illuſtriore ſpecula, quae in Aegypto fierent proſpectaſſe, atquè item enunciaſſe. ſed haec viderint illi, quãdò quid fallacißima poſſent Daemonum ingenia, quibus praepedita tunc humana mens diſtrahebatur, omnes quibus lux CHRISTI affulſit, nouimus.

EPTA.

COLOR.

4244 inter partialia ſenſibilia colorem prius expendamus, quì quidem nihil aliud eſt, quàm extremum perſpicui terminari. quòd quidem extremum in diaphano interminato eſſe non poteſt. quo enim pacto poterit eſſe, quiſpiã terminus interminatae rei? 1. de vn. & ſenſib.

4245 attamen quamuis diaphanum omne corpus ſit, corporiſquè terminus ſit ſuperficies, color vtiquè ſuperficies non erit: ſed eſt in ſuperficie. aliud enim eſt extremum corporis, quatenus quantum corpus eſt, & aliud extremũ corporis diaphani, quatenus diaphanum eſt.

4246 contraria verò huic opinioni multa poſſunt perſuadere. lucem enim habet ſolùm corpus coeleſte pro ſubiecto. at nihil tale ingreditur colorum eſſentiam. deinde niger color eſt vti tenebrae: attamen viſilis. verùm tolluntur iſta ſi animaduertamus lucem etiam in multis corruptibilibus corporibus eſſe, quod videtur in igne, in cicindela, in ſpiritibus, in oculis, & faucibus piſcium quorumdam.

4247 tollitur verò ſecundum obiectum, quia cum lux ſit actus viſibilitatis, etiam in nigro eſſe poterit.

DIVISIO VISIBILIVM EX PLATONE, ET ILLIVS DEFENSIO IN SCALIGERVM.

4248 diuidit Plato viſibilia in viſui aequalia, in maiora, & minora. aequalia pellucida nuncupat. maiora quae viſum diſsipant. minora quae viſum congregant. in Tim.

4249 in quibus reprehendit Scaliger, quòd aequalia illa Platonica veritati non conueniant, cum quod eſt cuipiam aequale, aequè in illum agat, atquè ab eo patitur. ex reſi- 325. exer. cap. 6.

sentia namquè fit actio reciproca, aequalis ab aequali, inaequalis ab inaequali. cum igitur neque translucidum à visu, neque hic ab illo patiatur non solùm sunt aequalia sed etiam sunt nihil inter se. at Platonis amasij dicent, aequale à Platone dici id, quod est indifferens ad agendũ, & non agendum, ad recipiendum, & non recipiendum.

4250 asserit praeterea minora illa Platoni quidem esse minora si vult videndi vim actiuam esse, & in rem visam agere. at Scaliger cur non memineras ex Theophrasto, & passionem interdum actione maiorem esse?

lib. 4. de caus. plan.

EXTREMA COLORVM.

4251 extremi colores dicuntur album, & nigrum quia extrà omnes colores sunt: nullum enim recipit colorem niger, albus omnes.

4252 quare pulcherima emergit dubitatio: vter sit habitus? vter sit priuatio. niger cum tenebris vicinus sit priuatio videtur. ex aduerso, quod recipit priuatum est. omnes colores albus recipit: nullum niger, videbitur itaquè niger omnes colores continere. an in corruptionibus imperfectis subordinatis perfectius recipit. imperfectius autem non recipit? secus autem in generationibus imperfectis.

ΠΑΡΕΡΓΑ IN SIMONEM PORTIVM DE COLORE GLAVCO.

4253 Simon Portius glaucum quidem esse asserit, quem omnes profitentur caesium. at caesium vult non à coeli colore: sed à caede dictum igneo splendore nobilem. Tyberim enim flauum legit apud Horatium, eũdem Maroni glaucum. quid ni? tumidus, & turbulentus, infectusque gleba, quam detergit, ex Apennino fuit cum iret deiectum monumenta Regis, vt canit Horatius. at Virgilius.

in libello de color.

„ Mitis vt in morem stagni, placidaeq; paludis
„ Sterneret aequor aquis remo, vt luctamen abesset.

itaquè ex alio vultu color alius.

4254 quòd verò scribit glaucum equum à Virgilio commendari, ex eo colore quem baium nominant equisones, labitur. hunc enim sub spadicis fulgore pinxit poeta. sub glauco illum, quem leardum nominant.

3. Georg.

4255 et quem vult ille ſpadice dilutiorem damnat eum Maro
gilui appellatione.
4256 quòd autem ſcribit à Graecis Leonem χαροπὸν dici, Aelianus
verum eſt. at enimuero nè propterea huic adglutinet
caeſium Catulli Leonem, quo faciat, idem glaucum, &
χαροπόν. ſunt ſanè iubati Leones χαροποὶ ijquè non ſunt
barbari niſi famelici, aut laceſsiti. ſunt verò & non iu-
bati ex pardis concépti, qui atroci feritate ſunt, atq; ma-
lefica perfidia.
4257 horum oculos eſſe glaucos is intelliget, qui apud Oppia-
num meminerit vniuerſum Pantherarum genus eſſe gla-
ucum.

ΕΡΓΑ.

LVMEN.

4258 de lumine illud prius controuerſum video, num ſit qua-
litas realis, vel intentionalis. realem aſſerit Thomas. in- l.5.4. en.
tentionalem Scotus, cui Plotinus, Iamblicus, quin & Pla Priſcianus
to ipſe, qui lumen Solis ſpeciem appellat, videntur faue- Lid. refert
re. at ſi verùm fatendum eſt neutra opinio omnem ex- de Iambli.
haurit nobis dubitationem. ſi enim vt aſſerit Thomas 6. de Rep.
eſt qualitas realis, quo pacto dabitur accidens extra ſu- 1.par.quę.
biectum ſuum: eſt enim extra lucidum corpus in aere: ſi 77. art. 3.
verò eſt ſpecies vti credidit Scotus, cur non ſolùm alte- 2. ſen.diſt.
ratione ſenſitiua: ſed & etiã corruptiua ſubiecta alterat? 13.q.vni.
4259 melius erit itaquè ſimul cum Ficino dicere lumen quali- in Plotin:
tatem realem eſſe vſquè adeo perfectam, vt per modum 4.l.5.c.6.
ſpeciei potius, quàm otioſae qualitatis exiſtat. quae qui-
dem ſententia in eodem loco, & Plotini videtur, quan-
dòquidem dicit lumen ex ſubiecto quidem emicare. at
non tamen in aliud ſubiectum trãſire: verùm ſi fortè ad-
ſit illi ſubiecto qualem qualem paſsionem inferre.
4260 quae ſententia & Platonis, & Ariſtotelis eſt. clxij. con-
4261 ſolet etiam dubitari num luminis, colorisquè diuerſae cordia.
ſint ſpecies, in qua dubitatione Auempaces arbitratus
eſt coloris naturam, & ſpeciem, non differre à natura lu-
minis, ideoquè colorem, & lumen putauit eſſe eiuſdem
ſpeciei. hiſce adiecit colorem in tenebris nihil eſſe actu
ſed tantùm potentia, ideſt inchoatione quadam, quàm
poſtmodum

postmodum perficeret praesentia luminis illius, quod expelleret tenebras. quam opinionem tùm poeta sequutus est, quandò cecinit.

„ Rebus nox abstulit atra colorem.

2. de ani. com. 65.

4262 sed Auerroys acutè refellit hanc opinionem. cum enim omne receptiuum per se alicuius naturae, careat natura, & specie quam recipit, propterea color per se diaphani motiuus, quatenus à lumine illustratur, non est eiusdem speciei cum lumine. pulchra sanè sed non satis efficax ratio. hanc tamen opinionem alijs rationibus tuebimur.

MODVS VIDENDI.

4263 nunc ad eam nobilem controuersiam inter Platonem, & Aristotelem de modo videndi transeamus. duo itaquè apud antiquiores Philosophos de videndi ratione principes fuere opiniones. nam alij per emanationem ab oculo, alij per interius assumptionem, videndi opus fieri voluerunt.

4264 rursusquè vnaquaequè opinio bifariàm diuisa fuit: nam vel per materialium, corpulentarumquè rerum, cùm influxum, tùm effluxum id effici censuerunt, vel è contra per spiritalium, materiaquè carentium rerum ingressum aut egressum animas videre dixerunt.

DEMOCRITI, LEVCIPPI, ET EPICVRI OPINIO DE MODO VIDENDI.

4265 Democritus, Leucippus, nec non & Atheniensis Epicurus à rebus quibusq; per tenues meatus materiales quosdam effluere dixerunt imagines, quae ad praefinitum spatium non solùm corporis qualitates conseruarent: sed formas etiam, & figuras integras custodirent, & retinerent, quae postmodum per occultos meatus videntis ingressae, non solùm visum: sed phantasiam etiam ipsam ad se dignoscendum excitarent. hinc & ex eorum opinione Lucretius.

4. de rat. rerum

„ Perpetuo fluere vt noscas è corpore summo
„ Texturas rerum tenues, tenuesquè figuras.

HORVM EXPVGNATIO.

4266 caeterùm si simulachra illa species, & formas à re visili prodeuntes nobis indicarent, corporaquè appellarunt,

tùm

tùm quòd à corporibus emanare dicuntur, tùm quod circumſcribi cernantur, non perperàm ſenſiſſe viderentur.

4267 at quia Idola eiuſmodi, & ſimulachra illa ſolida, & corpulenta voluerunt, quod vel ex iſtis Lucretij carminibus liquet. 4. de nat. rerum

„ Nam cum mittitur extemplo protrudit agitquè
„ Aere, qui inter ſe cunquè eſt, oculoſquè locatus,
„ Iſquè ita per noſtras acies perlabitur omnes,
„ Et quaſi perterget pupillas, atquè ita tranſit
„ Propterea fit, vti videamus quàm procul abſit.
„ Res quaequè.

(quo pacto enim res immaterialis protruderet aerem?) propterea valdè lapſi ſunt. hoc enim figmentum, vel vnico poteſt argumento aboleri. tranſuerſis enim, atq; etiã aduerſis vẽtis, auferrẽtur ſimulachra. at nõ auferrũtur.

4268 cui ſanè obiectioni non reſpondet Lucretius, quamuis id moliatur in his carminibus. 4. de nat. rerum

„ At contrà tenuis ſummi membrana coloris,
„ Cum iacitur nihil eſt quod eam diſcerpere poſsit
„ In promptu quoniam eſt in prima fronte locata.

4269 praeterea quae etiam à tergo ſunt ſita videremus: ſimulachra enim illa volitantia in gyrum ſubuecta placidis auris ad pupillam peruenire poſſent.

4270 et haec eadem aduerſus optimi, doctiſsimiquè Fracaſtorij ſententiam dicuntur, qui eiuſmodi ſpecierum ſtatuit effluxiones. de Symp.

PLATONIS OPINIO DE MODO VIDENDI.

4271 Plato cum Pythagora, & Empedocle voluit in videndi opere ab oculis lucidos quoſdam effluere, & emanare radios, corporeos quidem illos cum de corpore exeant: verùm tenues admodum, & pellucidos, ita vt quodammodo inter corpoream, incorporeamquè naturam medij rectè exiſtimari poſsint. hos in cognatum exeuntes aerem, actu inquam lucidum quodammodò cum illo ferri, ab eoquè foueri, & robur capere. pariquè etiam modo à viſili re exire lucidos quoſdam radiorũ, nitores, Proclus in Tim. Leon. p. de ſenſu, & ſenſ.

qui prioribus complicati, mixtiquè radijs, apta quadam proportionis harmonia illam nimirum luminum efficiunt commixtionem, quam συναυγίαν Academici nos corradiationem dicere possumus.

4272 quam opinionem vt tueantur Academici dixerunt luminosos eos spiritus, qui ab oculis exilire dicuntur, non esse huiusmodi corpora composita qualia illa, quae ad se inuicem agere, & pati nata sunt. (fuit enim haec opinio Empedoclis, & forsan Stoicorum) sed esse quosdam, & species animalis spiritus ab eo exeuntes, non per resolutionem aliquam, aut cuiuspiam discessum rei. sed sicut lumen à luminosi praesentia corporis desfluit.

4273 atquè istae species cum à composita, materialiquè re nō prodeant, sed à spiritali, propterea medium inter eas species tenent, quae à rebus à materia separatis oriuntur, & quae à materiali, compositaquè re penitus prodeunt.

4274 istae itaquè mediae species cum à corporea procedant re in aliquo continentur loco. quoniam autem spiritalis sunt corporis actus, non succedendo, & per partes: sed subitò illas agere nihil sanè prohibet.

4275 si dicant itaquè Academici ab oculis in videndi opere aliquid exire, nequè tamen ob id aliquo pacto destrui aut deficere visionem: cum non materiale quippiam id sit, quod in visione foras emittitur: sed spiritalis quidam actus. quamobrem nequè absumi posse, nequè interire, quamuis longissimè se porrigat, nequè procellis sanè cōvelli, nequè ventis dissipari, cum ipsi non misceatur medio, nequè illius passio efficiatur, omnes Peripateticorum rationes contra ipsos corruunt.

4276 quòd si quaeras radiorum emissorum vtilitatem, respondebunt Academici eos ex oculis promicare. tùm vt visilem rem vbi est cernere posit animal. tùm vt de spatij interstitio rectè discernere sensitiua illius vis planè queat. nam visus medio collustrato, & diaphano indiget, à cuius lumine perficitur, eiusquè nimirum vtitur etiam interuallo ad commensurationem, proportionemq; cùm actionum, tùm passionum, quae ad se inuicem videns, & visum exercere censentur.

quae

4277 quae res luculenter profectò, & commodè quaestionis illius assignare videtur caussam, cur senes legendo si librum oculis admouerint non cernant, ijdem si ammouerint, plusquam interiecerint spatij facilè discernant, & lectitent. ea autem est quoniam debilis visiuus ille actus, & imbecillis à senum exiens oculis à valentiori nimirum & ob breuem, paruamquè distantiam efficatiori actu rei visilis praepeditur, & hebescit, qui si illi à maiori distantia occurrerit, refracto iam, & veluti castigato proportione coniunctus habili, ad videndi opus cum illo non immeritò efficitur cômodus. quod & Plutarchus sensit. in prob. Sym.

PLATONIS CVM ARISTOTELE
DE MODO VIDENDI
CONCORDIA.

4278 Platonem verò, & Aristotelem eiusdem in hac quaestione fuisse opinionis, declarant apertè vtriusquè verba. ait enim Plato colores ad efficiendum visum in oculum immitti τὰ φερόμενα ἀπὸ τῶν ἄλλων μορίων, ἐμπίπτοντα δὲ εἰς τὴν ὄψιν. in Tim. clxiij. concordia.

PLATONIS, ET ARISTOTELIS
DE INSTRVMENTO VISVS
CONCORDIA.

4279 in oculo duo spectari possunt, spiritus nempè lucidus ab animae sede influens, & ipsius oculi corpus, huiusquè têperies. Plato cum illius spiritus (vti etiam testatur Galenus) rationem haberet, dixit aspectum igneum non adurentê: sed aethereum, & lucidum. Aristoteles autem propter eos humores, qui in oculi corpore varijs tunicis inuoluuntur, eundem dixit aqueum. clxiij. côcordia. 7. de plac. Hyp. & Plat.

CONTRADICTIO GALENI DE
INSTRVMENTO VISVS
CONCILIATA.

4280 et ob hanc eandem distinctionem tollitur contradictio in Galeno, quae in libris de placitis cum Platone credidit oculum natura ignea constare, id est lucida, & aetherea, qualem ipsius spiritus ille vult esse, cum tamen in libro de vsu partium simul cum Aristotele doceat oculorû naturam esse aqueam, idquè confirmet ex his humoribus,

quibus oculi substantia constat.

COROLLARIVM.

METAPHORA FRANCISCI PETRARCHAE DECLARATA, ET DEFENSA.

4281 hinc & apparet quàm malè logodaedali quidam Petrarcham reprehenderint, quòd ignem glaciei tribuerit.

„ Ne fiammeggiar fra la ruggiada il gelo.

triplex enim ignis est species. pruna, fiamma, lumen.

EPΓA.

SONVS. ET IN EIVS AFFECTIONIBVS SIMPLICII, ET ALEXANDRI CONCORDIA.

4282 maximum est dubium in sono inter Graecos quo pacto per aerem procedat. est enim Alexandri sententia plures in aere percussiones fieri, vt successiuè prima pars posteriorem percutiat. verùm Simplicius asserit totum aerem simul tanquàm continuum quoddam moueri. Latinorũ verò opinio media est, quae & aliquo pacto eas Graecorum diuersas opiniones componit, & conciliat. cur enĩ non poterit realis sonus per aliquod spatium successiuè moueri: qui postea factus intentionalis in instanti totũ percurrat spatium?

2. de ani. 8. 72.

PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA DE SONO.

4283 sed cur ex Platone sonorum differentiae vsquè ad iecur defferri dicuntur? si enim vt existimat Foxius id ex eo est, quia in iecore sit sedes animae sentientis, iam Plato discrepabit ab Aristotele. at verò haec minimè concedet, qui ex eodem Platone recordabitur in iecore eam tantùm animae partem habitare, qua concupiscimus. quae ad cibum, potum, & res venereas pertinent.

in Tim.

in Timaeo 4. de Rep.

4284 an igitur significare voluit sonorũ suauitatem, quae auribus percipitur afficere in vtramquè partem non solùm ea quae rationalis sunt facultatis, & irascibilis: sed extendi vsquè ad iecur, id est magnam vim etiam habere ad excitandas, vel reprimendas naturales cupiditates, quarum sedes est in illa corporis parte? hoc enim idem Plato probare videtur, cum agit de vtilitate duorum primorum

clxv. concordia.

morum sensuum.

ODOR.

4285 de odore magna est discrepantia inter Auerroem,& Auicennam, nùm nempè intentionaliter (ignoscant scholastico Ciceroniani) vel realiter ad auditum perueniat. & sanè Auicennas illius visus est fuisse haeresis, quae odorē vsquè ad auditum realiter producit. commodior tamen nobis visa est Auerrois sententia, quae & species intentionales odori quoquè adiudicat. quo pacto enim vultures odoratu per tantam locorum intercapedinem possent? com. 97. 2. de ani.

ODORIS PARTITIO.

4286 diuiditur autem odor ab Aristotele bifariàm. alter enim per se sequitur alimentum, ideoquè nobis per se non adfert voluptatem tristitiamuè sed per accidens. quo sanè odoris genere bruta animantia exquisitissimè sentiunt, omnesquè huius generis modos sagaciter dignoscunt. nos verò non item.

4287 aliud est odorum genus, quod per se alimentum non sequitur, licet non sit absquè sapore, cuiusmodi sunt florū, coronariorumquè odores. quo genere odoris soli homines videntur sentire. caetera verò animalia nullum habere sensum huius generis odorum Aristoteles putauit vt potè quae ventri dedita sensum non habeant eorum, quae per se non faciant ad alimentum.

ARISTOTELIS CASTIGATIO DE ODORE BRVTORVM.

4288 verùm cum potentia olfactus eiusdem sit naturae in animalibus, quae eam habent, potentiae verò distinguātur per actus, & actus per obiecta, impossibile ferè videtur, quòd bruta non percipiant hanc odoris speciem, quae sub subiecto illius potentiae quam habent continetur.

4289 quamobrem fortasse dicendum Theophrastum melius expressisse Aristotelis praeceptoris sententiam, hoc nempè genus odorum animalia bruta percipere: non tamen hisce odoribus tangi, vlloue pacto effici quoniam gulae, venereaequè voluptati, quibus natura dedita astrinxit bruta, non inseruiant. 6. de caus. plant.

CONCORDIA PLATONIS, ET ARISTOTELIS DE VEHICVLIS ODORVM.

in Tim. 4290 optimè itaquè dixit Plato medium inter aquã, & aerem aqua subtilius, aere crassius odoris esse subiectum: à qua sententia non recedit Aristoteles. si enim humidum tantùm aereum odoris vehiculum esset, quo pacto emitterent odorem alimenta? si verò humidum aqueum, quomodò subiectum odoris subtilius esset saporis materia? clxvi. concordia.

SAPOR.

4291 quapropter, & in sapore humiditas: sed magis crassa, est vehiculum siccitatis. siccitas verò eius accidentis, quod facit impressionem: non vt intelligas accidens accidentis esse subiectum: sed vtramquè à substantia, & in substãtia vna, reduci ad actum per separationem, ita vt quasi duo fiant, per alterum quorum agatur, nempè per siccitatem, per alterum iuuetur actio, nempè per humiditatem. humiditas enim ad penetrandum, & vehendum est comparata.

4292 quoniam verò nequè humidum hic, nequè siccum quatenus talia vspiam agunt, & sensile agit in sensum, necesse fuit aliam quaerere, quae ageret qualitatem. ea non poterat esse frigus. hypotesis enim est, distribuendas dissolutas humore partes, quae subire queãt. ergo fuit calor.

4293 diligẽter tamẽ quaerendum est quem nam intelligamus calorem. nam si quis velit in re sapida calorem esse fallitur. non enim omnia sapida calida, vt accida, acerba, & eiusmodi. fortassis itaquè assumendus est faucium animalis calor, qui reducit de potentia in actum saporem sapidae rei. 6. de caus. plan.

4294 quemadmodum etiam de humore dicendum est, quia nõ omnia sapida humida, ea sanè humiditate, quae per se fusilis subeat, veluti Aromata quaedam. sed siccis additur ab ore humiditas ad diluendum. ideo saliua data.

GALENI, PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA DE CONTRARIETATE SAPORVM.

4295 in saporum autem diuisione hoc inter Platonem, quem Galenus sequitur, & Aristotelem interest, quod hic extremis clxvij. concordia.

tremis differentijs ponit dulce, & amarum, rationem habens vel sensus, quem duo haec extremo quodam modo afficiunt, vel nutritionis, cum dulce maximè nutriat: amarum verò omnium minimè. Galenus autem, & Plato haec referentes ad temperamenta corporum, quibus insunt, & quorum signa sunt, acre, & acerbum pro extremis, dulce pro medio volunt esse, quia hoc naturae maximè temperatae indicium est, acre calidae, acerbum frigidae.

TACTVS.

4296 solet in tactu illud ab omnibus perquiri, vtrum hic sensus vnus ex eo debeat censeri, quòd obiecta omnia instrumento vniusmodi, & eadem ratione affecto percipiat. an verò multiplex quòd obiecti differentiae non possint sicut in alijs sensibus ad vnam primam contrarietatem reuocari. & sanè crediderim ego simul cum Philopono materialiter tactum vnum esse, formaliter verò multiplicem.

4297 nec instes materialiter eundem esse gustum cum tactu, si quidem lingua materialiter bifariàm sumi potest: vel enim consideratur vti pars est corporis, vel vti lingua est primo modo tactum à gustu non distinguit, quòd & Philoponus animaduertisse videtur. 2. de ani. in digr. de tactu.

PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA DE TACTV.

4298 Plato cum tactum terrae adiudicarit, iuxtà multorum opinionem ab Aristotele reprehensus fuit, qui pilos ossaquè non sentire ex eo testatus est, quià in eis dominatur terra. at facillimè possumus eos componere si dicamus terram vel secundum primas qualitates considerari, atquè ita à tactu explodi, vel secundùm densitatem, & consistentiam, atquè sic in tactu dominari. 1. de ani. t. 79. clxviij. cōcordia.

4299 posset etiam dici quòd dominatur in tactu terra non simpliciter: sed comparatione ad alia sensoria. & proindè alibi Aristoteles fassus est illud idem cum Platone. 2. de. ani. t. 132.

SENSVS COMMVNIS.

4300 de sensu communi optimè dubitat Albertus, quo pacto id quod in eo recipitur sit magis à materia remotum,

quàm quod à sensibus proprijs apprehenditur. videtur enim sensus proprius ipsius cõmunis motor. & sanè hanc dubitationem eo pacto diluit Albertus, vt non minus Peripateticus, quàm Platonicus videri possit. asserit enĩ in tali ordine secundum mouens, non accipere virtutem motiuam à primo mouente: sed ab alio quod est aliquid eius quod mouetur.

cap. vlt. 2. lib. de ani.

4301 est enim (ait Albertus) penes cõmunem sensum spiritus lucidus qui est vehiculum, & instrumentum ipsius, ob quod species maiorem acquirit simplicitatem.

CONCORDIA PLATONIS, ET ARISTOTELIS DE VEHICVLO SENSVS COMMVNIS.

4302 non erit itaquè nouum apud Peripateticos vehiculum sensus communis esse diuersum ab ostraceo.

clxix. concordia.

ALTERA CONCORDIA DE SENSIBVS EXTERIORIBVS.

4303 verùm si existimauit Plato sensus exteriores à mixto vehiculo posse seiungi & in duobus posterioribus vehiculis remanere, non ne dixit ea, quae ab Aristotele nullibi probata fuerunt? & sanè ita esse cogimur fateri.

4304 sed vt in hoc quoquè duo illi summi viri concilientur, possumus simul cum Iamblico, & Simplicio dicere sensus nostros, & iuxtà Aristotelis opinionem ab ostraceo corpore seiungi. quod quidem ex eo liquidò constat: quia ipse vnicuiquè sensui, sentire quod sentiat tribuisse videtur.

3. de ani. com. 2.

4305 rectè itaquè dicebat Iamblicus nostrum sensum cum irrationali sensu aequiuocum esse, si quidem cum eo, qui totus ad corpus declinat, is est aequiuocus, qui in se ipsum contrahitur.

CONTRARIA QVOMODO IN SENSV.

4306 perquiri solet quomodo in sensu contrariae species sint tempore indiuisibili. respondet Alexander, qualitates sensibiles esse quidem adinuicem contrarias: sed earum species, vt albedinis, & nigredinis, minimè adinuicem contrariari, neque repugnare. haec autem responsio

de sensu & sensi. com. penul.

iuxta

iuxta Stapulensis opinionem, non videtur rationi consentanea, neque Aristotelicae sententiae accommoda. in schol. 3. de an. c. 2.
asserit itaque melius nos respondere posse, si dicamus sensum exteriorem, & interiorem suscipere species contrarias non secundùm eandem organi partem. sed diuersas. vtraque responsio insufficiens.

ALEXANDRI, ET STAPVLENSIS CONCORDIA DE MODO, QVO CONTRARIA RECIPIVNTVR IN SENSV.

4307 consideratur enim in vnaquaque sensatione, tùm receptio, quae materiei vicem gerit, tùm iudicium, quod tāquam forma est, & sanè penes receptionem loquutus est Stapulensis rectè: sed penes iudicium optimè Alexander: in iudicio enim albi, quod album sit, & nigri, quod nigrum sit, non sunt contraria, quandòquidem simul huiusmodi iudicia vera sunt. at iudicio albi, quod sit albū contrarium est iudicium albi, quod sit nigrum, quae certè nunquam in sensus iudicio simul esse possunt.

PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA DE PHANTASIA.

4308 in phantasia existimatur Aristoteles Platoni aduersatus eo in loco quo phantasiam connexionem sensus, & opinionis negauit, cum Plato visus fuerit dixisse, phantasiā esse ex opinione, & sensu. hanc autem discordiam optimè componunt Philoponus, & Simplicius, dùm asserunt non eo modo Platonem mixtionem intellexisse, vt ex sensu, & opinione inuicem commixtis insurgat imaginatio: sed eo modo quo media quaedam dicuntur misceri ex extremis, quae etsi simplicia ipsa sint, commixta tamen dicuntur ratione conuenientiae, quam ad vtraq; extrema retinent. 2. de an. t. 158. in sophista clxx. concordia.

4309 eodem pacto, & in Timaeo dixit animam ex impartibili, partibilique substantia constare ea ratione, qua media simplicia, cum simplicibus extremis aliquo pacto communionem quandam habent.

COROLLARIA.

4310 proindè clarum est Auicennam, Albertum, & D. Thomā Auicen. 1. 6 p. 4. c. 3.

Platoni

Alb. 3. de an. c. 1. 2. 3. S. Th. q. 78 art. 4. Platoni, Aristoteli, & veritati repugnare, dùm aestimatiuam à phantasia seiunxerunt: phantasia namquè aestimatiuam habet, quatenus illi cum opinione conuenit.

4311 et in brutis nũquam aestimatiua à phantasia seiungitur. secus autem in homine ob nobiliorem potentiam.

4312 apparetquè & perperàm Albertum, & Auicennam imaginationem à phantasia seiunxisse. habet enim phantasia illam facultatem, quam Albertus imaginationem dicit, quatenus operationem sensui viciniorem promit.

ΕΡΓΑ.

ORGANVM PHANTASIAE IVXTA OPINIONEM ARISTOTELIS.

4313 in primo sensiterio idest corde, siuè illius sanguine, siuè illius spiritu (hoc enim in praesentia indiscussum relinquimus) eae figurae, siuè rerum imagines insigniuntur, quae sanè vestigia sunt earum, quae à sensilibus praefuerunt motionum in ipsis sensuum organis effectarum: & haec vestigia etiam ipsis absentibus sensilibus perstant, & remanent, veluti in promptuario quodam penu reposita, vt memoriae postmodum deseruiant, & subministrent.

1. de me. & re. c. 11. 4314 caeterum vt dicebat Themistius animaduertendum est, nè fortè configuratio illa haudquaquam phantasia esse dicatur; sed potius ipsa phantasticae virtutis operatio, & actus circa configurationes, imaginesquè illas hoc censenda est nomine. alioqui imaginaremur etiam, si nihil circa configurationem illam actu operaremur, & in eodem temporis puncto in pluribus phantasiae versaremur simulachris.

4315 illud verò nemo ignorat, cum impressionem dicimus, abusionem esse nominum nam propriè impresio recessu & eminentia partium constat. quam sanè impressionem non committunt sensilia. nam qualis obsecro figura omninò albedini, aut colori est? qualis sapori, odoriquè? sed inopia vocabuli aptioris cogit nos hoc genus, modò impressionem, modò figuram, modò vestigium dicere.

MEMORIA.

Themist. cap. 12. 4316 quemadmodum autem animal depictum in Scheda, & animal est, & imago, & propterea subiecto vnum: sed consi-

consideratione, & ratione cōuarians. ita de simulachris, quae in nobis sunt censeri oportet: quatenus enim ipsa seorsum spectantur, possunt spectra, & visa nuncupari, quatenus verò aliud quid tanquàm imagines, & picturae referunt, tùm subiecta, & alumna memoriae nuncupātur.

4317 idem itaquè sensiterium iuxta Aristotelem, & phantasiae & memoriae deseruit.

CONCORDIA ARISTOTELIS CVM MEDICIS DE ORGANO PHANTASIAE, ET MEMORIAE.

4318 possumus etiam ex Aristotele demonstrare organū phantasiae, & memoriae in capite esse.

REMINISCENTIA.

4319 reminisci autem dicitur homo quando ex se ipso, & à principio in se reperto, & existente ad ea mouetur, quae id consequuntur principium.

PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA DE REMINISCENTIA DISCIPLINARVM.

4320 nec credas in reminiscentia disciplinarum Aristotelem differre à Platone: si enim deforis aduenit animus (vt Aristoteli placuisse videtur) praeexistere illum priusquā corpori coniugatur oportet, qua de re nihil ambigunt illi, tametsi in hoc sicuti in alijs multis fallantur. clxxi. concordia.

4321 si autem praeexistit scientiarum refertum, & plenum esse illum, & omnium in se habere intelligibilium species, & rationes Aristoteli certè consentaneum est, quas excitatus postmodum reassumit, & replicat: & proindè Aristoteles scientiam in nobis nullo alio fieri modo asseuerat, quàm remotis obstaculis, quae illam interim in nostris latitantem abstrusamquè animis praepediebant, & quo minus appareret obstabant. clxxij. concordia. 7. Physic.

CONCORDIA PLATONIS, ET ARISTOTELIS DE REGRESSV ANIMORVM IN CORPORA.

4322 et cum vterquè mundum ingenitum, atquè incorruptibilem, & nihil actu infinitum ponat, proindè animorum regressum in corpora, nec Aristoteles ipse (vt etiam clxxiij. cōcordia.

Cardi-

lib. 1. in cal. Plat. cap. 7.

Cardinalis Bessario docuit) negaret. in quo tamen regressu secundùm veram Philosophiam multi sunt errores, vt inferius demonstrabimus.

CONCORDIA PLATONIS, ET ARISTOTELIS DE INTELLECTV POSSIBILI.

clxxiiij. concordia.

in prolog. de mem. & rem.

4323 sed quo pacto, si haec vera sunt intellectus possibilis in rudibus hominibus vacuae tabellae similis erit? an Aristoteles nô ad simpliciter esse ipsius animi referre voluit: verùm ad operationem simul cum ostraceo vehiculo? ad quam perindè se habet animus, ac tabella in qua nihil sit descriptum, quae responsio fuit Leonici.

4324 nos tamen Iamblici responsionem potiorem arbitramur qui ex significatione vocabuli graeci intellectum tabulae malè scriptae comparari dixit.

exer. 307. cap. 12.

clxxv. concordia.

4325 quòd si instes Aristotelem palàm affirmare quodcunquè recipit nudum esse oportere ea re quam recipit, & omni natura eius, possumus cum Scaligero respondere, nihil extrinsecus recipere, quod habet idem numero, at non recipere idem specie, & analogia falsum esse. quis enim negabit viridem parietem recipere viriditatem illatam à lumine per vitrũ viride? nã si idẽ paries fuit albus, viridis factus est ab illo lumine: si indutus postea fuerit colore viridi, nô recipiet virorẽ illũ è vitro? sanè recipiet.

4326 fiet itaquè mutatio in intellectu non nouitatis: sed receptionis.

4327 quae opinio licet, tàm Peripateticis, quàm Platonicis noua sit, potest tamen iuxtà principia Platonis, & Aristotelis defendi.

CONCORDIA PLATONIS, ET ARISTOTELIS DE METEMPSYCOSI PYTHAGORICA.

in Tim. & in Phaed.

clxxvi. concordia.

4328 in transitione verò animarum per noua corpora non est credendum iuxta Platonem dari transitum in bestiarum etiam corpora. quòd si aliquandò id apud Platonem reperias, ex Zoroastri sententia declarandum id ita est, vt de interna metempsycosi non de externa intelligas.

4329 dicebat autem Zoroaster tuum vas habitabunt bestiae terrae

terrae, quòd si intrà nos bestiae sunt, intrà quoquè non extra de homine in bestiam, ac de bestia remigramus in hominem.

4330 quod & etiam optimè declarauit Boethius in hoc discursu. omne quod sit, vnum esse, ipsumquè vnum bonum esse palàm est, cui consequens est, vt omne quod sit, id etiam bonum esse videatur. hoc igitur modo quicquid à bono deficit, esse desinit: quo fit vt mali desistant esse, quod fuerant. sed fuisse homines adhuc ipsa humani corporis relicta species ostentat. quare versi in malitiam, humanam quoquè amisere naturam. de conf. l. 4. prof. 3.

4331 caeterum nec desunt, qui ista sic interpretentur, vt animarum, quae similem brutis duxerint vitam, aliae inter alias bestiarũ turbas diuersantur. quod ipsum Platonis doctrinae valdè consentaneum putat Olympiodorus: quoniam Plato animas purgatissimas inter Deos cẽsuerit versari: impuras autem inter sepulchra reuolui, quo fiat vt vmbris quandoquè terreamur, quippè cum corporei quippiam circa se contraxerint, sicut & in se. vnde fieri Plato vult, vt videri quandoquè possint. in Phaed.

COROLLARIVM.

CONCORDIA PLATONIS, ET ARISTOTELIS DE DAEMONIBVS.

4332 ex quibus vnicuiquè facillimè demonstrabitur, tàm Aristotelem, quàm Platonem Daemones cognouisse, nec solum bonos: sed & etiam malos. clxxvij. cõcordia.

ΕΡΓΑ.

PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA DE METEMPSYCOSI, ET IMMORTALITATE ANIMARVM BRVTORVM.

4333 dabitur nè saltem metempsycosis in anima brutorum? dari enim videtur Plato affirmasse, qui omnem animam immortalem asseruit. caeterum vt animaduertit ex Iamblico Philoponus sensitiua, & vegetatiua anima sunt quidem immortales, non autem aeternae. si enim vitae sunt nihil autẽ suscipit contrarium eius, quod suppeditat, quo pacto mortem suscipient? immortalis itaquè sensitiua, & vitalis clxxviij. cõcordia. in Phaed. 3. de ani. in digress. de intell. agen.

vitalis anima est, licet vtraquè corruptibilis existat, quoniam non quatenus est anima corrumpitur: sed quatenus est in corpore.

4334 materia verò vice versa aeterna quidem est: sed non immortalis.

4335 animus verò & immortalis, & aeternus.

PLOTINI OPINIO DE INTELLECTV AGENTE.

4336 Plotinus duplicem intellectum in hominibus posuit, hũc quidem semper operantem: illum verò aliquandò, inter quos primum intellectum agentem nuncupauit.

4337 cum enim ex Platone audiuisset animam semper mobilẽ esse, existimauit eũ illam semper mobilem dicere, quòd semper intelligat.

HORVM EXPVGNATIO.

4338 at malè. illud enim semper mobile apud Platonem magis habitu, quàm actu intelligendum existimamus. ex quo & superius deduximus in hac re inter ipsos concordiam.

4339 praeterea Plotini opinio, cum & sensui repugnet, & nulli nitatur rationi prorsus est explodenda.

PLVTARCHI OPINIO DE INTELLECTV AGENTE.

4340 Plutarchus verò intellectum agentem vim, & facultatem quandam animi supremam credidit.

HORVM EXPVGNATIO. ET PLATONIS, ARISTOTELIS, ET ALEXANDRI CONCORDIA DE INTELLECTV AGENTE.

6. de Rep. 4341 verùm (vti dicebat Plato) si eodem modo animus noster eget illustratione diuina ad cognoscẽda obiecta, quo Solis luce, vt colores illustrentur egent oculi (quemadmodum enim colores tanquàm imperfecta visibilia, vt potentiam visiuam ad actum deducant puro egent visibili Sole nempè, sic & obiecta materialia tanquàm imperfecta intelligibilia, vt actum potentiae intellectiuae impertiant puro egent intelligibili, Deo nempè) quo pacto intellectus agens animae pars erit?

clxxix. concordia.

Corollarium

COROLLARIVM.

4342 ex quibus patet quàm malè Platonis sententiam assecutus fuerit Diuus Thomas, qui Platonem asseruit ex eo intellectum agentem negasse, quòd quidditates abstractas per se intelligibiles posuerit.

EPTA.

4343 hoc idē dicebát Scotus quòd obiecta intelligibilia producuntur in esse intelligibili per actū intellectus diuini. 2.d.3.q.1.

CONCORDIA PLOTINI CVM ARISTOTELE DE DAEMONE PROPRIO.

4344 neque ab hac sententia recessit Plotinus dum affirmauit mente viuentem Deum pro Daemone habere praefectū. 3.en.l.4.

FELICITAS CONTEMPLATIVA, ET IN EA PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA.

4345 existimarunt autem multi sapientes possibilem intellectum vbi se coniunxerit cum agente intellectum adeptū dici, eumquè tùm fieri aeternum, & incorruptibilem. adeptumquè propterea vocant quia nullius praeterea commeatus egeat ad beatitudinem. Verùm si intellectus possibilis antequā se se illi coniungat nō est aeternus, nè postea quidem futurus est. non enim corruptibile naturaliter per vllius societatem fit vnquàm incorruptibile, neque ex aeterno, & corruptibili fit quicquam aeternū.

4346 praeterea quocunque modo beatitudo non est coniunctio illa: sed rerum omnium cognitio. exhausta itaquè omni potentia, imò verò expleta ipsius intellectus materialis, fit ille actu omnia intelligens, atquè ita beatus hoc modo.

4347 cum verò ex Platone intellectus noster verū ens cognoscere possit, sunt qui existiment eum hanc copulationem credidisse, cum absquè illa vera entia cognosci nequeát. 6. de Rep. at cur etiam ex Aristotele verum ens cognosci nequit, c'xxy. concordia. negatiuè, per effectus, conceptionibus communibus, & terminatiuè.

4348 labuntur enim absquè dubio Auerroys, & alij, qui nos substantias abstractas per hanc copulationem exactè cognoscere posse dixerunt. nostra enim cognitio in substā-

tijs

cont. gen. cap. 15. tijs abstractis (vt rectè sensit D. Thomas) semper à phantasia pendet saltem motiuè.

COROLLARIVM.

CONCORDIA SCOTI CVM D. THOMA DE OBIECTO ADAEQVATO INTELLECTVI.

4349 ex quibus facillima erit Scoti cum D. Thoma conciliatio, licet Scotus ens qua ens obiectum adaequatum intellectus asserat. Thomas verò ens sensibile. motiuè enim, & terminatiuè simul obiectum adaequatum intellectus est ens sensibile: motiuè verò, & terminatiuè simul, & alternatim obiectum adaequatum intellectus est ens, qua ens.

ΕΡΓΑ.

CONCORDIA PLATONIS CVM ARISTOTELE DE VIRTVTE MOTIVA.

clxxxi. concordia. 4350 arbitrantur nonnulli Platonem in eo Aristoteli consonãt non dixisse, quòd Plato intellectum virtutis motiuae principium existimarit: cum tamen Aristoteles appetitum intellectui adiungat. Verùm Plato de primo principio. Aristoteles de adaequato loquitur.

ANIMALIVM AFFECTIONES, ET EARVM DIVISIO.

5. de gen. ani. cap. 1. 4351 commodissimè post dicta subsequuntur animalium affectiones, quas ita simul cum Aristotele diuidamus, vt alię communis, siuè peculiaris generis sint: aliae verò nec communis, nec peculiaris generis. cuius diuisionis ratio acutè intuenti esse in promptu facillimè potest. in primis enim affectionibus non modo efficiens, & materialis caussa praestò sunt: sed & finalis quoquè. in posterioribus autem frustra quaerunt homines (si qui tamen tales sunt) finalem caussam.

4352 in recensione verò primarum affectionum à generatione animalium auspicabimur rectè: hęc est enim prima corporis, & animae affectio, siquidem anima prius vitales operationes promit.

Concordia

CONCORDIA AVERROIS, ET GRAECORVM CVM SVPRADICTA OPINIONE.

4353 nec tamen Auerroi repugnamus, qui librum de generatione animalium, post librum de partibus animalium connectit. si enim ille liber ea ratione consideretur, vti materiam, & efficiés mébrorum pertractat, liber verò de partibus animalium ita sumatur, vti formam, & finem partium animalium docet, cur non rectè Auerroys? l. p. de gen. an par. c. 1

4354 cur etiam & non rectè Graeci, qui (vno dempto Philopono) librum de generatione animalium, vltimum negotij animastici statuunt? potest enim sumi generatio, vt affectio perfecti animalis propria. in proem. l. de gen. ani.

4355 quae sanè opinio est ipsiusmet Aristotelis.

IN ANDROGYNVM PLATONIS.

4356 nos itaquè ab hac animalium generatione incipientes, dicamus primo optimè admodum marem à foemina distinctum fuisse, tùm quo eis expedita facilisq; ad ea quibus participant peragenda cognitio pateret. confusio enim inter ipsos mare, foeminaquè ad inuicem permistis, & cognitio imbecillis omninò, & confusanea, impuraquè, nec stabilis orіretur, tùm quòd distingui melius est, in quibus fieri potest meliorem à deteriori, mas autē tanquam motus principium melior foemina, quae veluti materia est. Philop. in fine primi de gen. an.

CONCORDIA PLATONIS CVM ARISTOTELE DE ANDROGYNO.

4357 cui sententiae non aduersabitur Plato, si Androgynum suum allegoricè de potentia, & actu animae declarabimus: in qua declaratione nihil est, quod nos obtundere queat. in Symp. clxxxij. cōcordia

MODI GENERATIONVM ANIMALIVM DIVERSI.

4358 in generatione nonnullorum animalium testes minimè adhibentur, atquè in his actu genitale semen collectum est, quod per meatus quosdam diffundunt. atquè hinc est, quòd sicuti ea quae recto intestino sunt, voraciora sunt,

eò quòd excrementum ob intestini rectitudinem egressum magis celerem habeat: similiter & quae testibus carent, meatibusquè tantùm vti pisces, & serpentes praediti sunt, omnibus ad coitum ociora fiunt.

4359 cui rei vt potè alicuius generis communi, & finis addi potest: nec enim longiore temporis interuallo pisces aquam in se continere, vt nos aera queunt: ob debilem enim calorem suffocarentur. in piscibus itaquè celerem excretionem fieri necessarium fuit: quia vt homines, sic & reliqua animalia in coitus fine spiritum continent.

4360 quae verò testibus praediti sunt, eos vel extrà, vel intus habent.

4361 cunctis autem animantibus, quemadmodum auibus, intus testes habētibus, qui in meatibus anfractus sunt, quin ocius piscibus semen emittant impedimento sunt? sed cum intus testes habeant, qui & ob id calidi, & caliditatis caussa semper reseratos meatus habent: proindè in his collectio, secretioquè genitalis seminis ocior est ac fit in habentibus extrà testes.

COROLLARIA.

4362 hinc patet tria quaedam esse, quae citum genitalis seminis egressum impediant. primum quod per interualla genitale semen congregatur. secundum anfractus: nam & ipsi cùm natura flexuosi sint egressum impediunt. tertium frigus, qui densiores, contractioresquè meatus reddit.

4363 verùm nisi in plerisquè hominum, animaliumquè genitale semen actu est: sed coitus tempore fit; quid illud quo ad hanc voluptatem irritantur, mouenturquè? an (vt Philoponus animaduertit) naturae quadam vi, quae genitalis anima nuncupatur; non genitali semine moueri eos existimandum? p. de gen. ani.

EPTA.

IN ARISTOTELEM PRO GALENO DE NECESSITATE TESTIVM.

4364 existimauit Aristoteles ad melioris notae gratiam testes in generatione adhiberi scilicet, vt per eos meatus seminis magis essent aperti, & propterea ad testium sectionē

sterile

sterile reddi animal, quia tùm contrahantur venae seminales intus, & angustiores fiant, ac per eas semen viam parare sibi posſit. Galenus autem arbitratur ad generationem ita necessarios, sicuti cor ad virtutem vitalem, & cerebrum ad sensum, & motum, cui nos magis fauemus.

QVO PACTO HAE OPINIONES CONCILIARI POSSINT.

4365 possunt autem hae opiniones conciliari, si dicamus cum priori testes non esse necessarios ad generationem seminis, quatenus est animalium semen. hoc enim ex eo patet quòd nonnulla animalium testibus carent: cum posteriori verò fateamur esse necessarios ad generationem seminis animalium, quatenus habent testes.

4366 nec ob dicta tamen Galenus, & Aristoteles conciliantur.

SEMEN, ET ILLIVS SECRETIO IVXTA VETERVM OPINIONEM.

4367 existimarunt veteres semen à toto corpore secerni multis rationibus; sed praecipue ob eximiam delectationem in venere, & ob natorum, & parentum similitudinem.

HORVM EXPVGNATIO.

4368 quam tamen opinionem optimè reprehendit Aristoteles. si enim egressus seminis ex omnibus membris esset caussa geniti, non posset gigni ex mutilo membro perfectum membrum. praeterea (hoc enim clarius in stirpibus apparet) si semen secederet ex omnibus particulis stirpis, nō posset generari stirps habens multos ramos ex habenti pauciores. perperàm itaquè antiqui.

4369 nequè voluptatis vehemētia vellicat nos. non enim licet voluptas multa sit, aliquid à toto corpore secerni argumento est, quòd omne quod à pluribus fit, amplius illo sit, quod à paucioribus est. à prurigine namquè solùm talem voluptatem, eiusquè caussam oriri satis quidem experimento patet. si enim quispiam frequentius ea re vtetur, non vehementi: sed remissa voluptate afficitur. dicta verò in superiori positione secundam antiquorum rationem destruunt.

PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA DE SEMINIS SECRETIONE.

4370 quae si ita sunt, vti verè sunt, iam apparet quàm ardua sit in hac re Platonis, & Aristotelis concordia. non enim solùm Plato semen ab vna quaque corporis parte secerni visus est credidisse: verùm etiam & ex minimis animalibus ipsum semen constare, quae omnia Aristoteli repugnare, quis negabit? at si apud Platonem ea non modò sunt animalia, quae viuunt: sed & quae animae obtemperant: cur semen ex animalibus non constabit? quod etiam sensit Philoponus.

clxxxiij. concordia.

4371 verum cui nam animae obtemperabit? non enim animae patris quandòquidem semen à patre prorsus diuulsum, & separatum est, praeterea (vt animaduertit Scotus) in ordinatis p accidens esset ordo essentialis. an igitur obtẽperabit animae informatiuae, quam semen à corde paterno susceptit?

clxxxiiij. concordia

4372 cui declarationi exemplum de spõtaneorum motione ab Aristotele allatum valdè congruit.

2. de gen. ani.

4373 cur non etiam dicere possumus semen animae coelesti obtemperare? vnus enim & idem calor in semine tùm animalis, tùm coelestis potest appellari. animalis enim vti decidit ab animali quatenus animal. coelestis vti separatur ab animali quatenus coeli instrumentum.

clxxxv. concordia.

4374 ex qua consideratione multae, acerrimaequè scribentiũ componuntur lites. calor enim ille in semine existens, vti qualitas qualitatem, vti instrumentum substantiam efficit.

4375 altera verò Platonis, & Aristotelis concordia potest facillimè componi si cum Conciliatore dicamus semen à toto corpore decidere vigore non mole.

clxxxvi. concordia. diff. 36.

IN GALENVM PRO ARISTOTELE, QVOD FOEMINA NON CONCVRRAT ACTIVE.

4376 solet autem praecipue inter Medicos, & Philosophos illud perquiri, nùm foemina actiuè in generatione concurrat? & sanè si Galli semen non ingreditur in oui sub-

stantiam

ſtantiam: ſed perfundit, aut ſi ingreditur, tàm puſillum eſt, vt nè ciceris quidem expleat magnitudinem, & poſt horam prodit ouum aptum ad generationem: quo ex ſemine fabricet Galenus illa membra ſeminalia? eadem namquè ratio in Gallina, quae in ſemine.

4377 poſſumus tamen tueri foeminam actiuè concurrere, ſi ad primas qualitates reſpiciamus.

IN EADEM RE PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA IN GALENVM.

4378 Plato etiam ante Ariſtotelem foeminam actiuè concurrere, his verbis vt & Philoponus teſtatur negauit. lib. 1. de gen. ani.

„ Cum vulua nullo edito fructu praeter congruum tē-
„ pus diu conſtiterit, dolore cum indignatione affi-
„ citur, ac erroribus per totum corpus effuſa, nec nō
„ ſpiritus meatus obſtructos reddens, foeminae re-
„ ſpirandi facultatem intercipit, ſimulq́; ad extrema
„ ipſam adigit, aliaſq́; omnifariàm aegritudines ac-
„ cumulat, quoad vtriuſquè deſiderium, amorquè, clxxxvij. concordia
„ ceu decerptas ab arbore fructus educentes in vuluā
„ quaſi in humum animalia inuiſibilia breuitatis gra
„ tia, ac forma carentia diſſeminauerint. Rurſus ſe-
„ creta intus magna enutriant. De hinc in lucem
„ edita animalium procreationem peragant.

QVIBVS EX OVI PARTIBVS PVLLI PARTES IN HIPPOCRATEM PRO ARISTOTELE.

4379 Hyppocrates è luteo pullum fieri ab albumine pullo cibū eſſe exiſtimauit. contrà Ariſtoteles ex albo naſci, luteo nutriri. cuius ſententiam potiorem credimus.

4380 tuebimur tamen abſquè contradictione aliquam pulli ſubſtantiam è uitello oriri.

4381 ſed ſi pullus ex albumine, nobilius albumen erit quàm vitellum, ſi vitellum cibus tantùm eſt, quare igitur vitellum in loco nobiliore: albumen pro ſtipatore, aut munimento habetur? an vt eſſet propius vim ſeminis, quam mas indit? ſi enim fuiſſet in medio non recepiſſet. vbi ergo incubatu, coepit ouum incaleſcere, ſeparatur, & fit

ex albo pullus.

PHILOSOPHORVM, ET MEDICORVM CONCORDIA DE CALIDITATE VITELLI OVI.

in par. 4. de gen. an. 4382 verùm (vt Auerroys adnotauit) licet medici asserant vitellum albumine calidius, à Philosophis tamen qui secus sentiunt non discrepant. est enim calidius quoad nos: non absolutè.

VITA, ET MORS.

4383 vita ex Aristotelis, & aliorum sententia est actio animae qua per se corpus alitur, & augetur: nam etsi cum vita pariter multae aliae vires coniunctae sint, vt in perfectis animalibus: tamen eius potissima vis in vegetatrice facultate posita est: quandoquidem illius finis vitae ipsa est conseruatio.

4384 huius rei caussa efficiens est anima, quae adhaerens corpori vitam illi primò impertit. ipsa verò vita, quae singulis rebus à natura diuersae durationis data est calido, & humecto potissimùm continetur, ita tamen vt omnis vitae vis in calore natiuo tanquàm agente caussa sita sit; atquè in humore veluti alimento necessario.

4385 principium autem vitae in medio collocari debuit. cû enim medius semper locus principem, & veluti regiam habere censeatur dignitatem (securitatis namquè plenus est, & ab omni aduersantium incursatione tutissimus) vitali meritò assignari debuit principio, vt ibi peculiare altricis animae esset domicilium, vbi & maior securitas, & aduersantium minor esset timor.

4386 quòd sanè prius in stirpibus videre licet, quarum cum triplices generationis ferè animaduertantur esse modi, aut enim semine, aut auulsione, aut insitione proueniunt, in vnoquoquè illorum productionis, & generationis initia ex medio sanè pullulat, & emergit.

4387 nam cum omnia semina sint biualua licet vnico, & perpetuo superinducti corticis velentur inuolucro, ex medio certè illo interstitio vbi geminae vniuntur partes, cùm plantarum pullulant caudices, tùm ipsarum conformantur radices.

4388 in auulſionibus quoquè truncus quidem euellitur, ſiuè praeciditur, & in ritè ſubactam deponitur terram, ceu medium quiddam, quod in ſe animae vim continet altricem. reliqua verò illius pars .i. ramus extrà terram eſſe ſinitur, qui poſtea naturali ſibi à defoſſo trunco ſubminiſtrata vi pullulat, & ſurculos, frondeſquè ex ſe producit, & generat.

4389 in ipſo autem inſitionis opere ramo falce reciſo à trunci ipſius corpore, ipſoquè poſtmodùm ſciſſo, in illius rimulam cuſpidatim deciſus ex aliena arbore immittitur ramuſculus, qui de alieno poſthac viuens, & veluti in nobiliorem adoptatus familiam generoſos poſtmodùm ſui generis generat fructus. in quo etiam generationis modo truncus ipſe medius eſt inter inſertum ramuſculum, & arboris illius ſtipitem.

COROLLARIVM.

4390 et proindè (vt etiam animaduertit D. Thomas) arboris vnitas numeralis à trunci vnitate numerali deſumitur. de iuuen. & ſenec.

EPΓA.

4391 huiuſmodi autem in animalibus principium thorax eſt, & in ipſo repoſitum cor, ſiuè quippiam cordi proportione reſpondens.

MOTVS CORDIS.

4392 maxima dubitatio apud Peripateticos eſt de motu cordis. non enim ab anima nutritiua videtur moueri, ſi quidem illius functiones à motu cordis diuerſae ſunt, nequè animae ſenſitiuae, vel intellectiuae adiudicari debet: quandòquidem intellectus, & ſenſus non mouent, niſi per appetitum. ſed nec naturalis eſt, cum ſit ad contrarias partes: componitur enim ex pulſu, & tractu.

4393 an igitur vti rectè ſenſit D. Thomas non eſt motus cordis illi naturalis, quatenus eſt, vel graue, vel leue, nec quatenus animatum eſt tali anima: ſed quatenus pendet ab anima, vti forma eſt illius corporis, in quo duo illi motus, qui apparent contrarij ſunt quaſi partes vnius motus cõpoſiti ex vtroquè quatenus deficit à ſimplicitate motus circularis, quem tamen pro virili imitatur. in opuſc. de motu cordis.

MORS.

4394 contraria est vitae mors, quae vel naturalis, vel violenta est.

4395 violenta mors est calidi extinctio, & exsiccatio. namq; propter vtramquè harum caussarum aequè mors animalibus contingit. extinguitur autem calidum ab inualescente illius contrario frigidi scilicet natura. exsiccatur etiam calidum vi aliqua interdùm ex qua violenta contingit mors, cum expirare scilicet. & refrigerari prohibetur, quare in sese conuersum, se ipsum sanè conficit, & destruit.

4396 mors autem naturalis est illa, quae eiusdem calidi exsiccatione accidit, cum id longo aeuo, & perfecto contingit aetatis termino.

IVVENTVS, ET SENECTVS.

4397 media inter ea duo sunt quasi inter fines iuuentus, & senectus quarum illa ab exordio vitae inchoatur ad maturitatem vsquè animati corporis, haec ab ea declinat ad interitum.

4398 optimè autem dixit Aristoteles iuuentutem pulmonis incrementum.

4399 senectutem verò eiusdem pulmonis diminutionem.

LONGITVDO, ET BREVITAS VITAE.

4400 vitae longitudo ab humidi copia, & multitudine est quidem: non tamen ab humoris copia, & multitudine solitariè accepta: sed sic cum calido se habente, vt nequè faciliter gelu stringatur, neq; rursum de facili exsiccetur.

4401 id autem accidere potest, tùm habili quadam inter calidum, & humidum proportione, tùm ipsius humidi qualificato quodam naturae habitu, magis ad aeream pinguedinem, & lentorem, quàm ad aqueum mucorem vergentis, quae sanè Aristoteles duobus expressit vocabulis quantitate nempè, & qualitate. per quantitatem quidē commensuratam intelligens copiam. per qualitatem vero ipsius pinguedinem, & lentorem humidi, quae ab aeris praedominio caliditati attestari censetur.

4402 sic enim repertum in corporibus humidum ob aeream caliditatem, nequè facilè gelu astringi potest, neq; paruo

negotio

negotio exsiccari, tùm ob lentorem, naturaequè illius viscositatem. tùm ob commensuratam copiam, quà à caloris connati actione diutius se praeseruare potest.

4403 superfluitates etiam, & excrementa iuxtà Aristotelem in corporibus generata, vel natura, vel morbo breuitatis vitae sunt caussa. quae satis breuiter, & obscurè dicta hunc habere videntur intellectum. quando videlicet ingenita excrementa cum vniuersa corporis complexione pugnantia illam superauerint, & pessum dederint, tùm dicimus illa interemisse animal, & destruxisse natura. quando autem excrementa ad vnicam tantùm corporis partē pugnauerint, & deinceps vniuersum prostrauerint animal, tunc dicimus superfluitates animal morbo interemisse.

4404 offert se se hoc loco dubitatio, cur stirpes, quae minus habent caloris quàm animalia, diuturnius vitae habeant tempus, quàm animalia. cuius quidem perfacilis est solutio, quòd illa cum adiunctum à terra sibi habeant humorem, quem per radices adducant, vetustatem suam semper reparant, quidquè firmiorem habeant humiditatem, quàm reliqua.

ARISTOTELIS, ET GALENI DE SOMNO DISCRIMEN.

4405 nunc eas affectiones percurramus, quae corporis, & animae sensitiuae communes sunt. in quibus somnus occurrit prius nobis, in cuius quidem natura explicanda vult Aristoteles vaporem eum, qui refrigeratus somnum parit de cibo, qui in ventriculo coquitur ad cerebrum excitari: sed non prius somnum facere, quàm Euripi more (vt ait) vltrò, citròquè commearit, & in illo refrigeratus suo pondere ad cor tanquàm ad caloris fontem descenderit, descendendoquè à superis partibus calorem reuocauerit. quod cum acciderit, tùm has spiritu (in eo enim est caloris substantia) quo sustinebantur destitutas suo pondere premi, vt quae animalia somni cupiditate tentantur, ea nec caput erigere posśint, nec palpebras attollere, tùm commune sensiterium refrigerari, ex quo praecipue

de som. & vig.

praecipuè sensus omnes obstupescant.

4406 Galenus autem arbitratur somnum naturalem esse à spirituum animalium refrigeratione in cerebro. cuius sententiam tuebimur.

PLATONIS CVM ARISTOTELE, ET GALENO CONCORDIA.

4407 verùm in sententia quam Alcinous Platoni adscribit id dubitationem aliquam habet, quòd cum ex oculis fluentes radij non modò lucidi sint: sed etiam calidi illis ad cerebrū noctu collectis, & in interiora receptis hoc magis videbitur incalescere. an si cum Galeno debet Plato conciliari istiusmodi refrigeratio non tàm in interioris sensus sede est intelligenda, quàm in vijs per quas spiritus ab illa influens se externis sensibus communicat?

de Dogm. Plat. c. 15.

4408 an potius (vt cum Aristotele componatur) dicendum est, spiritus istos visiuos pellucidos à refrigeratis vaporibus refrigerari?

clxxviij. concordia

SOMNIA.

4409 non solùm autem vigilantibus motus ij, qui ab his sensibus, qui extrinsecus obiecta sentiunt, gignuntur, incidunt: sed etiam tùm cum affectio illa, quam somnium vocamus existit: immò tùm maximè, interdiu enim cū sensus intenti sint, & occupati vnà cum mente expelluntur, & obruuntur, vt paruus ignis à magno, & à magnis parui dolores, ac voluptates. cum autem nihil agunt, & quiescunt, tùm exiguè videntur. noctu verò quia otiosi sunt illi sensus, qui per singulas corporis partes sunt dispersi, nec ipsi quicquā agere possunt, quod calor ex summis membris in intima se regerit, ad sensus fontem, & principium delabuntur, tumquè euidentiores fiunt omni perturbatione sedata.

4410 itaquè post cibum, & admodum pueris, vt infantibus somnia non incidunt, quia multa fit, tùm agitatio, vehementesquè motus propter eum calorem, quem cibus gignit.

4411 quocirca quemadmodum aquam, aut alium humorem, si quis vehementer bacillo commoueat, interdum nullū simulachrum videtur, interdum videtur quidem: sed

omninò

omninò inflexum, & deforme, vt aliud, atquè aliud esse videatur. sedata autem, & tranquilla aqua purum, & illustre videtur: sic & in somno visa, & motuum reliquiae, quae à sensibus eueniunt, nonnunquam à maiore quodā motu omninò obruuntur: interdum verò turbulenta quaedam visa, & prodigiosa, & ingrata somnia videntur, vt furentibus, febre laborantibus, & ebrijs.

4412 cum verò & tranquillus est, & secretus sanguis in ijs animantibus, quae sanguinem habent motiones sensorum, quae integrae seruatae sunt ab aliquo sensuum quieta, & sedata somnia ita efficiunt, vt aliquid nobis appareat, videamurquè ab his quidem, quae aspectu delabuntur videre. ex his autem, quae ab auditu audire.

4413 cum quibus omnibus, & Plato consensit, dùm testatum relinquit vigiliarum reliquias, quales & quibus ex locis haustae sunt, talia somniorum simulachra parere. in Tim. clxxxix. cō cordia.

4414 cum autem subtilis admodum, nequè multa fuerit exhalatio, tùm nos somniare non latet, proindè & falli non dicimur: sed dormientes adhuc saepenumero dicimus, hic quidem apparet Socrates: sed non est Socrates, verū illius idolum, & somnij visum, & eiusmodi sanè non vera sunt somnia: sed phantasmata quaedam, & reliquiae externorum sensilium adhuc perdurantes.

4415 dubium autē esse potest nùm esse possint homines, qui nullum vnquàm toto vitae spatio videant somnium, quales dicuntur fuisse Cleo Daulicus, Trasymedes Hereus, & Atlantes Lybica gens (ex Rhiani, Plinijq; testimonio) adhuc esse dicuntur. & sanè non modo istos dari asserit Aristoteles: sed & eos etiam qui cum ad multam aetatē nihil in somnis vidissent, procedente postmodum tempore cum in senium vergerent videre caeperunt, verisimilemquè horum accidentium subiunxit rationem. sicuti enim pueris, & illis, qui post assumptos cibos statim cubitum eunt somnia non vident ob vehementes, & multas exhalationes caput petentes, quae simulachrorum constantiam compositionemquè perturbant, & dissipant sic & illos somnia non cernere consentaneum meritò cēsetur, quos tamen nihil prohibet procedente aetate Plutar. de defe. orac: in secundo Achaicarū quin. nat. historiae. in fine libelli de somnijs

somnia

ſomnia videre poſſe, cum multa fiat in ſpiritibus perturbatio, aut aetatis, aut paſsionis cauſa.

DIVINATIO PER SOMNVM EX ARISTOTELE.

4416 quarundam inquit Ariſtoteles actionum phantaſmata eſſe principia, non eſt abſque ratione: vt enim qui quidpiam facturi ſunt, aut etiam qui faciunt, vel qui iam fecerunt, ijs per ſomnia rectam ad rem ipſam tendentia occurrunt, quorum cauſſa eſt quoniam à diurnis inchoationibus motus praeparatus eſt, ſic contra neceſſarium eſt eos qui in ſomno ſunt motus eſſe ſaepe diurnarũ operationum principia: quòd praeparata ſit iam in diurnis phantaſmatibus eorum intelligentia, & ita ſomniorum quaedam cauſſas eſſe contingit.

4417 alia verò rerum futurarum ſunt ſigna, rerum inquam futurarum non alienarum: ſed propriarum: quae nimirũ ad ipſiuſmet ſomniantis corporis, aut animi, qui corporis etiam affectibus quatitur diſpoſitionem pertineant.

4418 immò verò neque iſta vlla neceſsitate: ſed temerè etiã & contingenter euenire docet. vnde protinus adiungit, ſi quorum natura quaſi garrula eſt, & melancholica varias ſanè cernunt viſiones. cum autem multiplicibus, varijſquè moueantur motionibus plerunque aſſequuntur, ſicut nonnulli contendentes rapiunt.

4419 plurima autem ſymptomatibus aſsimilantur. maximè autem omnia quae excedunt, & quorum non eſt in nobis principium, vt quae de nauali bello, & de ijs, quae procul à nobis diſtant, ſunt.

DEMOCRITI, ET SYNESII CVM ARISTOTELE CONCORDIA DE INSOMNIIS, ET DE EORVM DIVINATIONE.

4420 quòd autem Democritus à rerum ſimulachris, tùm inſomnia, tùm earum diuinationem emanare ſenſerit, cum Ariſtotele aliquo pacto ſentire, & diſſentire videtur. ſi enim quiſpiam mentem illius perpenderit, & ad ſententiam magis quàm ad verba reſpicere voluerit, non corpulentas illum effluxiones, & rerum obſtantia quaedam, & mate-

& materialia Idola cuibrari, & occurrere credidisse viru alioquin talem, & naturae indagatorem, vel praestantissimum meritò existimandum est: sed formales quasdam, & spiritales imagines emicare, & somni tempore ad dormientium animos penetrare, voluisse credendum est. à qua certè opinionis ratione, neque dissentire Aristotelē nos ipsemet docere poterit, qui praemonstrantium somniorum, quorum principia in ipsis non reperiuntur dormientibus caussas esse dicit motiones quasdam, & sensationes noctu magis, quàm interdiu ad quiescentes animos subintrantes, phantasmataque efficientes, à quibus illi excitati futura sanè praeuidere possent.

4421 non erit itaque nouum, si ex Aristotelis opinione somniorum diuinationem etiam in his, quae per accidens sunt tuebimur.

4422 voluit itaque optimè Synesius, tàm ex Democriti, quàm ex Aristotelis sententia à rebus omnibus quae vniuersi ambitu, & natura comprehenduntur, siuè in praesentia existant, siuè in praeterito factae fuerint tempore, seu futurae posthac expectentur (namque is & quidam existētiae est modus) cùm praecurrentes habeant in rerum natura causa, Idola quaedam profluere, & ab eorum essentia iugiter emanare, quorum omnium vndiquè emanantium spiritum phantasticum, animae scilicet vehiculum primum clarissimum esse asserit speculum: circumeuntia namquè simulachra eiusmodi, & à vero laben ia statu tùm ob essendi imbecillitatem, & indeterminatam infinitatem, tùm quia à nemine dignosci, percipiq; possunt in hoc irretita spiritu, & illi sanè applicantia, tum primā sui effigiem ostendere, & reddere posse asserit.

4423 eorum igitur inquit, quae facta sunt, quoniam in essendi actum iam processerunt, perspicua passim mittuntur Idola, donec temporis diuturnitate imbecilla facta euanescant. eorum verò quae in praesentia existunt, vt potè quae adhuc constant validiora sanè, & manifestiora prouenire simulachra. futurorum autem indefinita certè, & admodum indiscreta, sunt enim haec veluti praeuolumina quaedam, & repraesantiones rerum nondum praesentium

tium, & ceu efflorescentiae quaedam rerum adhuc immaturarum, & nondum perfectarum prosilientes, & tanquam delitescentium seminum subobscura, & adumbrata inditia.

PLATONIS, CVM ARISTOTELE CONCORDIA DE DIVINATIONE PER SOMNVM.

4424 verùm cum Plato & omnes Academici diuina nonnulla existiment somnia, quae consopito corpore, vigilante verò anima vtilitatis, boniquè alicuius caussa hominum generi appareant nonnè è regione aduersantur Aristoteli? an & Aristoteles quaedam diuina esse somnia, quae supra humanum mentis captum quippiam praemonstrare valeant clarissimè voluisse videtur?

clxxx. cō cordia. 1. d̄ diuin. per somn.

ANIMALIVM MOTIO.

4425 expenditur etiam ab Aristotele animalium motio veluti affectio quaedam animalium: nec existimes eum nugari licet prius animalium incessum docuerit. potest enim (vt D. Thomas sensit) animalium motus bifariàm considerari, vt nempè ab organis, & à partibus quibusdam dependet, atquè ita in libello de incessu animalium assumitur, vel vt est aliquid in se absolutè, quo pacto in libello de motione animalium consideratur.

in com. 1. de motio animal.

4426 nec cum aliquibus medicis credas musculorum opem in animalium motu Aristoteli fuisse ignotam, licet enim nō nominauerit, nequè definierit Aristoteles musculos: nos tamen propterea multò melius, quam Galenus Aristotelem fecisse arbitramur. Galenus enim à paruis muribus mutuatus nomen musculum motionis instrumentum efficit, quasi solus neruus ex vtraquè parte in ossibus implicatus non sit proprium motus instrumentum, quod tū intelligi facilè potest: quoniam si totum musculi corpus secaretur neruo remanente integro, nihilo minus motus per neruum, tanquàm per proprium instrumentum efficeretur: si verò incideretur neruus, reliquo musculi corpore integro, nè vestigium quidem voluntarij motus extare

extare posset. hoc autem cum optimè nouisset Aristoteles omissa nominis translatione, vbiquè motus voluntarij proprium instrumentum neruos in ossibus vtrobiquè inhaerentes appellauit.

METAPHYSICA.

4427 nunc ad summum ac primum omniũ scientiarum dictatorem, Metaphysicum nempè accedamus: ipse namquè solus omnium scientiarum vniuersalissimam, difficilimam, certissimam, & liberrimam scientiam contemplatur: cuius veritati non duo tantùm (vt omnes ferè Aristotelis interpretes perperàm dixerunt) sed quinque obsistunt, consuetudo nempè audiendi falsa, eruditioquè non recta, rectè docenti assentire nolle, nisi quod dicit, vt Mathematicus demonstret, nulli fidem praestare nisi sensibile sit, sensibiliuè constet argumento, nulla nisi alicuius vrgente authoritate recipere, nec posse nisi parua degustare. 2.Metaph:

METAPHYSICAE SVBIECTVM.

4428 ab ejus autem subiecto, quod ens, qua ens multis in locis asserit Aristoteles: secludimus primò Deum, nequè enĩ in primo vbi est infinita entitatis plenitudo, & pariter vnitatis, bonitatis, & caeterorũ vlla reperitur negatio, sicuti nequè in infinita luce aliquid inuenitur tenebrarũ sed in prima mentium, quae deficit ab illa summa entitate sicut quaelibet lux finita ab ipsa lucis infinitae deficit plenitudine adest primùm negatio, & per consequens affirmatio. opposita enim circa idem. propterea ipsum primum, & maximum est supra omnem affirmationem, & negationem, positionem, & ablationem immò, & supra omnem oppositionem: circa enim primum nulla potest contingere ablatio, nequè appositio.

CONCORDIA PLATONIS, ET ARISTOTELIS DEVM NON ESSE ENS.

4429 primùm igitur, nequè erit ens, nequè non ens, vt ens entis affirmationẽ, & non nõ ens entis negationem insinuant. occurrat itaquè entis affirmatio, vt quaedam ipsius primi, & maximi participatio, ita vt ea ipsum magis participent, quae magis bona, & vera ipsi similiora sunt, magisquè

magisque in affirmatione sunt, quae & Platoni valdè cósona sunt, propterea ex illius familia doctissimi viri ens vti nomen concretum semper assumunt.

ex'i. concordia. in fine 6. de Repub. Picus de ente, & vno.

PRINCIPIA ENTIS.

4430 atque sic iam habebit ens principia non solùm cognitionis: sed & etiam existentiae. iam enim explodenda est Scoti opinio, qui enti notionis tantùm adiudicauit principia. si enim Metaphysicae subiectum cognitionis principia tantùm haberet de subiecto minimè per se accidétia demonstrari possent: si quidem per se accidentia ex principijs subiecti demonstrantur.

in q. 1. Metaphy.

4431 neque aliud entis qua ens principium extrà mentem esse poterat praeterquam Deus. aliae namquè caussae particularem quandam naturam largiuntur. solus inter omnes Deus entis qua ens caussa.

DETERMINATIO SVBIECTI.

4432 ens quoq; ipsum quod appellant intentionale, & id quod est per accidens reijcitur à Metaphysici opera, si veritatis praeceptorem, huiusquè sapientiae authorem perfectum, Aristotelem assensione nostra dignum putamus.

in 6. Met.

4433 ens itaque qua ens id omne dicit, quod esse verè participat, si quidem ens (vt & Auerroys adnotauit) concretum est, esse autem illius abstractum.

in 7. Met.

4434 in hac autem participatione accidentia quoque cómprehédimus, quae Ioannes Duns ausus est negare ab se quicquam esse magno suarum sententiarum flagitio. partitur enim ens in substantiam, & accidens vniuocè licet analogicè. quare per essentialem distinctionem, differret apud illum accidens à substantia, adeo vt si ens esset genus, accidens habiturum fuerat peculiarem differentiam.

1. sen. dist. 3. q. 7.

4435 praeterea nullum esset genus in accidentibus, neq; praedicatio, neque diceremus viridis est color, flauus est color. non enim diuideretur color in species, quando nihil haberet essentiale commune quid, nihil essentiale peculiare quale, per quod illud diuideretur.

4436 his de caussis nobis ita videtur accidentia omnia habere suam essentiam conflatam ex potentia, & actu. vtrunquè verò habere pro efficienti caussa substantiam, at neutrã

esse

esse accidentis materiam veram. non potentiam. haec enim similis est materiae. non substantiae: haec enim solidum, atque integrum subiectum.

ENTIS AFFECTIONES,
ET EARVM ORDO.

4437 sunt autem affectiones entis vnum, bonum, verum, & similia, in quibus talis est ordo, vt cum prius iam vnumquodque sub ratione entis conceptum sit (entia namque dicuntur quatenus à Deo constituuntur, & prius efficit agens vnumquodque, quàm illud in se sit aliquid alioquin non secundum totum quod est, esset ab agente) immediatè sequatur vnum: vt enim vna quaeque res secundum se absolutè accipitur vna cognominatur. Picus de ente, & vno c. 6.

4438 tertia est veritas quia postquam est aliquid in se, videndũ est an sit tale, quale est exemplar ad quod fuit formatum.

4439 cui si simile inuenitur, reliquum vt in illud vtpotè affine atquè cognatum per bonitatem se conuertat.

4440 haec autem omnia eadem simul cum ente sunt: nam vt ait Plato, qui vnum non dicit, nihil dicit, est illud enim quicquid est à se indiuisum, & ab alijs diuisum, quae non sunt ipsum: siuè vt Platonis verbis loquamur, est idem sibi ab alijs alterum, quod vnicuiquè rei congruere in sophista confirmat. i Sophista

4441 verum etiam est ens necessariò: nam si est homo vtiquè verus est homo, idemquè dictu hoc non esse verum aurum & non esse aurum.

4442 similiter autem & bonum est, & longè errat Olympiodorus, sic credens probare aliud esse bonum, & ens: quoniã bonum simpliciter desideramus, esse autem non simpliciter, sed bene esse. ideoquè fieri posse, vt si malè sit nobis, non esse desideremus, nam vt illud omittamus quibus malè & miserè est, nunimè recto, & naturali desiderio appetere posse vt non sint: sed solummodò per accidens vt nempè malum esse euitetur. quod acutissimè Henricus Gandauensis vidit, non aduertit Olympiodorus, sicuti multiplex est esse, ita multiplicem esse bonitatem. in Phaed. in quolib.

4443 est enim primò esse naturale rerum, vt homini esse hominem, Leoni esse Leonem, quod esse & naturalis bonitas

induiduè sequitur: sunt alia esse, quae adueutitia dici possunt, vt homini esse sapientem, esse pulchrum. quemadmodum autem sapiētia, & pulchritudo alia entia sunt ab humanitate, ita alia bona sunt. sicut igitur omnia appetunt bonum, ita omnia appetunt esse, & primò quidē eam appetunt bonitatem, quae esse naturale consequitur, quoniam haec fundamentum sequentium bonitatum. verùm non illa eis sufficit bonitas, quam tunc adipiscuntur, cum primum sunt; sed cupiunt accedere, & reliquas quae illam primam absoluant, & exornent.

COROLLARIA.

Cic. 5 fin. 4444 ex quibus patet Stoicos melius Epicureis sensisse, qui primum appetibile vitae tutelam non voluptatem dixerunt.

CONCORDIA STOICORVM CVM EPICVREIS DE PRIMO APPETIBILI.

4445 possumus tamen eos in hac re minimè dissentientes demonstrare. vitae namque defensio primum appetibile cui. voluptas cuius gratia.

EPTA.

4446 sicuti autem verè dicimus ab hominibus praeter primā bonitatem alias appeti bonitates, ita verè dicere possumus praeter primum esse, desiderari ab eis alia esse: quia aliud est esse felicem, aliud esse hominem.

ΓΑΡΕΡΓΑ.

4 Metaph. quaest. 2. 4447 quòd autem harum affectionum ratione colligebat Scotus omnes affectiones idem esse re cum subiecto nō rectè dictum est. affectiones enim entis vel Thomae sectatores animaduerterunt, demonstrabiles sanè sunt, cum earum ratio posterior sit conceptione ratione subiecti, cuius rationem formalem per se consequuntur. at non reales.

Capreolus & Gaet. in tra. de ess. & ess.

4448 reales enim affectiones à subiecto re distinguuntur, alioqui caliditas, & leuitas in igne, quae (velit nolit Scotus) re distinguuntur, cum altera motus localis, altera principium sit alterationis in vno subiecto minimè inuenientur.

DIVI THOMAE, ET SCOTI CONCORDIA DE IDENTITATE SVBIECTI, ET AFFECTIONIS.

4449 quae licet ita sint audemus tamen, & hic etiam militiae nostrae robustissimos Triarios simul iungere. affectio itaquè secundum aptitudinem formalem realiter distinguatur à subiecto. vti sensit D. Thomas, non autem ita distinguatur affectio secundum aptitudinem non repugnātiae, quod omniū subtilissimus Scotus voluit dicere.

COROLLARIVM.

CONCORDIA ARISTOTELIS CVM EPICVRO DE FELICITATE ACTIVA.

4450 proinde apparet Epicurum, qui vltimum finem indolētiam statuit ab Aristotele minimè dissentire. Indolentia namquè vti aptitudo non repugnantiae idem est cum operatione animi in vita perfecta.

ЕРГА.

DIVISIO ENTIS CVM DIVERSARVM OPINIONVM CONCORDIA.

4451 Diuisiones autem entis realis ad Metaphysicum spectātes per se tres apud Auerroem reperiuntur, prima est qua diuiditur in substantiam, & accidens. secunda per potentiam, & actum. tertia per vnum, & multa. iuxtà quas scientia diuina secatur. com. 1. 7. Metaphy.

4452 sunt autem qui inter istas diuisiones de prima dubitent, idquè non satis rectè, cum vnaquaequè in suo ordine prima sit. quae enim diuidit per substantiam, & accidens est prima quoad quidditates, quae per potentiam, & actū prima est inter eas, quae dantur per relatiuè opposita, sicuti & per priuatiuè opposita, ea prima est, quae per vnum, & multa fit.

4453 at quo pacto vnum cum ente conuertitur, si & ipsum diuidit? an vt Albertus egregiè sensit (quicquid alij dicāt) vnum conuertitur cum ente, & diuidit ipsum ens: sed alia, & alia ratione? nam vt significat naturam eandem, sic cum ente conuertitur, vt verò addit priuationem diuisionis, sic fit entis diuisiuū, & opponitur multitudini. l. 4. trac. 1. cap. 1.

4454 in materiali substantia id solent omnes ferè perquirere compositum nè an forma ens magis sit, qua in re Auerroes formae, Alexander composito magis fauet. recentiores verò è Scoti familia sic arbitrantur eos componi posse, vt ratione perfectionis compositum, ratione independentiae forma praeferri debeat. quae sanè distinctio futilis, & inanis est.

Ant. And. 7. Metaph.

4455 compositum enim totum verius est ens, magisque vnum & independens, quàm sua materia, formaque. quanto enim quicquam vt subsistat pluribus eget, minus est ens, magisque pendet, cum indigentia ex discessu ab ipso primo, & per se sufficientissimo entis principio sit.

4456 materia verò primo eget esse ab altero, à se enim nequaquam subsistere potest. secundo sub altero alioqui vacua & otiosa, & sine vsu aliquo subsisteret. tertio ipsius formae gratia. sic enim absoluto, & simplicissimo rerum omnium authori similior euadit. quarto ipsius compositi gratia. quinto & eorum omnium gratia ob quae cópositum est.

4457 sic & forma eget esse ab altero, in altero vt in subiecto, in altero vt in toto & totius gratia, & eorum quoque ob quae totum est gratia. quamobrem quinque vt subsistat tàm materia, quàm forma indigent.

4458 compositum autem primò ab altero est, à quo eget vt subsistat. secundò ex altero: nam ex sua materia. tertiò per alterum: nam per suam formam. quartò alterius gratia. sustinet itaque compositum, vt subsistat solùm depédentias, indigentiasque quatuor.

4459 fit autem vnum compositum ex actu & potentia sola, absque vllo medio, proindè Eustrathius nó prorsus culpa caret, qui dum rationem perquirit qua de caussa summus rerum opifex irrationales facultates naturae hominú indiderit, asserit Deum postquam haec quoque mortalia ex materia constantia, quae suapte natura ad malú contrahendum prona sunt, produxit, animarum rationalium substantiam effecisse, quae iungi corporibus ex contrarijs rebus compositis possent. quia verò haec con-

8. Met. cap. vlt.

6. Ethic. cap. 1.

nexio sine medio nullo modo fieri poterat, cum corpora à rationali anima sine medio vllum bonum consequi, vllamue illustrationem nequirent admittere, propterea vegetalis, & sensitiua vita huic adiunctae sunt, quae mediae inter rationalis animae, & corporis copulationem, mutuamque cognationem intercederent, vt ex earum operationibus idoneum redderetur corpus ad affectionem suscipiendum, quae ex ratione induceretur.

4460 posset tamen defendi. Eu tra: hiis, si non animae rationalis substantiam corpori colligatam intelligamus: sed mentis virtutem, per irascibilis, & concupiscibilis virtutes corpori adiunctam dicamus.

QVIDDITAS MATERIALIS, ET IN EA PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA.

4461 in substantiae materialis quidditate saepius existimauit Aristoteles, tum eam recte cognosci, cum vt simum non vt concauum concipitur. quorũ verborum ratione miru est quantas turbas concitarint interpretes, cum alij quidditatem pro forma totius sumentes, materiam quidditatis partem fassi sint. alij verò solum formae vehiculum. nos, vt haec absoluamus, dicimus quodquid sub ratione quidditatis non nisi formam esse, si enim absolutè considerata aliam caussam, quàm formam clauderet, fieret vt neque abiunctis mentibus quodquid est conueniret. 2. Physic. 7. Metaph. Thomas, & Scotus Auerrovs, & Sectatores.

4462 si verò quodquid vti modificatum est consideretur, & vt rebus quibusdam coniunctum, ita eas caussas claudit, è quibus inesse dependet. cum enim quodquid est, principiũ sit, quo res est, propterea vbi quatuor caussae ad aliquid efficiendum praesto sunt, omnes ad eius quodquid est pertinent. nã vt res se habent vt sint, ita ad quodquid & ad definitionem, quod satis apertè confirmat Aristoteles secundo posteriorum, quando quodquid est duplex esse testatur, alterum quod habet caussam, alterum verò quod caussa caret. 9. Metaph. t. c. 42.

4463 verùm si partes quidditatis modificatae rei partes sunt, caussae verò extrà rem rei partes non sunt, quo pacto ad quodquid attinebunt? an quia caussae extrà rẽ ad quod-

quid pertinere dicuntur, non quia quidditatis partes sint: sed quoniam illius causae sunt.
4464 nec solum proximae: verum etiam & remotissimae causae ad quod quid est pertinent, cum & à remotis etiam res in esse pendeat. proinde ipsemet Aristoteles res exactè sciri, tum dixit, cum omnes causas earum scimus, & longinquas, & propinquas.

p. Phys. 2.

4465 et quemadmodu Aristotelico more ad entis immò maximè entis, vnius, boni, veri, & caeterorum diuinas rationes contemplandas, & primordia rerum optima nos ab his sensibilibus ob horum nobilissimam cognitionem traducimus, sic & Platonici ad primas rerum ideas.

clxlij. concorsus.

POTENTIA.

4466 altera est entis diuisio per potentiam, & actum. at quotuplex sit potentia, & quotuplex actus non satis constat inter recentiores Scholasticos. visus est enim interdum Scotus inter potentias, & actus, tum potentiam, tum actum obiectiuum reposuisse, quam ita nonnulli Auerrois sectatores oppugnant, vt obiectiuam potentiam à subiectiua re distingui negent, cum quicquid possibile est ratione agentis, id etiam & possibile sit ratione patientis, & è conuerso. quae sane opinio est penitus Aristotelica. quo pacto enim potuit Philosophus illos respectus re distinguere, qui nihil respectu agentis possibile posuit quod etiam & respectu passi non fuerit possibile.
4467 attamen & contrarium etiam tuebimur.

9 Metaph. q. 2.

Zimara cont. 3. in cô. Auer. super 9. Metaphy.

DIVISIO POTENTIAE.

4468 solet autem ab Aristotele potentia diuidi in rationalem, & irrationalem, inter quas cum illud interesse iudicauerit Aristoteles, vt irrationales ad vnum, rationales verò ad opposita tendant, ansam nonnullis praebuit dubitandi. cur enim per potentiam irrationalem mouetur graue deorsum, & quiescit, si potentia irrationalis per se vnius tantum est? an & sic vnius tantum est, cû ad quietem per motum perueniat? secus autem in rationalibus, nec enim medicina agritudinem per sanitatem, aut sanitatem per aegritudinem adipiscitur.

9. Metaph.

Num

NVM INTELLECTVS POTENTIA RATIONALIS, ET IN EO SCOTI, ET D. THOMAE SECTATORVM CONCORDIA.

4469 illud et saepius fuit inter D. Thomae, & Scoti sectatores discussum, num sit intellectus potentia rationalis? arbitratur enim Antonius Andreas ex mente Scoti intellectū in se consideratum, quoad proprium actum, qui est intelligere, potentiam esse naturalem. quod vbique Thomistae negarunt. dicimus nos intellectum esse potentiā naturalem quoad productionem ipsius actus intelligendi, sed quoad iudicium, cum diuersimodè possit ratiocinari, esse rationalem. 9. Metaph: q. 2.

ACTVS, ET QVAESTIO DE OVI, ET GALLINAE PRIMITATE IVDICATA.

4470 actus prior est potentia quoad speciem; quod sic intelligendum est, si speciem indiuiduo compares. potentia verò quoad indiuiduum. ex qua determinatione iam satis patet quo pacto ad quaestionem de primitate Oui, & Gallinae apud Plutarchum, & Macrobium dubiè pro vtraque parte discussam respondere possimus. prob. vlt. sym. cap. 16. satur.

LATINORVM PERIPATETICORVM CVM PLATONE CONCORDIA NVM DE ACTVOSO MOTV.

4471 cumque actus in transeuntem, & immanentem distinguatur, solet à Peripateticis latinis perquiri nūm ea sit optima inter eos differentia, vt immanens in agente; transiens verò in patiente subiectiuè sit, adsunt enim nōnulli, qui & transeuntem in agente tanquam in subiecto collocant, nos verò iudicamus respectum in agente. at actionem actam in patiente subsistere.

COROLLARIVM.

4472 ex quibus vnicuique iam clarum esse potest, & Latinos Peripateticos actuosum motū aliquo pacto cognouisse. clx'iij. concordia.

ERGA VNVM, ET MVLTA

4473 in vltima entis diuisione illae vltrò nascuntur dubitationes, quae ad veri inuestigandi cupiditatem possint

D. Thom. x. Met. nos excitare. si enim vnitas multitudinis est pars quo pacto illi contraria? an quia vnitas vt habet propriam formam opponitur multitudini. non autem vt est pars alterius, & includitur in altero?

PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA DE EODEM, ALTERO, AEQVALI, INAEQVALI, SIMILI, ET DISSIMILI.

4474 sed multorum & praesertim Auerrois, & Thomae sectatorum opinione est inter Platonem, & Aristotelem ob rationem vnius magna de re altercatio: cum enim vnum quoad suum formale indiuisionem dicat, & proinde priuationis subeat rationem, consequens etiam videtur, & idem & aequale, & simile sub priuationibus collocari debere, cum habitus alterum, inaequale, & dissimile comprehendat: haec enim ad multitudinem, illa ad vnum sequuntur: quae omnia nimis à Platonica Philosophia recedunt, quae alterum inaequale, & dissimile potentiae adiudicat. operaepraetium erit itaque vnum priuationē quoad sensum vocare: sensui namque magis coniuncta multitudo quàm vnitas. secus autem quoad rationem, quòd perbelle Ioannes Baccon adnotauit. (Bax'iiij. cō cordia. 1. sen. d. 33 q. 1. ar. 2.)

APERTA DIVERSISSIMARVM OPINIONVM DE RERVM MENSVRA CONCORDIA.

4475 cum autem, sicuti vnitas numeri mensura est, sic & in substantijs rem similiter se se habere dixerit Aristoteles, vt nempe detur aliquod vnum primum, quod omnium in genere substantiae sit mensura, solet perquiri quale nam id sit: non enim desunt qui dicant substantiam mensurari penes eius operationem, quando docuit aliàs Aristoteles rerum perfectiones, & virtutes mensurari per maximum in quod possunt. Auerroes verò Deum substantiarum mensuram voluit. vt enim caetera moderantur fine: sic & omnes substantiae Deo veluti fine suo mensurari debent. sunt & qui pro mensura materiam adducāt, vti calculatores, cum isti rerū perfectiones per recessum (1. c. 7. x. Metaph. — in p. coeli — l. x. Met. com. 3.)

à non

à non gradu statuant. Protagoras verò hominem omnium mensuram asseruit. dicimus nos has omnes opiniones sustineri posse. Plato in The. x.Metaph.

4476 si enim considerentur substantiae, vt in vno communi ponuntur genere, nempè quatenus omnes sunt species vnius generis communis. quod est corpus substātiarium, vt Auerroys docuit, est humana species omnium illarum mensura. est enim notissima, indiuisibilis, redditque omnes species non quidem replicatione quanti: sed continentia virtutum, cum habeat omnes virtutes elementorum, mixtorum imperfectorum, mixtorum perfectorum, & animantium. in paraph. praedic.

COROLLARIVM.

4477 et proptereà in hoc sensu illud iam omnium sermone tritum dictum Protagorae. homo omnium mensura. aliquibus rationibus obuallatum esse potest.

EPAPERGIA.

4478 si autem consideratio sit de substantijs, vt entia sunt: si ponuntur in latitudine penes accessum ad summā optimè dixit Auerroes Deum mensuram esse, quod sanè dictum infinitus Dei vigor non rescindit, nec enim assumitur Deus cum totali sua perfectione: sed cum imitabili, & communicabili tantum.

4479 in latitudine verò penes recessum à non gradu, materia est metrum.

4480 at quoad nostrae cognitionis modum operatio.

EPITA.

SVBSTANTIA IMMATERIALIS.

4481 sed redeundum est ad substantiae perscrutationem, atque circa illam versandum; quae cum à sensibilibus re sit abstracta, proptereà incorporea intelligibilisque passim à Peripateticis appellata fuit.

PYTHAGORAE, PLATONISQVE OPINIO DE SVBSTANTIIS IMMATERIALIBVS.

4482 Pythagoras, Platoque substantias immateriales mathemata, Ideas, & Deum dixerunt. 6.de Rep. Iamb. de mat.Pyth.

MAGORVM, ET ALBERTI OPINIO DE MATHEMATIS PYTHAGORAE, ET PLATONIS.

4483 nonnulli Magi, & Albertus mathemata numeros esse existimarunt. distinguebant enim numerum in instrumentalem, materialem, & formalem. instrumentalem numerum à rebus abstractum, quo ad res numerandas vtimur appellabant, & hunc cum sensibilibus rebus posterior sit, vt potè ab illis abstractũ, à sensibilium principijs reiecerunt; atque id rectè.

l. 1. Met. tract. 4. cap. 3.

4484 materialem autem numerum vocarunt res ipsas numeratas, quibus etiam & optimè principij nomen non adiudicarunt.

4485 formalem verò tantùm sensibilium principium arbitrabantur in quibus cum ad primas species recurrimus, occurrunt vnitas formae, & binarius materiae. vnitas enim est qua quaelibet res vna est. quaelibet autem res est vna, ea natura, qua ipsa est hoc quod est. at quaelibet res est hoc, quod est per formam: propterea quaelibet res est vna per formam, atque sic intellectus vnitatis positus, intellectum formae concludit, sicuti è conuerso si forma prius sumatur per formã intellectus vnitatis cõcludetur.

COROLLARIVM.

4486 ex quo conuincitur vnam, & eandem rem esse formam, & vnitatem.

E P [illegible] A.

4487 modum tamen alium habet vnitas, & alium forma. simplicior tamen modus vnitatis, quàm modus formae. forma enim, vt dat esse, dicit sui diffusionem in eo, quod participat actum essendi, atque sic spargendo procedit, sicuti lumen à lucente: vnitas autem, à qua res vna dicitur, eius quod est sparsa colligendo, & finiendo ad vnitatem terminat: propterea forma est principium per hoc quod est vnitas.

4488 materia verò duplicem habet considerationem. est enim formarum naturalium subiectum, & fundamentum, & ad illas est in potentia. per secundum est infinita; sed finibilis. per primum sustinet formam.

verùm

4489 verùm per ista duo, nô per id quod est, solet materia prîcipium esse. si enim secus esset, tunc in nulla habitudine ad formã, & ad motum foret principium. dualitas itaq; ista est, ob quam materia principium est.

4490 atquè forsan in hoc sensu Pici argumenta de numerorum virtute sustineri possunt. dicebat enim numeros, vt potè physicis formaliores, virtute quoquè pollentiores, si quidem formam sequitur virtus. addebat quod in suo esse minus dependeret, minorem quoquè dependentiam in suis operationibus habere. & proindè fortius, ac valentius operari, propterea numeros rebus physicis magis actiuos fore.

HORVM DEFECTVS.

4491 haec verò opinio licet in se vera sit, & à vera Pythagoricorum sententia fluat, in eo tamen deficit, quòd prima mathemata, à quibus, & numerus illè formalis pendet non tetigit. sunt enim illa iuxta Pythagoricorum opinionem re disiuncta à principijs naturalibus.

4492 suntquè penitus diuersa à mathematis Peripateticis per abstractionem. quod & Syrianus multis in locis Aristotelem coarguens declarauit. in 13. & 14. Meta.

VERA SENTENTIA DE MATHEMATIS PYTHAGORAE, ET PLATONIS.

4493 sunt itaquè mathemata noscitoriae, opificiaequè animarum coelestium vires. cum enim animae coelestes coelũ moueant sensibilium caussae sunt, propterea illae animae rerum inferiorum sunt quaedam quasi exemplaria, mathemata ab illis viris nuncupata. res verò inferiores mathematum imagines. Syrianus

4494 nequè tamen illis assentio, qui haec mathemata in omnibus rationalibus animis apposuerunt, vt similia similibus cognoscerentur. hoc enim Aristoteli repugnaret, qui contraria à contrarijs pati vult, eoquè effici arbitratur si sensu percipere, atquè intelligere pati quiddam sit, hoc in naturae dissimilitudine inter id quod sentit, atquè sentitur potius, quam in similitudine consistere. lib. 1. cap. vlt. d ani. clxlv. concordia.

Aristo-

ΤΑΡΕΡΓΟΝ.
ARISTOTELIS CVM GALENO CONCORDIA.

4495 obiter autem hic adnotasse operaepretiũ erit: Galenum qui concludit inter instrumentum, & qualitatem, quae sentitur, naturae similitudinem intercedere oportere, quòd similia à similibus secundum naturam alterentur, ab Aristotele non recedere. nam ille fortasse similitudinem spectauit ex potestate: hic dissimilitudinẽ ex actu, & energia.

de plac. Hyp. & Plat.

ΕΡΓΑ.

4496 conferunt tamen mathemata valdè ad cognitionem, tãquam vniuersalia ante partes, namque (vt rectè admodũ adnotauit Syrianus) non potest ex vniuersalibus in partibus, & post partes confici demonstratio, cum ea vniuersalia sensibilium nequaquam caussae sint: sed cum eis vel post ea emergentia.

14. Met. cap. vlt.

4497 à qua doctrina (quicquid Syrianus dicat) non abest Aristoteles, licet alicubi vniuersalium scientiam potentia, & per accidens ponat. intellexit enim de diuersis vniuersalibus à mathematis.

clxlvi. con cordia.

4498 adhibetur autem in his mathematis à Platonicis triangulus, vt demonstrent eas animas coelos informare. sicut enim Philolaus cum Deum vnitatem more Pythagorico nominasset, mox extensam materiam dualitatem cognominauit, propterea quod quemadmodum dualitas ipsa prima inter numeros diuisio est, sic materiae dimensio caussa est in primis, vt formae distractae, interse repugnantesquè euadant. ita & anima ab vnitate diuina pendens sesequè in materiam, quasi in dualitatem infundens, non aliter quàm triangulus ab angulo summo in duos similiter desinit angulos.

Fici. l. 17. The. Plat. c. 2.

PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA DE MATHEMATIS, ID EST DE ANIMIS COELVM INFORMANTIBVS.

4499 cum his autem consentire Aristotelem illi indicant Peripatetici, qui ex illius principijs duplex formarũ genus instituunt

Achillinus Iom. Iac. pauer. & alij.

instituunt. alterum quod subiectum constituit, & ab eodem in esse constituitur, quales formae sunt, quae ex sinu materiae educuntur, diuiduaeque ad sui subiecti diuisionem sunt. alterum quod etsi proprium subiectum in esse constituit: ab eo tamen non constituitur, cuiusmodi generis formae coelorum animae sunt.

4500 illas autem animas etiam ex Aristotelis opinione sentiẽtes quoque asserimus: si enim in animali diuino non adessent sensus temere ageret natura, atque vt in pluribus effectum non produceret. agens enim naturale cum agat sine cognitione, ab agente effectum cognoscente dirigi debet. virtus autem singularia cognoscens sine sensu nõ potest esse. Simplic. p. com. 3. de ani.

4501 mathemata verò Platonis Aristoteli penitus placere Simplicius, & nonnulli alij Peripatetici penitus demonstrarunt, qui animam sentientem, siue mortalis, siue aeterni animalis rerum sensibilium species virtute continere dixerunt, non ita quòd illae actu inter se secretae sint: sed quia ipsius substantia virtute omnia sensibilia existat, & per has species anima de sensibilibus iudicium faciat. clxlvij. cõcordia.

4502 veruntamen in animali caduco duae sunt species. altera quae non verè species dicitur cum passio quaedam sit, estque illa quae ob obiectis producta ad instrumenta decurrit. sensibile enim obiectum in sensitiuo sui speciem imprimit, qua proximè non sentit animal: sed ab hac solum excitatur. altera verò species est animae interna, & à generante, quando anima gignitur, producitur, perquã de sensibilibus iudicium efficitur. clxlviij. cõcordia.

4503 haec species accidens non est: sed animae substantia, quae etsi numero vna sit, ratione tamen multiplex euadit: nam vt varia refert varias sortitur rationes quoniã visibilis, & audibilis species nuncupatur. sensus etenim ab altera specie in sensitorio manente excitatus, per eam quam in se habet, de sensibilibus iudicat. clxlix. concordia.

4504 caussa verò quare fuit animali altera species elargita, est quod animali caduco sensus tributi sunt ob illius salutẽ sunt enim multa nocua, quae animal interimere possunt, quaeue continuo ei occurrunt, ergo necesse fuit, vt ab

obiectis

obiectis extrinsecis species gignatur, cuius ratione illud dignoscatur sensibile, quod animali iucundum, vel nouū est. omnia enim agens quod ad multa indifferens est, si eorum aliquid sibi definit, & determinat, noua caussa cōcurrit, cuius caussa magis hoc quàm illud producit. itaquè cum sensus vniuersa sensibilia referre posśit, igitur si hoc magis, quàm illud refert, noua caussa concurrit, cuius merito ad hoc, & non ad aliud definitur; estquè noua haec caussa species à sensibili externo producta.

I D E AE.

4505 caeterùm cur nam postquam ad mathemata vsquè peruenerimus, non possumus cum Stoicis in illis tanquàm in primo quiescere: sed vlterius procedere cogimur? an (vt inquit Plotinus) quoniam primò quidem intellectus ipse aliud quidam est meliusquè, quam anima. quod verò melius est natura prius existit: nequè enim sicuti multi putant anima cum iam perfecta est generat intellectū. quod enim aliquid in potentia est, vnde nam quandòquè erit in actu, nisi caussa quaedam praesit, quae perducat in actum? si enim casu quodam prodiret in actum, contingere posset, nè in actum quandòquè progrederetur. quamobrem necessarium est prima in actu consistere, nequè indiga: sed perfecta, quae & animae rationes infundant, quemadmodum & artificum animis artes ipsae rationes exhibent ad agendum.

l. 9. 5. enn. cap 4.

CAVSSA POSITIONIS IDEARVM.

4506 Platonem Aristoteles scribit cum Cratylo à puero versatum, imbutumquè Heracliti opinionibus, quae volunt ea semper fluere, quae sub sensum cadunt, nequè eorum perceptionem, & scientiam esse. & ob id Ideas posuisse, quibus semper se eodem modo habentibus scientiae, definitionesquè accommodarentur. quanquam ille nequè in Theaeteto, nequè in Cratylo Heracliti opinioni omninò assentitur, nequè etiam si hanc repudiaret idearum necesśitatem mirus agnosceret.

l. 1. & 12. Metaphy.

4507 nec tamen Carpentarij opinionem sequor, qui eo quod res multae oriuntur, & intereunt numeroquè infinitae

in digr. de Ideis in Alcin.

sunt

sunt, proindè ideam necessariam existimat, licet res illae in totum secundum substantiam quotidie non mutentur. nec enim tùm aeternorum essent Ideae.

ORIGO DISCORDIAE PLATONIS AB ARISTOTELE CIRCA IDEAS EX GEMISTHO PLETHONE.

4508 vt hanc autem caussam eruamus in lucem operae precium erit rem altius repetere. cardo itaquè & fons, atq; (vt Rhetores dicunt) omnis inter Platonem, atquè Aristotelem de Ideis cōtrouersiae status ex illo oritur, quòd alter factum esse mundum docet, alter non factum esse contēdit. Aristoteles enim cum earum rerum, quae ad sensus nostros pertinent ortum ipsae, & interitum sentientes ortus caussam, tùm gignenti alicui in eodem genere, tùm Soli ipsi assignasset. sempiternis autē quamuis illas nostri sensus attingant nullum prorsus authorem dedisset, cui id quod existunt, ac sunt acceptum referant vt in sententia maneret, sibiquè ipsi constaret, eas tollere formas cogebatur; si quidem eas sine propagine omninò & rectè censebat inutiles.

4509 Plato verò cum summis, & abstractis substantijs duas tribueret proprietates, substantiam, nempè eminentem, & virtutem, actionemquè per vniuersum communicabilē. Ideas etiam tanquam omnium exemplaria efficientia necessariò concedere oportuit. Ficinus in Parm. c. 28

4510 in quo apparet Platonicam disciplinam ex Stoica, & Peripatetica componi: nam Stoici diuinitatem eminētia, sinceritateque priuauerunt, prouidere tamen illā, & agere putauerunt per mundum vsquequaquè diffusam, & instar spiritus ignei discurrentem. Peripatetici verò opinari videntur substantias diuinas nec efficere sensibilia, nec curare, sed omninò segregatas existere, quod ne diceret Plato Ideas posuit. in Hippia.

IDEAE QVIDDITAS.

4511 Ideae quidditatem optimè ita Syrianus declarauit, qui ipsum vniuersum produxit est Deus: omnis Deus suo esse facit. omnis qui suo esse facit, simulachrum sui facit. qui igitur vniuersum ipsum producit, imaginem sui mundū facit l. 12. Met.

facit; si hoc est habet in se exemplariter caussas vniuersi. hae vero Ideae sunt.

4512 definiatur itaquè Idea rerum, quae natura constant exẽplar aeternum.

COROLLARIVM.

4513 hinc iam apparet nec in eo Platonem ab Aristotele dissentire, quòd magnitudines ex indiuisibilibus subsistere facit. nec enim illud Plato dixit, quod coeuntia indiuisibilia, & veluti compacta diuisionem faciant. haec nãquè Democriti est doctrina geometricis, & omnibus ferè scientijs contradicens; sed quòd indiuisibiles formae intellectuales, & impollutae opificiae, & viuentium effectrices, non exeuntes à se ipsis alia, & corporeas moles in vltimis subsistere faciunt. quae omnia Syrianus optimè anim aduertit.

ec. concordia.

l. 12. Met. cap. 6.

EPITA.

LOCVS IDEARVM.

4514 nobilis est controuersia apud Platonicos de Idearum loco, et omnes ferè in eo consentire videntur, vt Deum supra Ideas collocent. quod dictum quia magnam habet obscuritatem, & lubricam sententiam, proindè in hac prius alienis vestigijs insistamus, deinde & nostri etiam non nihil afferemus. est itaquè Platonicorum sententia esse infrà primum principium, ac supra animas corporum coelestium intellectus quosdam.

PROCLI, ET SYRIANI OPINIO DE NVMERO SVBSTANTIARVM IMMEDIATE A PRIMO EMANANTIVM.

4515 verùm de numero illorum, qui à primo immediatè fuũt est altercatio inter Plotinum, & Proclum. Proclus enim cui & Syrianus fauet existimat à Deo immediatè tres. abstractas substantias emanare: primam nempè essentiam, primam vitam, & primum intellectum, & essentiam quidem illam esse rebus essendi principium asseruit; vitam verò viuendi, intellectum intelligendi.

in Parmé.

4516 essentiamquè praeposuere vitae; quoniam latius extenditur essendi, quàm viuendi munus; vitam simili ratione intel-

intellectui praefecerunt.

HORVM EXPVGNATIO, ET PLOTINI SENTENTIA.

4517 dispositionem huiusmodi si Dionysium, Plotinumquè sequimur non admittemus, quoniam ex Philosophorum sententia ab exuberante Dei perfectione, res vna tantùm eaquè perfectissima immediatè emanare debet. at esse & viuere praestantius intelligere. oportet enim (vt Plotinus dicit) illam, quae primò essentia nuncupatur, non esse, quamdam ipsius esse vmbram: sed esse plenum habere esse autem tunc plenum est, quando intelligendi, viuendiquè speciem accipit. simul igitur in ipso ente sunt haec, intelligere, viuere, & esse. 5. en. l. 7. cap. 6.

4518 quòd si quaeras cur itaquè latius extendatur esse, quàm viuere, rursumquè viuere, quàm intelligere: respondebimus non quoniam illa tria principia sint per substantiam inter se distincta, & in ordine graduum vniuerso essentia sit superior vita, & vita superior intellectu: sed quoniam in mundo intelligibili dum ipse generatur à primo secundùm quemdam generationis illius ordinem. prius quodammodò sit essentia illa primi entis, mox verò viuat, mox intelligat. prius enim est, quàm moueatur prius mouetur, quàm per motum in se reflectatur. Ficinus c. 57 in Par.

4519 summatim verò intelligibilis illa substantia, si primo sui gradu perfecta esset, per nullum appetitum conuerteretur ad principium, & ad ipsum bonum: necessarium tamen est ad illud entia cuncta conuerti. nascitur itaquè illa, nondùm penitus absoluta: sed vlterius à quo est effecta perficienda.

4520 huiusmodi itaquè intellectus solus immediatè infrà primum principium est, id namquè est ipsum esse per se existens nulli naturae addictum. in intellectu verò esse est contractum ad intelligibilitatem, seu intellectionem. quapropter Plato posuit hũc intellectum in quo sunt rerum omnium Ideae. nam in primo principio res altiore modo sunt, quàm vt in eo exemplaria rerum constitui queant. exemplar enim omne cognosci potest, & quatenus exemplar est comprehendi. at in primo principio Car. Cõta. 4. 5. cõpen. Metaphys. 6. de Rep.

ſunt ſuprà cognoſcibilitatem, ac in arcano ſitae, quod minimè peruium eſt cuiuis intellectui. quamobrem Plato poſuit cauſſam exemplarem in ſecundo ente, in quo eſſe contractum eſt, ac definitum ad naturam intelligibilem.

4521 primùm itaquè in quod eſſe à puritate ſui degenerat eſt intellectus, qui iam aliqua natura eſt, non eſſe purum. verùm tàm latè fuſa, vt in ſe, ſuo tamē modo omnes quoquè res alias, atquè naturas comprehendat. qua in parte aemulatur ipſum eſſe deficiente tamen ratione, nam in principio res omnes ſunt ſecundùm vnicum eſſe eminens, ac praeexcellens quibuſcunquè naturis, ac cuiuis rerum modo. at in intellectu res omnes ſunt ſecundùm determinatam tamen rationem, & definitum modum, id eſt ſecundùm eſſe intelligibile.

l. 1. 4. enn. cap. 7. 4522 exiſtimandum praeterea eſt (vt etiam aſſerit Plotinus) hunc intellectum eſſe plenum omnium, quae & ipſe poſtea progenuit, & quaſi genita penitus abſorbentē, propterea quòd in ſe omnia complectatur, nequè in materiā labi ſinat, nequè nutriri apud Rheam, quemadmodum miſteria, fabulaequè de Dijs fingunt, Saturnum quidem ſapientiſsmum Deum ante Iouem genitum, quae generat in ſe ipſo iterum cohibere.

4523 ſolet autem à pleriſquè illud perquiri quo pacto in ipſis diuinis mentibus inſint iſtae formae. nequè enim multis videtur abſquè compoſitione illis ineſſe. cui quaeſito facillima erit reſponſio ſi dicamus ſubſtantias ſeparatas veluti rerum cauſſas ipſas res praehabere vti principia, & cauſſae quod ita tamen intelligendum eſt, vt tale principium non praehabeat formas rerum ſecundùm ſe diſtinctas: ſed tantùm virtute. quod & Syrianus, & Albertus dixerunt. (l. 12. Met. cap. 1; l. 12. tract. 3. cap. 19.)

4524 nequè tamen iuxtà Platonicos omnem compoſitionem ab intelligentijs ſeiungimus: rectè enim admodum author de cauſsis dicebat omnem intelligentiam ex finito, & infinito componi, id eſt ex natura & eſſe. natura enim in eis eſt infinita, eſſe verò finitum. ſicut enim albedo in materia non eſt infinita albedo, cum non habeat omnē (in prop. 4.)

albedinis

albedinis perfectionem: sed si esset albedo separata (quia illa non contraheretur per materiam recipientem) haberet omnem perfectionem albedinis, atquè ita esset infinita albedo, non tamen infinitum ens: nec enim haberet omnem perfectionem entis, sic & intelligentiae cum sint formae per se existentes non receptae in materia, sunt natura infinita cum in eis habeat natura omne complementum, quod ad perfectionem suae speciei pertinet. esse tamen earum est finitum.

4525 atquè ex tali compositione sequitur intelligentiarum multiplicatio: quia enim esse intelligentijs finitum est, ideo ob plenitudinem suam multiplicatur in ipsis.

4526 nequè tamē haec compositio vsquequaquè Platonica est. infinitum enim ex Platone magis ex parte esse, quam ex parte naturae applicari debuit. in Philebō

4527 sed illa ni fallor peracuta est subtilitas, qua demonstrare possumus substantias abstractas magis cōpositas esse materialibus: intelligentiae namquè, & animae coelorum tribus modis erunt compositae ex finito, & infinito: animae verò nostrae duobus modis. corpora materialia vno. natura enim intelligentiarum, & animarum orbiū est infinita, quia non est recepta in materia, est infinita duratione, & est infinita idest indeterminata: quia licet per primam caussam conseruantem fiat perpetua: attamen quantum est ex se potest non esse. anima verò nostra est infinita duratione, & est indeterminata, corpora verò sunt indeterminata, cum possint esse, & non esse. Egidius in com. prob. s. Alpharabij de caussis.

4528 illud etiam à Platonicis solet in dubium reuocari quo pacto superiores intelligentiae per species magis vniuersales, inferiores verò per species minus vniuersales cōgnoscant, si magis vniuersalia continentur actu in minus vniuersalibus. si enim res ita se habet, videbuntur intelligentiae inferiores comprehendere scientiam intelligentiarum superiorum non autem è conuerso. dicimus nos in abstractis à materia rem secus se habere, ac in concernentibus materiam. in illis enim quantò species sunt magis vniuersales, tantò perfectiores, & maiores comprehensiones, secus autem in illis,

PROPRIA OPINIO.

4529 quid autem impedit quominus primum intellectum re à Deo iuxtà Platonica principia nolimus seiungere. dicimus itaque primum intellectum esse quatenus Deus ipsae suae virtutis conscius, quot quantisquè modis sit extrà communicabilis non ignorat, & propterea non absolutè Ideam esse diuinam essentiam: sed quatenus huius vel illius speciei exemplar.

4530 addamusquè respectum eiusmodi non à rebus ipsis effici sed ab intellectu diuino suam cum rebus essentiam comparante.

QVARVM RERVM IDEAE.

cap. 8. de dog. Plat. & Arist.

4531 multis Platonicis inquit Alcinous minimè placet eorũ, quae arte constant Ideas esse, vt Clypei, vel Lyrae. Ideas enim opificias eorum, quae nec sunt à natura, nec à natura sunt non reliquerunt Platonici: nec artificialium Ideas esse putabant intelligibiles, & diuinas: sed rationes exemplares operatorum artificiales. quod & Syrianus dixit.

l. 12. Met.

8 de Rep.

4532 nec te moueat quòd aliquandò Plato mensae, ac lecti Ideam cognoscat. Ideas enim ipsas appellauit per quandam rationis similitudinem, hoc ipso scilicet quòd artifices in rebus singulis efficiendis Dei in natura prouidẽtiam imitantur, ob quae sic à Syriano rectè Aristoteles exagitatur. quo pacto (inquit) res artificiosas per exẽpla accuratè fieri concedens, & in his non renuens exẽplarem caussam, naturae opera, quae certè ars imitatur, absquè intentione perfici dicit, cum ad nullam determinatam caussam naturalis actio referatur?

l. 12. Met.

4533 nec eorum quae praeter naturam sunt Ideas Platonici posuerunt: nam si hae exemplaria sunt diuina, & intelligibilia naturam instituentia, & moderantia, eorum quae praeter naturam sunt nullo pacto possunt esse. sunt autẽ praeter naturam omnia mala.

4534 et propterea nec etiã singularium apud Platonicos erũt Ideae: non solùm ob id quoniam Idearum diuersitas in imaginibus, quae respondẽt speciei distinctionem parit. res autẽ singulares solo numero differẽtes solius materiae partitione

partitione non specie distinguuntur: itaquè sicut Socratem à Callia specie differre omninò à Philosophia alienũ est, sic apud Platonem absurdum est Socratis, & Calliae differentes Ideas ponere.

4535 verùm etiam & ob id quia omnia mala in indiuiduis sunt, & circa ea versantur. ob quae etiam omnium impijssimi Alexander, & Auerroes singularium cognitionẽ (Auer. cap. vlt. trac 4. Epit. Metaphys.) ab intelligentijs sustulerunt, nè si prouiderent vnicuiquè indiuiduo malorum authores dicerentur, atquè nouas susciperent notitias. quod ò vtinam, tàm in Aristotelis, quàm in Platonis Philosophia tutum non esset. (cci. concordia.)

4536 forsitan etiam in Platonica Philosophia tueri poterimus saltem singularium hominum Ideas esse. videntur enim apud nonnullos Platonicos, vt superius dictum est, animae humanae specie distingui, nec ob id quia in rebus nostris multa turpia, & mala sunt, propterea nostra non curant intelligentiae: nec enim eorum intellectus contaminabitur horum consideratione, quandòquidem nõ ad haec aspiciunt, vt haec prospiciant: sed ad se ipsas, vt intus aspiciãt, penes quas omnia sunt pulcherrima. quin etiam apud nos nihil est simpliciter malum: sed huic & illi malum, & turpè. alijs autem, & vniuerso bonum, atquè pulchrum, & quae apud nos opposita sunt, apud Deum sunt coniuncta, & saepe ad formam, & rationem vnicam rediguntur, vt sub forma boni, atquè pulchri malum consequenter, & turpe cognoscant. (Ficinus in Parmenid. cap. 33.)

4537 possumus etiam ex Platone asserere mali culpae nullam: sed mali poenae esse Ideam. poenae namquè, quae à plerisquè in malis numerantur hoc ipso bonae sunt, quòd à peccatis homines auocant. proindè Plato, Troianorum, & Pelopidarum poenas opera Dei ex eo asserit, quòd tũ Deus bona, iustaquè egerit, & eos puniendo iuuerit. (2. de Rep.)

4538 rerum etiam vilium ideas Plato negauit. arbitratus est enim eas diuinis mentibus indignas esse. quod & Aristoteles his verbis cõfirmauit ϗ γὰρ μὴ ὁρᾶν ἔνια κρεῖττον ἢ ὁρᾶν etenim melius est quaedam non cernere, quàm cernere. (ccij. concordia.) quo loci Alexander quemadmodum (ait) in nobis absurdum est, nec quisquam rectè viuens de quibusdã rebus (cap. 9. 12. Metaphys.)

considerare sustineret, vt de concubitus modo commodissimo, sic nefas esset affirmare diuinissimam, eandemquè optimam substantiam, quaeuis absquè delectu etiam despicatissima quaequè contemplari, vt dubium esse non debeat ab ipso non malum aut vile quippiam: sed quod diuinissimum est, & summo honore dignum intelligi.

4539 illa etiam composita, quae frustra, temerequè fiunt, nec mente: sed suo quaedam impetu in hoc sensilium genere confluunt Ideis ipsis apud Platonicos minimè cõtinentur. quae enim putrefactione fiunt ex quadam animae sorte contingere videntur aliud non potentis. alioquin fecisset procuIdubio aliquid naturae potius consentaneum.

CORОLLARIA.

4540 ex quibus apparet quantum à Platonico sensu deuiarit Auerroes, qui ob animalia ex putredine Ideas introductas existimauit.

12. Meta. com. 18.

CONCORDIA PLATONIS, ET ARISTOTELIS DE SPECIE DIVERSA ANIMALIVM EX PVTREDINE A SPECIE ANIMALIVM EX SEMINE.

4541 constat etiam & apud Platonem specie distingui animalia ex semine ab animalibus ex putredine, quod & Aristoteles sensit, vt optimè docuit Auerroes, licet non satis firmis rationibus.

cciij. concordia. 1. de gen. ani.

4542 nec tamen si cum recentioribus credamus animalia ex putredine monstra esse, & errores naturae eius animaliũ speciei, quae est ex semine, differret Aristoteles à Platone, cum iam superius dixerimus, & Platonem quoquè eorum quae praeter naturam fiunt Ideas negasse.

cciiij. concordia.

ΕΡΓΑ.

4543 relatorum etiam non sunt in Platonica schola Ideae in quo Aristoteles inconstantiae Platonicos arguit, quòd rationes illae quibus vtebantur ad probandas Ideas exactissimè, etiam relatorum Ideas esse confirmarent. quod Syrianus Platonicus conatus est dissoluere facta relatiuorum distinctione. habitudinem non substantialiũ inquit, Ideas

tx.4 l.13: Metaphys.

Ideas esse non dicimus, aut eorum quae sunt in motibus, aut quae secundum aliquem situm non naturalem perficiuntur, vt superioris, inferioris, dextri, sinistri, vicini, & aliorum huiusmodi. quaecunque verò per alicuius Ideae participationem ad aliquid facta sunt, vt similia, aut aequalia, aut diuersa. haec cum aliquo genere entis participent, altera verò minimè. omninò aliqua vna Idearum coordinationem inter se recipiunt.

4544 substantialem verò hanc habitudinem non Platonici tantùm: sed & Aristoteles ipse concedit, cum enim illud caussam, aut principium esse dicit, aut primum, aut continens alterum verò caussatum ex principio, aut secundum, aut contentum: quid aliud facit quàm, quod ordinem, quem inter se diuina habent, enititur ostendere? placet enim, & Aristoteli ipsi separabilium formarum, quibus Sphaeras vniuersi deuincit has quidem esse primas, illas medias, quasdam vltimas, & illas quidem maioris ambitus esse, has verò minoris, si quidem hunc habent etiam inter se ordinem, quem & aetheris Spherae inter se obtinent. ccv. concordia.

4545 addit verò Aristoteles eos non posuisse Ideas eorum in quibus prius, posteriusquè reperitur, atquè idcirco numerorum Ideas esse noluisse. quod de sensilibus numeris apud eos intelligendum, quos superius materiales diximus, siuè de instrumentalibus: secus autem de formalibus, vt diximus in mathematis. cap. 6. l. 1. Ethicorū

4546 nequè etiam partium, vt capitis, vel manus Ideas esse volebant, non quòd vt Aristoteles illis imponit, harum essentia toto posterior sit, aut quòd earum ratio non sit absoluta: sed posita in quadam ad totum relatione: sed vt ait Syrianus, quòd integrae existentes rerum caussae totas species, & formas producant, non diuisae circa harum partes, veluti naturae rationes. 1. Metaph.

4547 illud etiam omnibus his Syrianus adiecit, nec corporibus accidentium in intellectu determinatas caussas positas esse, vt dulcedinis, & albedinis. sufficere enim putabant naturales rationes ad actionem accidentium corporibus.

4548 ſed nec compoſitorum vt hominis ſapientis. cum enim ſimplices ſint Ideae ſimplicem ſubſtantiam exponunt. participare verò diuerſis ſpeciebus mouet intellectum noſtrum ad componendum hoc huic, aut diuidendum hoc ab hoc.

4549 neque eorum quae ex complexione diſsimilium generũ habent originem, vt Mulorum, neque eorum, quae ex diuerſis arboribus connaſcuntur. ſunt enim haec omnia poſteriusgenita, & aduentitia, & non ſolius naturae opera, nec omninò ſecundùm ſuas rationes procedentes: ſed veluti iniuria affectae, & fruſtratae, vel laborare coactae.

4550 neq; eorum operum, quae ab animae propoſito pendẽt.

4551 quòd ſi nec horum ſunt, neque etiam materiae erit.

4552 quapropter creatio apud Platonicos non ita eſt tuta, vt etiam refelli non poſsit. nam cum Ideae ſuo eſſe omnia non producant, ſat erit ſi ſubſtantiae abſtractae, & prae illis Deus, vt ſuperius diximus vnionis, ordinis, & motus tantùm efficientes ſint.

CONTRADICTIO PLATONICORVM
DE CREATIONE MVNDI
CONCILIATA.

4553 ſed cur ſi haec vera ſunt omnes ferè Platonici demptis, Plutarcho, & Attico creationem ex decretis Platonicis admittunt? arbitramur nos problema de creatione apud Platonicos Topicum eſſe. quòd ſi libeat eam defendere partem, quae creationem admittit, dicamus ſimul cum Ficino opificem, & patrem rerum omnes res intelligere, non quidem vt in ſe realiter ſunt res: non dum enim habent eſſe in natura: ſed tantum in ipſa diuina mente, verùm vt ab illis primò produci, & emanari poſſunt.

4554 poſſunt autem eo modo ab ipſis produci, quo ipſi cernũt poſſe res ſingulas certo aliquo gradu imitari diuinam formam, & bonitatem, & dum ita cernunt, dumque variam ſuae bonitatis fieri poſſe participationem, & captũ intelligunt, Ideas producunt, quae ita diſtinctae ſunt, vt diuinae participationis gradus diſtincti ſunt.

4555 verum autem eſt quòd res aliquas intelligunt diuinam naturam

naturam posse per se imitari, aliquas verò, siuè quia re habeant non esse potius, quàm esse, siuè quia esse imperfectissimum, & à diuina natura alienum valde nō per se: sed per aliud tantùm eandem imitari posse comprehendunt. ideo res quasdam per Ideas proprias id est eas quarum Ideae propriae sunt, & quas diximus diuinam per se naturam imitari: quasdam verò eas scilicet, quas diuinā per se naturā imitari non posse diximus per aliarum rerum Ideas quas habent ipsi intelligere dicuntur:

PVLCHERRIMA CONCORDIA
IOANNIS BACCONIS
CVM PROCLO.

4556 quod sanè duo grauissimi authores temporū interuallo valde distantes diuersis verbis sensisse videntur, Ioannes nempè Baccon, & Proclus. ille namquè iuxtà Philosophos Deum alia à se nō terminatiuè: sed vnitiuè cognoscere dixit. quod & idem Proclus ijsdem penè verbis visus est dixisse, qui de primo principio loquens sic ait.

1. sen. dist. 39. q. 1.

li. de decē dubit. cōt. prouid.

„ Illud cum in vno maneat spatio carens, & omnis di-
„ uisionis expers omnia eodem modo intelligit, nec
„ hominem solùm, & solē, & quod est eiusmodi: sed
„ etiam rem quamquè sigillatim: nihil enim est, quod
„ illud vnum effugiat, seu esse, seu cognosci dicas.
„ quo igitur modo haec ille singula cognoscet? vt
„ nempè vniuntur.

vidit enim & Proclus quod illud aliud in quo ista vnitiuè cognoscebantur, est semper absquè vlla lassitudine terminans actum intelligendi.

4557 ea tamen distinctione, quae omnes in hoc soluit dubitationes, vt in Deo Ideae distinguantur penes rationem: id est penes distinctionem, quae à suo intellectu, vt se rebus extrà se comparat ortum suscipit. in opifice verò formaliter. id est penes eam distinctionem, quae extrà eius intellectum ortum habet.

ARISTOTELIS OPINIO DE IDEIS,
ET DE INTELLIGENTIIS.

4558 forsan autem Aristotelis germana est opinio mundum sensibilem ab intelligentijs non fluere, nequè ab illis per

fluxum

l.11.Met. trac.penul. cap.35. fluxum continuum explicari. nam si hoc ex Aristotelis opinione verum esset cum fluxus sit quidam actus imperfectus, mundus sensibilis semper esset in potentia. nequè formae è potentia materiae educerentur, vt Albertus, & lib. 4.con. Proc. Philoponus adnotarunt.

4559 quod etiam ex opinione Bacconis maiorem arguit in Deo, caeterisquè abstractis nobilitatem. cum enim rerū non effectarum fines sint, omnibus numeris absolutiores esse necessarium videtur, cum ea ad se necessario conuertant, quorum tamen effectioni praestò non fuerunt.

4560 exactius autem hoc idem probauit acutissimus ille Henricus Gandauensis, qui quidem ex Aristotelis opinione trifariàm asserit se aliquid habere ad esse, aut enim vt ex se sit formaliter necessum est, & ab alio causaliter: aut ex se sit formaliter, & ab alio dependenter. aut tertio vt ex se sit possibile, & ab alio habeat esse necessarium.

4561 primus modus contradictionem includit: nam quod causatum est ab alio, id de se est non ens, & possibile esse, quod autem de se est necessarium esse nullo modo possibile est, & quia Aristoteles putauerat non modò intelligentias: verùm etiam & coelos habere necessarium per se esse, proindè negauit eas à prima caussaliter dependere.

4562 alioquin naturae ordine aeternis necessariò prius nō esse, quàm esse conueniret.

4563 tertius etiam modus contradictionem includit, cum possibile ex se ab alio perpetuari nequeat.

4564 reliquum igitur est vt ex tribus his modis, secundus tantum ab Aristotele probetur, hoc est vt aliquid habens ex se formaliter necessum esse, dependeat ex Deo non vt à caussa efficiente: sed finali, & perfectissimo omnium entium.

4565 et propterea ἐξήρτηται quod Aristoteles dicit non efficientiam, aut creationem monstrat: sed aut finem cum res vna quaequè ex suo dependeat fine, aut si propriam termini significationem, & vsum frequentem sequamur situm dicit partis fundatum in altera parte sine qua esse Bess.l.3. in cal.Pla. cap.19. non possit, atquè plurimum refert creari, aut effici, an dependere

dependere dicas si sententiam Aristotelis sequi velis.

4566 rectè itaquè carpit Auicennam Auerroes in processu intelligentiarum, cum in eis nequè caussa sit, nequè caussatum. 12. Met. com. 44.

COROLLARIA.

4567 vnde & apparet praeter intelligentiam non esse necessariam animam ad coeli motum.

4568 apparet etiam ex Aristotelis opinione posse defendi superiorem intelligentiam inferiorem intelligere: nam tametsi ratione quadam non solùm ordinis: sed etiam propinquitatis, qua primae propior est, nobilior existit secunda, quàm tertia, & prima, quàm secunda: tamen primum forsan solum bonum continet omnes omnium inferiorum differentias. nulla verò earum, quae finitae sunt continet earum differentias, quae infrà se sunt, sicut ignis non continet aliorum elementorum perfectiones.

4569 secus autem dicendum esset, si Ideas tueremur.

ΕΡΓΑ.

4570 nullus itaquè in dubium reuocauerit vtrum abstractae mentes componantur ex positiuo, & positiuo: cum enim in intelligentijs non detur ex Aristotelis opinione, Platonis, & Auicennae processus, non datur per consequens participans, & participatum. & proindè potentia, quae est in diuinis mentibus est tantummodo logica. id est respectus quidam caussatus à ratione ex non repugnantia terminorum, quatenus non repugnant.

PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA DE IDEIS, ET DE INTELLIGENTIIS.

4571 verùm non nè indignum est affirmare Aristotelem adeò ignobilem Philosphiam amplexatum esse, vt Deum efficiat veluti baiulum quemdam alieni operis motorem, caeterasquè intelligentias sicuti iumenta quaedam ad iugũ molae trusatilis alligatas? dicamus itaquè, & secũdum Aristotelem, mundum à prima caussa procedere, ccvi. concordia. atquè in hoc processu in abstractis substantijs ordinem essentialem esse.

quod

4572 quod si nimis ab Aristotele videatur alienum creaturae creandi potestatem adiudicari, quod & rectè omnes negant Theologi: meminerimus id ex eo à Philosophis cōcessum: quia intellectionem mentium abstractarum earundem substantiam affirmarunt. Theologi verò qui eā accidens dixere, nè actus accidentalis (vt subtilissimus Scotus animaduertit) formale principium substantiam producendi foret, creationem huiusmodi nullo pacto admiserunt.

ccvij concordia.

4.sent.dist. 1. q. 1.

4573 neque tamen ex concessis inferas simul cum Plethone, si omnium mentium abstractarum intellectio, cum earum substantia concidit, fore, vt omnes Deus sint. nec enim per essentiam suam, qua essentia est intelligunt: sed qua Dei similitudo, & imago.

ccviij. concordia.

4574 Alpharabius tamen inter Arabes Platonicus eximius cū & ipse in abstractis caussam efficientem ponat: creationē tamen à secundis substantijs tollit, cum afferat primum omnibus rebus ens per modum creationis tradere. reliquas verò mentes abstractas per modum informationis, quam sanè opinionem si defendere volumus, cogimur fateri intelligentias componi ex positiuo, & positiuo.

li. de caus. prop. 18.

4575 quae opinio purè Platonica est, atquè in libro de duabus materijs à Plotino defenditur.

4576 sed si processum in diuinis mentibus, & aeternis corporibus defendimus dubium occurrit vltrò num Albertum, vel magis Auicennam sequi debeamus. ille namquè à prima caussa vnam tantùm procedere intelligentiam affirmat, quae cum ob terminorum repugnantiam à primi entis perfectione cadat, proindè aliquid potentiae connexum habet. & ex parte potentiae quidem à prima caussa, & à prima intelligentia procedit caussatum primum corporeum, quod coelum est, & ex parte actus sui procedit intelligentia secunda. atquè sic de reliquis deinceps, quae sanè opinio Peripatetica est.

8. Physic. tract. 1. cap. vlt.

4577 Auicennas verò credidit intelligentiam primā vti Deum intuetur secundam producere, vti se inteligit, primi coeli animam, vti verò hanc ipsam animam speculatur primum coelum, quàm sanè opinionem Egidius conatus

9. Metaph: cap. 4.

est

est nonnullis persuasionibus confirmare: quae quidem illis duabus suppositionibus nituntur, quarum prima est, quodlibet coelum habere motorem proprium. altera immediatos motores coelorum intelligentias esse non posse. in com. prop. 3. li. de caus. Alph.

4578 prima sanè potest suaderi, tùm vt coelum ad haec inferiora comparatur, tùm vt refertur ad motorem primu.

4579 in his enim inferioribus nonnulla reperiuntur, quae minimè mouentur ex se, vt inanimata. alia verò vt animata, quae motum habent ex se. rationabilius autē est coelum omnibus rebus corruptibilibus gradu, conditionibusquè essendi nobilius esse. si enim inanimatum esset, licet essendi conditione dignius esset Formica: gradu tamen foret inferius, quod absurdum videri debet. Alex ca. 1. q. natural.

COROLLARIVM.

4580 ex quibus patet quidnam interrogationibus Cottae apud Ciceronem Balbus respondere posset.

„ Sic enim Cotta. nùm igitur idcirco in vrbe esse ra- 3 de nat. Deorum
„ tionem, cogitationem mentem putas? aut quoniā
„ non sit, nùm idcirco existimas formicam antepo-
„ nendam esse huic pulcherrimae vrbi? quòd in vrbe
„ sensus sit nullus. in formica non modò sensus: sed
„ etiam mens, ratio, & memoria.

at rectè sic Cotta respondebit, quo ad gradum essentiae nobilior formica: quoad conditionem vrbs.

ΕΡΓΑ.

4581 si verò quod per animam mouetur ex impulsu mouetur, impulsus autem (vt etiam dixit Alexander) est ex alicuius desiderio, propterea & coelum ex impulsu, & desiderio mouebitur. si autem est quod ex impulsu, & desiderio mouetur, necessario & illud erit, quod tanquàm amatum, & desideratum mouet. corpus itaquè coeleste, vti ad Deum comparatur, mouetur ab eo veluti ab amato, & desiderato.

4582 sicut enim pulchritudo sensibilis in se firma, & immobilis manens mouet ipsius amantes. quin si ipsa moueretur, non sic traheret amantes, vt ad ipsam mouerentur, sicut immobilis trahit. sic & Deus in se stabilis manens

dat

dat coelos veluti desiderantes ad se sicuti ad desideratum moueri. habet ergo Coelum animam, quae desiderans, & amans assimilari primae caussae mouet coelum.

4583 reliquum est ostendere immediatum motorem coeli nô esse intelligentiam, quod & etiam duplici via declarari potest, quarum vna innititur ex immobilitate ipsius primi, altera ex orbis materia. cum enim Deus omninò sit immobilis, intelligentiae quae immediatè se habent ad Deum omninò immobilem non habent tâquam propria operatione coelum mouere: sed praeter has intelligentias superiores oportet dare alias inferiores, quarum propria operatio sit mouere coelum, quas coelorum animas vocamus.

ccix. concordia.

4584 praeterea corpora quantumcunquè suprema sunt valde materialia respectu substantiarum separatarum, in quibus nulla potentia positiua: quòd ergo intelligentiae immateriales, & actus puri attingant corpora, quae materiam habent partem sui videbatur indecens. & quia in tanto negotio sicuti est dispositio coelorû minima inordinatio est valde incôueniens (per eos enim mundus inferior gubernatur) proindè praeter intelligêtias, & coelorum animae ponendae fuerunt. quae sanè Egidij persuasiones quamuis non cogant: possunt tamen sustineri, vt probabiles.

4585 efficacius tamen hoc idem probauimus nos in superiori discursu de Ideis.

OBIECTIONES ALBERTI IN HANC AVICENNAE OPINIONEM, ET SOLVTIONES.

in c.penu'. 11.Meta.

4586 obijcit autem in hanc opinionem Albertus, quòd lumen primae intelligentiae vniuersaliter, & ipsum actiuum, entisquè caussa coniunctum primo nihil accipiat impuritatis, & propterea ex illo intelligentiam secundi ordinis minimè oriri debere: sed aut primae aequalem.

4587 aut superiorem. quod idem & in productione animae obijcit huic autem dicto Theologi nostri egregiè admodum satisfaciunt, dum Deum, & creaturam non dicere plus perfectionis, quàm Deum solum asserunt. vnde etiâ

Ioannes Scotus rectè affirmat, tùm plura bona in bonitate vnum excedere, cum in quolibet illorum plurium est aequalis bonitas, atquè ita asserit datis pluribus infinitis ex eorum mixtione potuisse fieri aliquod vnum infinitū excedens. secus autem vbi fiat mixtio rerum in bonitate inaequalium. quolibet. quest. 5. art. 2.

4588 concurrunt itaquè intelligentiae ex Aristotelis opinione ad rerum caussalitatem. vnde & apparet exactius res cognosci ab intelligentijs, quàm à nobis. perfectius enī repraesentatur per rationem efficiēdi aliquod obiectum, quàm per rationem repraesentandi. per rationem enim repraesentandi, quae dicitur species, representatur obiectum, quatenus ratio illa efficitur ab obiecto. per rationem autem efficiendi repraesentatur obiectum, quatenus ratio illa est illius obiecti caussa. perfectius autem obiectum cum caussa, quàm sine caussa repraesentatur. ccx. concordia.

4589 sed dubium est quamnam intelligentiam intelligant, posteriores intelligentiae priorem nè proximam, an remotam? quod sanè dubium sic, & rectè Auerroys explicauit vt via originis proximiorem, via verò perfectionis remotiorem intelligant. in epis. de beat. ani.

4590 quod dictum tuebimur etiam ex Auicennae opinione.

COROLLARIVM.

4591 vnde liquidò constat perperàm sensisse Scotum, qui ex Auicenna sensit vltimam creaturae beatitudinem in creatura consistere posse. 1. sen. d. 1 q. 1.

ΕΡΓΑ.

PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA PVLCHERRIMA DE DISSOLVTIONE INTELLIGENTIARVM.

4592 sed oritur dubium an nempè substantiae separatae aliquo modo per se dissolui possint. & sanè Plato cum vniuersa Academia eius videtur fuisse opinionis, vt ex se dissolubiles essent. at repugnat Aristoteles, & totus Lyceus. crediderim ego (vti rectè sensit Proclus, & cum eo Alpharabius) omne id quod ex se toto forma est, adeo quòd forma immediatè sit respectus ad productiuum, tùm tale quid in Timaeo Proclus in prop. 46. Aut. de cau. 2. pro. 26. ccxi. concordia.

quid dissolui non posse. relatio enim per se non potest acquiri, nec potest per se amitti, cum ad aliquid nullus sit motus.

5. Phys.

4593 si enim talia dissolui possent, amittereque respectum, quem ad primā caussam habent. hoc contigeret vel propter primae caussae variationem, vel ob amissionem fundamēti, cui nititur relatio. at nullam prima caussa omninò immobilis suscipit variationem. nec cum ipsa forma relationis sit vehiculum, & semetipsam (vt diuinus Plato dicebat) minimè deserere possit, proinde nūquam talem amittet relationem.

4594 verùm ex concessis aliquid adhuc, & vehementius nos posset vrgere. cum ex vtriusquè Philosophi opinione nōnulla reperiantur indissolubilia, quae tamen ex se totis formae non sunt: sed magis habent fundamentum relationis in materia per formam ad productiuum. dicimus nos idem quod de intelligentijs statuendum esse de illis compositis, quae materiam habent ab actu suo indeficientem.

ccxij. concordia.

ACCESSVS AD DEVM.

4595 nunc tandem ô ens entium, vnum, optimum, verissimū, plenissimum, potentissimum, summè necessarium, sapientissimum, immortale, atquè sempiternum, pande nobis ad te viam, & accessum, & adiuua quod nobis indidisti naturale desiderium, quo ad caliginem ascenderemus, quam tu inhabitas.

4596 in illis tamen tenebris in quibus tu latibulum tuum posuisti, viderunt Ethnici sapientes Aristoteles, & Plato te illud bonum esse, à quo omnium ablata imperfectione: omnia tamen esses, & sanè cum à rebus omnibus, & quae sub suo genere imperfectionem, & sui generis particularitatem quis abdicauerit. id quod remanet Deus est.

4597 primus itaquè gradus accedendi ad Deum Metaphysicè fit, vt ab eo omnem abijciamus imperfectionem, quae in aliqua est re, quae in genere illius rei, rem illam minus perfectam reddit. quam sanè imperfectionem ex vtriusquè Philosophi opinione, intelligentiae quoquè euitarūt cum vna quaequè intelligentia in suo genere perfecta sit.

Picus de ēte, & vno cap. 5.

secundus

4598 secundus est gradus, vt & etiam generis perfectionem solam excludamus. nec enim quod in vno tantùm genere perfectum est, simpliciter est perfectum, cum vnius tātùm generis habeat perfectionem. multa enim sunt extrà vnumquodquè genus suis perfectionibus honestata, quae cum ab vnoquoquè genere secludantur: in Deo tamen eminenter includuntur.

4599 tertius sit gradus, vt ex istis iam concedamus maximum illud, & maximum quidē simpliciter, cui nihil opponatur sic demùm nostrae mentis captum supergredi, vt nomenclaturae rationem excedat prorsus omnē. quamobrem rectè ter maximus Mercurius. quia inquit rerum vniuersitas est Deus proprium eius nomē haud vllum esse potest: quoniam aut omni nomine Deum, aut omnia eius nuncupari nomine foret necessarium, quando is simplicitate sua rerum omnium complicat vniuersitatem. in Pimandro.

4600 hoc vtiquè intellectus mensum excedit. quis enim infinitam intelligat vnitatem, quae per infinitum oppositionem omnem excedat? inibi omnia citrà compositionē sunt in vnitatis complicata simplicitate, nec aliud ibi agnoscimus, vel diuersum: quòd si quis eam concipere vnitatem queat, quae etiam si vnitas est: nihilòsecius omnia est, Dei nomen is attingat planè.

DEI DESCRIPTIO EX ARISTOTELE.

4601 hoc tamen summum ens vtcunquè possumus, ex Aristotele sic audemus describere, idest, Deus est essentia aeterna, forma expers potentiae, materiae, magnitudinis, partis, diuisionis, passionis, alterationis, per se intelligibilis, primum mouens, immobilis, vitae optimae, & iucundissimae.

4602 à qua veritate valde recesserunt veteres Graeci (si Platoni credimus) qui Deum Θεὸν appellarunt. in Cratilo

4603 esto verò tantummodò vnicus Deus. entia enim nolunt malè gubernari. itaquè sic Homerico versu thesis commodè concluditur. 2. Illiad.

» Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.

IN MANICHEOS DE DVOBVS PRIMIS PRINCIPIIS.

Albertus in tract. 2. cap. vlt. 11. Meta.

4604 malè itaquè admodum statuerunt Manichei, qui prima principia duo esse dixerunt, malum nempè, ac bonum. si enim vniuoca essent, tùm differrent solùm per materiã & propterea aliud haberent ante se, quod vtriusquè principium esset.

4605 si verò essent contraria haberent tamen ad vnum commune genus respectum, atquè sic iterum non essent prima principia, quòd si dicas ea non esse in genere: verum sicuti aliorum genera, tùm duo mouẽtia in omnibus erũt. igitur & ipse motus erit fluxus duarum formarum, quod absurdissimum est in Philosophia. multitudo itaquè primorum principiorum nequaquam conuenit:

AN DEVS EFFECTRIX CAVSSA.

4607 est autem rerum omnium Deus effectrix caussa, quam tamen positionem reuocant in dubium nonnulli pulcherrima dubitatione. si enim intelligẽtiae productae essent illud contingeret absurdum intellectionem, immanentem actionem non esse: sed transeuntem. illa enim comprehẽsio à Deo ꝑducta aut est in Deo, aut in intelligẽtia non primum dandum est, cum quicquid est in Deo, sit ipsemet Deus, atquè suimet Deus caussa efficiens per simplicem emanationem foret, & Deus & prima intelligentia vnummet numero existerent.

4608 quòd si haec comprehensio actio transiens erit, materiã ptaesuponeret: transiens enim actio apud Peripateticos sine subiecto in actum non prodit. ob quae facillimè in eam adducor opinionem, Aristotelem Deum aeternorũ caussam efficientem con credidisse.

PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA DE PRIMA CAVSSA EFFICIENTE, AC DE PROVIDENTIA.

4609 quòd si tamen contrarium tueri libeat, ac Aristotelem Platoni conciliare, subtilissimè dicere possumus comprehensionem primò, ac per se immanentem esse: secundariò verò transeuntem: illud autem secũdariò appello, quod

cccxiij. con cordia.

quod Alexander de prouidentia loquens, dixit esse medium inter per se, & per accidens. l. 1. q. nat. c. 25. & l. 2. cap. 21.

4610 quemadmodum enim pastor in cura ouium, & diligentia duo agit accuratè. vnum vt ouibus ipsis bene sit. alterum vt ipsi sibi ex ouibus rectè se habentibus bene sit, ita namquè lacte, lana, & foetu, lucrum, & commodum suum auget, & quemadmodum primum ex posteriore. hoc est bona ouium habitudo, ex lucro, quadam quasi finis necessitate dependet, atquè ita lucrum est per se finis pastoris in grege curando, bona autem ouium habitudo secundario. sic & Deus primò, ac per se intelligit semet ipsum ratione sui, atquè sic habet actionem immanentē: ex qua praeterea secundariò dependet alterius rei productio, quae cum subiectum non requirat actio diuina, transiens dici potest.

4611 atquè hoc eodem modo prouidentia apud vtrumq; Philosophum defenditur. ccxiiij. concordia.

OBIECTIO IN SVPRADICTA IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLANI, ET ILLIVS SOLVTIO.

4612 obijcit autem in supradicta Ioannes Franciscus Picus nullum dari inter per se, ac per accidens medium, cum Aristoteles omnes caussas in eas, quae per se, & eas, quae ex accidenti nuncupātur partitus sit. verùm enimuerò facillimè tollitur obiectio, admisso quòd inter caussam per se, & caussam per accidens nō detur caussa media per vtriusquè modi negationem. id est nō detur caussa, quae nequè sit per se, nequè per accidens, quod loco citato volebat Aristoteles. potest tamen dari medium per vtriusquè medij participationem, & potest dari caussa, quae tùm per se, tùm per accidens caussa sit, cuius rei exemplū supra dedimus in pastore. in libello de prouid. 2. physic.

PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA DE BONO IDEALI.

4613 cum itaq; omnia ab Ideali summo bono effecta sint, apparet ab eo nunquā ita res deficere, quin aliquā similitudinē (inter caussam enim, & effectum semper aliqua similitudo) ad suam caussam retineant. cum verò similitudo

ſemper appetitus naturalis cauſſa ſit, eo quod omnia ſimilia appetunt, contraria verò euitant: oportet quod omne quod eſt à primo, & optimo bono, appetat ipſum ſummum bonum, & optimum.

4614 cum verò iam ſciamus appetitum eſſe cauſſam motus, actionis, & operis, ſequitur neceſſariò, quòd omnia bonũ appetunt, ſub ratione ſimilitudinis ad primum bonum, & propter illud mouentur omnibus motibus ſuis, & agũt omnes actiones ſuas, & omnia quaecunquè operantur.

ccxv. concordia. Albertus 11. Meta: tra. 2. c. vl.

4615 hoc idem & Syrianus egregiè demonſtrauit in appetitu materiae. quam enim formam inquit natura appetit? illam nè materialem, quae in motu fertur? at haec nondum eſt, & ipſa natura eſt poſterior, & cum informi ſubiecto coniungitur, & abſurdum eſt naturam id, quod nõdum eſt concupiſcere, quodquè poſterius eſt, & vnà cum priuatione defertur, ob quae turpe ſit, & inamabile, ac ſi eius, quae ſeparabilis eſt formam diligit, quae & re vera eſt, & prior ipſa, & diuina, & re vera forma, neceſſe eſt hanc eſſe intellectualem, & immaterialem, & ſemper in eiſdem, & eodem modo ſe habere, vt & naturae deſideriũ inextinctum ſit, & indeficiens actio. haec verò ipſa Platonica boni Idea eſſe videtur.

13. Meta.

ccxvi. concordia.

PLATONIS, ET ARISTOTELIS CONCORDIA DE DEI COGNITIONE.

4616 quòd verò ad Dei cognitionem attinet, negarunt multi Peripatetici ab ipſo ſingularia cognoſci, & ratio illa idẽtificationis eorum Clypeus eſt. propterea ex Auerrois familia recentiores nonnulli de Dei cognitione ita pronunciarunt, quòd cum eſſe ſit in primo principio per eſſentiam, propterea omnes perfectiones entium vnitiuè continentur in eius eſſentia, non ſecundùm proprium, & diſtinctum eſſe repraeſentans ipſa in propria forma, nec principaliter, nec conſecutiuè: ſed nobiliori, & altiori modo, quàm ſi ſecundùm proprium, & formale eſſe eorũ repraeſentarentur, vnde intellectus diuinus ſolùm diuinam eſſentiam diſtinctè intelligit. ex hoc tamen non dicitur cõfuſam, aut vniuerſalẽ cognitionẽ de alijs habere.

Zimara theor. 83.

4617 ſed dubium eſt an in hac Dei eminenti cognitione res etiam

etiam ſiugulares comprehendantur quo ad eſſe, quod habent in proprijs naturis, & ex conſequenti omnibus modis, quibus cognoſcibiles ſunt. quod ſanè dubium ita Baccon explicat ex Auerrois principijs, vt quemadmodum ſi aliquis caloris ſcientiam haberet, quatenus calor eſt, perfecta cognitione omnia calida omnibus modis, quibus calida ſunt comprehenderet. ſi enim ſit ſecus, caloris perfectam non haberet comprehenſionem. ſic & à ſimili ſi primum ens ſe ipſum qua ens primum cõprehendit, ſequitur quòd omnia entia omnibus modis, quibus ſunt entia intelligat, quae quidem Bacconis imaginatio non eſt Auerrois, vt ipſe arbitratur. 1.ſen. diſt. 39. q. 1. in com. 51 12. Met.

4618 quamobrem in hoc D.Thomae opinionem magis laudo, qui ex verbis commentatoris id tantùm elici putauit Deum alia à ſe quo ad praedicata vniuerſalia tantùm intelligere, non etiam quo ad praedicata particularia, & indiuidualia. nam ex dictis commentatoris ſic tantũmodò (aut ego fallor) arguere poſſumus. ſicuti ſe habet cognoſcẽs primum calidum, ad reliquorum calidorum cognitionem, ſic cognoſcens primum ens ad aliorum entium cognitionẽ. atqui primum calidum cognoſcens omnia calida ſub ratione calidi tantùm cognoſcit. ergo & cognoſcens primum ens, omnia entia ſub ratione entis cognoſcit. hoc verò non eſt res cognoſcere in proprijs naturis quo ad praedicta indiuidualia. 1. par. q. 14 ar. 6. 1. ſen. diſ. 35. q. 1. art. 2.

4619 quae opinio non modò (vt diximus) Auerrois: ſed & Platonis, & Ariſtotelis eſt. ccxvij. cõcordia.

4620 verùm ſi omnium entium Deus eſt prima cauſſa efficiens, cur omnia ſub rationibus proprijs nõ cognoſcet? propterea rectè Ariſtoteles in ſecundo de anima Empedoclẽ irridebat. ait enim ab illo fieri ἀφρονέστατον θεὸν quem facit ignorare ſuum illud νεῖκος at νεῖκος erat, & circa materiam, & circa corruptibilia.

4621 à qua opinione nè latum quidem vnguem Plato recedit, vt in ſecundo de Republica conſtat. ccxviij. cõcordia.

PLAT. ET ARIST. CONCORDIA QVOMODO DEI PRAESCIENTIA CONTINGENTIAM NON TOLLAT. EX IAMBLICO

4622 nequè tamen credas ob hanc in Deo omniũ praeſcientiã

contingentia

contingentia tolli. cuncta enim Deus quae in orbe vniuerso non solùm sunt: sed quae etiam in praeteritum fuerunt, vel in posterũ erunt, vel esse poterunt, modo quodã nobis quidem ineffabili, atquè incompraehensibili: diuinae verò suae naturae, ac tantae maiestati, quàm congruo, ac quàm decenti cognoscit. idest & cognitione valde perfectiori, augustioriquè, & modo cognoscendi longè praestantiori, longequè excellentiori, quam sit & modus essendi rerum, & ipsa cognitio, & modus cognoscendi, qui rebus ipsis, quantum ad res attinet debeatur, qui ipsarum rerum naturae respondeat.

4623 quamobrem sicuti qui particulare caducum, sub ratione immortalis, & vniuersalis cognoscit: non attamen à re corruptibilitatem, & particularitatem aufert, cum cognitio, & cognoscendi modus modo essendi respondeat non quem habet res cognita: sed quem habet virtus rem ipsam cognoscens, sic & Deus, vt Iamblicus, Alexãder, & Ammonius adnotarunt licet contingentia futura eminentiori suo modo vti iam praesentia necessariò sint intueatur: contingentiam tamẽ non tollit à rebus, cum cognoscendi modus re cognita praestantior sit.

ccxix. concordia.

Amonius 2. se. l. de interpr.

Alexander de Fatn cap. 16.

4624 quòd si hic objiciat Peripateticus quipiam dictum hoc Aristoteleum non esse, cum libro primo minore diuinae Philosophiae scriptum sit rem vnamquamquè ita se habere ad hoc, vt cognoscatur, sicut eadem se habet ad esse. Respondebimus Metaphysicum sanè, quatenus Metaphysicus est res non penes nostrum modum intelligendi: sed penes suam naturam, & suum modum essendi singulas contemplari. est autem omninò confitendũ rebus praestantioribus modum ex natura sua cognoscendi praestãtiorem respondere. atqui à nostro intellectu res illae sublimes, & abstractae modo longè imperfectiori percipiuntur, quàm rebus illis ex natura sua conueniat.

t. 4.

ccxx. concordia.

4625 nec etiam ob infinitum Dei vigorem tollitur contingentia, quandòquidem cum apud vtrumquè Philosophũ, tàm in sensibili, quàm in intelligibili mundo sit caussarum essentialis ordo, Deus in haec inferiora, vt cõcaussa operabitur, non vt caussa.

ccxxi. concordia.

Vniuersae

VNIVERSAE SECVNDAE PARTIS EPILOGVS.

4626 iam itaquè post praeuias liberalium artium dispositiones ab informi, turpiquè materia paullatim nos semouentes, formas, elementa, compositaquè caduca contẽplati sumus. deinceps ad illud sublimè candens (vt ait Ennius) coelum sublati, illius naturam, lucem, astra, & motũ satis perscrutati, numen esse vidimus animi praestantissimi quo illud moueretur, ac regeretur, quod neq; Deus, nequè esset intelligentia: nec enim isti cum immobiles sunt ad corpora vertenda accedunt, nequè corpora ad illos cum ea suaptè torpeant natura. post hanc animã Saturnum vidimus. est enim Saturnus sidus secretioris illius sapientiae, quae sempiterna constantia sui similis, quoniam nihil extrà se habet, eximia scilicet, recurrit in se ipsam. quapropter ille suos vorasse liberos creditus est vt vnde illi principium ducerent, eodem quoquè, videlicet ad suum finem reducerẽtur. Rhea (licet superius aliter ex Plotino dixerimus) perennis ille fluxus (quod & nomen indicat) sui ipsius contemplationis ex qua gignit id ille, quod vti dicebamus reciprocat in eundem. nè verò circulari illa intima cognitione semper oblectaret se se: quin eam proferret, atquè produceret ad sui participationem infinita bonitas oblata est ei ab ipsa contemplatione, id est à Rhea Baetylon. sic enim lapidem vocãt illum suppositititium, quo circa seruati sunt liberi tres Iuppiter, Neptunus, & Dis, vnus post alium. coelestis nempè, sensibilis, & infernalis mundus. tandem his mysterijs initiati ad ipsum Deum capessendum euecti sumus, in cuius immensa luce penitus caecutiẽtes, vidimus nullo pacto nos eum melius intelligere posse, quàm per ea per quae negamus nos intelligere. nimirum vbi eum dicimus immensum, incomprehensibilem quid aliud, quàm & esse cognoscimus, & super esse? iccirco nè quaeramus qui sit, cum sit omnia, & super omnia, & praeter omnia. & in his omnibus cum sapientum opiniones, tã variae, tamquè interse dissidentes essent, vt alterum (sicut ait Cicero) fieri profectò posse videretur, vt earum nulla 1. de natura Deorũ.

nulla, alterum certè non poſſet, vt plus vna vera eſſet. nos hoc vltimum impoſsibile amplexati demonſtrauimus ſaepius omnes veras eſſe. ò vos itaquè beatiſsimi, & optimi illius lucidiſsimae regionis ciues, & incolae, qui his moribundis oculis adiri non poteſtis, gratias ago veſtroquè, & totius naturae omniumquè ſuprà cogitatum omnem optimo parenti, vobiſquè ipſis, qui mihi alterū oculum impartiti eſtis quo vos caecutiens aſpicio ad quos aſpiro. hunc mihi iam (tenſis brachijs, manibuſquè comploſis vos oro) magis illuminata, quo vos felicius videam, contempler, laudem.

perroratio

IACOBI MAZONII CAESENATIS VITAE RELIGIOSAE METHODVS.

FVNDAMENTA RELIGIONIS AB ETHNICIS NONNVLLIS PHILOSOPHIS IACTA.

IN EPICVRVM, ET NONNVLLOS PERIPATETICOS.

4627 RELIGIOSAM Vitam aggressuri operae pretium duximus ex humana Philosophia illa in nostrum vsum assumere, quae ad Religionis fundamenta firmiter iacienda prae caeteris faciunt, quò facilius praeterea totius operis substructio ad fastigium suum perducatur. sunt ergo religionis fundamenta (vt Plato, & Xenophon asserunt) Dei prouidentia, & animi aeternitas. 12. de leg. 3. de dic. & fac. Socra.

4628 ridicula itaquè impietate ille sic Deorum prouidentiam tollebat cum Epicuro.

„ Nam si curent benè bonis sit, malè malis, quod nunc „ abest. Ennius

cum enim animi nostri (vt dicit Plato) ex hoc migrabũt corpore, tùm rationem suorum operum reddent. in quo certè bonis confidendum est, malis autem formidandũ. 12. de legibus

4629 altera verò Epicuri obiectio in religionem, quae his carminibus explicatur à Lucretio.

„ Omnis enim natura Diuum per se necesse est, 1. de nat. rerum
„ Immortali aeuo summa cum pace fruatur
„ Semota à nostris rebus, seiunctaquè longè.

est monstrum impietatis, atquè portentum, propterea id Deus verus ex animis hominum penitus eradicet. metuebat enim Epicurus, nè Deus rerum humanarum procuratione, & cura obrueretur, & ideo aliquid è voluptate imminueret. Reges enim dum imperio suo prouident à quiete propria semouentur. elementa & ex illis compacta corpora non nisi alterata possunt agere. Spherae coelestes motae mouent. quin & intelligentiae quoquè licet semetipsas intelligant, interdum tamen ad species, Egidius in prop. 20. authoris de caussis

vt alia percipiant à se recedunt. quòd si Deus hoc pacto iura caeteris rebus praescriberet, praestaret forsan prouidentiam è medio tollere.

4630 at cum prima caussa ita caetera regat, vt cum illis tamen (vt dicebat Alpharabius) non permisceatur, neque à sui intelligentia distrahatur, mordicus diuina erga hominū genus prouidentia, pietas, ac beneficentia credenda est, ac praedicanda. Deus itaquè ille verus, cui capilli cuiusquè nostrum numerati sunt, cui sortium euentus ante prouisum est, cui deniquè toto mūdo maxima, minima, mediocria curae sunt, Epicuri infantissima ista Theologia miser non erit.

prop. 20.

4631 quòd verò religionem nonnulli Peripatetici similiter pedibus terunt, quòd arbitrantur si Deus haec inferiora cognosceret fore, vt vilescat, delirantium somnium est. agite itaquè Theologi Theologiae inanissimi, immò verò inimicissimi, excutite iam vosmetipsos à somno, osquè erigite, Solemquè intētis aspicite oculis. stella haec sua luce mundum complet vniuersum, nec palatia regum & amoenos hortos tantùm: sed cloacas & si quid foedius esse potest radijs suis illustrat. an propterea foedatur ipsa quidquam aut maculatur?

4632 quantò itaquè istis omnibus luculentius Aristoteles de pudendis animalium partibus acturus Philosophatur. etenim (ait) Heraclitus cum fortè ad ignem in casa quadam furnaria sedens animaduertisset adeuntes ad se timidè subsistere. accedite (inquit) animo fidenti: quoniam nè huic quidem loco Dij immortales desunt.

1. de part. anim.

OMNIVM PHILOSOPHORVM DEFECTVS IN RELIGIONE.

4633 et licet Philosophi haec tàm firma, tàmquè valida religionis fundamenta iecerint: in reliqui tamen aedificij constructione maximas fecere ruinas. cum enim naturae perfectionem vltrà debitas limites protulerint, supernaturalem perfectionem impudentissimè admodum negarunt, quae tamen (velis nolis) est prorsus admittenda. quo pacto enim si beatitudo aeterna, clara nempè Dei visio finis prorsus Philosophis occultus, datur à Deo cótingenter

Scotus in 1. quaest. prologi.

tingenter pro quibusdam operationibus in ordine ad ipsum tanquam meritorijs potuerunt hoc Philosophi intelligere? qui lumine naturae ex Deo immediatè emanantia necessariò non contingenter propagari dixerunt, & Deum à nobis abstractiuè, non etiam intuitiuè cognosci posse affirmarunt.

4634 concedendum est itaquè ad summum religionis fastigiũ homini pro statu illo necessarium esse aliquam doctrinã supernaturalem supernaturaliter inspirari, quam videlicet non posit attingere lumine naturali intellectus. ad quod dictum nulla Philosophorum opinio penetrauit.

DISSENSIO D. THOMAE A SCOTO DE SVPERNATVRALITATE DOCTRINAE REVELATAE.

4635 haec verò supernaturalitas an ex parte agentis, & actualis notitiae simul, vel solum ex parte agentis sumi debeat controuersum est inter D. Thomam, & Scotum. arbitratur enim D. Thomas supernaturalitatem esse, tàm ex parte agentis, quàm cognitionis, si quidem (vt etiam dicebat Auerroys) potentia passiua naturalis latiores non habet habenas, ac naturalis actiua, & propterea credidit Thomas mentem nostram natura non esse in potentia nisi ad illas formas, quae per intellectum agentem intelligibiles fiunt. 3. sen. dist. 25. q. 1. ar. 2. de ver. q. 18. art. 2. Auer. 9. Metaphys. com. 11.

4636 Scotus verò cum Thoma quidem conuenit multas esse veritates de Deo cognoscibiles, quas nullus potest natura inuenire, quòd ab intellectu agente, & phantasmatibus effici earum cognitio minimè queat. at in eo discrepat, quòd cognitionem hanc supernaturalem appellat comparando tantùm intellectum posibilem ad agens: oritur enim cognitio haec supernaturalis ab agente, quòd secundum naturam non est idoneum ad talem doctrinã intellectum posibilem mouere, quandòquidem secundũ naturam pro statu isto solet intellectus posibilis ab intellectu agente cum phantasmate moueri. at comparando mentem posibilem ad actualem notitiam in se, tùm hanc cognitionem naturalem nuncupat Scotus, quòd posibilis mens à quacũq; cognitione natura perficiatur 1. quaest. prologi.

& ad quamcunquè natura propensa sit.

SCOTI ET D. THOMAE APPARENS CONCORDIA, ET CONTRADICTIO D. THOMAE CONCILIATA.

4637 nec arbitreris quòd D. Thomas alicubi cum Scoto conueniat, licet enim dixerit Thomas hominem ex natura sua in vltimum finem propensum esse, quamquàm eum ex se consequi nequeat: sed solùm per gratiam: attamen adhuc nec sibimet repugnat, nec cum Scoto aliquo pacto componi potest. accipit enim Scotus propensionem naturalem pro merè naturali propensione consequente naturam, cognitionem verò excludente. Thomas autem naturalem inclinationem eam appellat, quae cognitionē secundum actum elicitum à voluntate sequitur, qui naturalis, & determinatus est (vt Thomae sectatores loquũtur) quantum ad specificationem actus, non quantum ad exercitium, & est sensus verborum eius, quòd si proponatur voluntati vltimus finis, & beatitudo in communi, si voluntas elicit actum circa illud eum fore prosecutionē, cũ voluntas à tali obiecto recedere nequeat, quamuis ad id propria virtute peruenire non posit.

sup Boet. de tri. q. vlt. ar. vlt. ad vlt.

4. sen. dist. 49. q. 10.

4638 tuebimur itaquè ex mente D. Thomae nos in vltimum finem naturaliter, & non naturaliter inclinari.

SCOTI, ET D. THOMAE ALIA APPARENS CONCORDIA, ET CONTRADICTIO SCOTI CONCILIATA.

4639 nec etiam credas, quòd Duns aliquo pacto Thomae sentētiam recipere posit: quamuis enim iurati in Thomae verba Gaetanus, & Franciscus Ferrariensis asserant esse in homine ad fidem, & charitatem, caeteraquè reuelata potentiam obedientialem, seu logicam, dicatquè Scotus intellectum nostrum proportionari ad agens potentia obedientiali. non attamen idem dicunt, nec Scotus sibi repugnat: est enim iuxtà Scotum potentia obedientialis ad agens tantùm. at iuxtà Thomam, tàm ad agens, quàm ad notitiam, quod negat Scotus vbiquè.

Gaetanus in p. parte sum. q. 1.

lib. p. con. Gen. c. 5.

4640 et propterea in principijs Scoti sustineri potest potētiam hominis ad supernaturalem reuelationē, & obedientialē esse

esse, & non obedientialem, in quibus verbis nulla contradictio.

VTRIVSQVE DEFENSIO.

4641 credimus nos tamen vtramquè partem posse defendi.

RELIGIOSAE VITAE DIVISIO.

4642 sed quia reuelatio, tàm bona, quàm mala esse potest, cũ & ab immũdis spiritibus, & à vero Deo possit oriri, proindè de omnibus agendũ est, vt eos cognoscamus, qui vanis superstitionibus pertinaciter inhaerentes obdurant se contra manifestam veritatem: non tam de suis religionibus, quas prauè asserunt bene meriti, quàm de se malè, qui cum habeant iter rectum deuios sequuntur anfractus scinditur itaquè religio quadrifariàm: vel enim est Idololatria, vel Maumethana, vel Hebrea, vel Christiana.

IN IDOLOLATRIAM.

4643 Idolatrae verò si plures Deos aequè primos arbitrãtur, iam à Philosopho Metaphysico acutissimis telis confossi occubuere.

4644 si verò inaequales suos Deos existimant, cur cultus, quẽ Deo soli, & principio primo attribuimus, quem latriam Theologi nostri vocarunt Dijs creatis ab ipsis tribuitur? statuebãt enim Gentes huiusmodi Dijs sacrificia, ex quo cultu vetus sacrarum literarum ritus reuocãs gentes hortatur, nè cui, nisi vni vero Deo sacrificent: illi seruiant soli, illum vnum adorent: à quo nos postea Christi felici nomine nuncupati latriae nomen in vsum specialem trãslatum accepimus, cum apud gentes non religionem: sed seruitutis genus quoddam obstrictius significaret, quod hominibus notae inferioris à superioribus exhiberetur. Bessario l. 3. in cal. Plat. c. 4.

4645 docet praeterea Lactantius triplici modo religionem hanc vanam esse, cuius rationes aliquo pacto mutatas nos sic proponimus, sitquè prima, quòd cum ipsae imagines sacrae quibus inanissimi homines seruiebant omni sensu careant, quoniam terra sunt, propterea nefas esse rectum animal curuari, vt terram adoret, quae iccirco pedibus nostris subiecta est, vt calcãda nobis, nõ adorãda sit. quapropter rectè Sybilla apud veteres sic cecinit. l. 2. diui. inst. c. 18.

„ Ἡμεῖς δ' ἀθανάτοιο τρίβους πεπλανημένοι ἦμεν
„ Ἔργα δ' ἐχειροποίητα γεραίρομεν ἄφρονι θυμῷ
„ Εἰδώλων.
„ Aſt immortalique via deflexiınus ipſi
„ Quaequè manus fecit ſtulto veneramur honore
„ Idola.

Iuſtin:Mar. in ora. par. ad Gentes.

4646 quòd ſi honores illis imaginibus exhibiti prototypon vt & modo Sacroſancta Romana tenet Eccleſia perueniebāt adhuc (quod & ſecunda ratio ſit) fortius, & melius, deterius, & imbecillius colebat, quandòquidem illi mortui diuino iudicio coeleſti patria carebant, quam tamen viuentes poterant adipiſci.

4647 demùm ſpiritus, qui huiuſmodi religioni praeſunt à Deo condemnati, & abiecti non tantùm nihil praeſtare cultoribus ſuis poſſunt: quoniam rerum poteſtas penes vnum eſt, verùm etiam mortiferis eos erroribus, & illecebris perdunt: quoniam hoc illis quotidianum eſt opus tenebras hominibus obducere, nè quaeratur ab illis verus Deus. non igitur colendi ſunt, quia ſententiae Dei condemnati ſubiacent. eſt enim piaculum maximum addicere te poteſtati eorum, quibus ſi iuſtitiam ſequare potentior eſſe poſsis, & eos adiuratione diuini nominis expellere, ac fugare.

ADMIRANDA DOCTRINA HOMERI DE LAPSV LVCIFERI.

4648 quin omnes iſtos ſpiritus malos eſſe, vt potè qui cum Lucifero ſua culpa eiecti in terram è coelo execrandi penitus ſint Gentiles quoq; addiſcere ab Homero ſuo Theologo poterant, qui ſiuè beneficio quodam naturae, ſiuè Moyſis prophetae ſcriptis carmine ſuo lapſum Luciferi expoſuerat, quem ille Aten appellat.

Illiad.19.

„ Continuò iratus, comptis tùm crinibus Aten
„ Cepit, & inſigni ſe obſtrinxit religione
„ In coelum nunquam reditus, ad ſidera nunquam
„ Oſtendi, aſsiduè cunctos quae affligeret, Ate
„ Dixerat haec, manibus cum coelo truſit ab alto
„ Contorquens, ea mox ſic ad mortalia venit.

quae prius de Diabolo ab Eſaia dicta fuere.

Eſaia c.14.

cum

ΠΑΡΕΡΓΟΝ DE ABSTRVSISSIMO SENSV MERCVRII TRISMEGISTI, QVI VTRVMQVE SEXVM POSVIT IN DEO.

4649 cum autem inter errores Gentilium repraehēdat Lactātius distinctionem sexus in diuinis, posset quis existimare hoc eodem culpae nomine suspectum esse Trismegistū qui etiā in Deo principia posuerit vtriusquè sexus apud suum Asclepium: sed ni fallor potest dictum Mercurij prudenti intellectione temperari. est enim Deus idem in se, & ab se, & per se, & propter se intellectus, & voluntas vna, & vnum. Vnde ex intellectu foecūdo filius gignitur: vtriusquè consensu, qui vnus est in vno vnus procedit spiritus, spiritus ille ineffabilis omnia complens, omnia ens, omnia esse faciens. atquè sic è cortice Trismegisti, quem meritò substomachari conueniebat, iam medullam eruimus, quam quouis enecephalo siculo suauiorem gustare licet. l. 1. diuin. insti. c. 16. & 8.

ΕΡΓΑ.

4650 quòd si ex Stoicorum figmentis huiusce superstitionis vanitatem tueri quis voluerit (illi enim cum Deum totum mundum esse dicerent, non corporis: sed animi mundū informantis ratione, propterea mundo, & partibus eius nō indignè diuinum cultum exhiberi dictitarunt) sciat iam eius dictum in superioribus libris confutatum, vbi demōstrauimus Dei esse, non posse esse alicuius rei quidditatem, quae non sit ipsum esse. quod non solùm Diuus Thomas: sed & ipsemet Auerroys adnotasse visus est, dū asseruit dictum illud fuisse lapsum sapientum gentis Zabiorum, id est Idolatrarum. atquè hinc dixerunt Scotizantes eminentiam caussalitatis in Deo non includere materiam, nec formam. l. 1 con. Gen. c. 27. 7. Metaph. com. 4. 1. sen. dist. 2 quaest. 1.

DIVINATIO EX STOICIS.

4651 Idololatriae filia est Diuinatio: nā vt asserit Xenophon diuinationem contemnentes, & hanc religionem parui faciunt, cum si Dij sint, & diuinatio quoquè sit, cuius quidem consequentiae ratio ex Chrysippo sic doceri potest. si enim concedimus esse Deos, & eorum prouidētia 3. de dic. & fac. Cic. lib. 1. de diuin.

mundum administrari, eosdemque consulere rebus humanis, nec solum vniuersalibus: verùm etiã singulis, profectò hominibus à Dijs futura significari necesse est.
4652 si enim sunt Dij neque ante declarant hominibus quae futura sunt, aut non diligunt homines, aut quid euenturum sit ignorant, aut existimant nihil interesse hominum scire, quid futurum sit, aut non censeret esse suae maiestatis praesignificare hominibus, quae sunt futura, aut ea nè ipsi quidem Dij significare possunt. at neque non diligunt nos. sunt enim benefici, generique hominum amici, neque ignorant ea, quae ab ipsis constituta, & designata sunt, neque nostra nihil interest ea scire, quae sunt euentura: erimus enim cautiores si sciemus, neque hoc alienum ducunt maiestate sua (nihil enim beneficientia praestantius) neque non possunt futura praenoscere. nõ igitur sunt Dij, nec significant futura, vel sunt, & significant.
4653 quae omnia licet à Chrysippo allata sint: tuebimur tamẽ absque contradictione non placere Stoicis singulis iecorum fissis, aut auium cantibus interesse Deum: sed ita à principio inchoatum esse mundum, vt certis rebus certa signa praecurrerent, alia in extis, alia in auibus, alia in fulgoribus, alia in ostentis, alia in stellis, alia in somniantium visis, alia in furentium vocibus, ea quibus benè percepta sunt hi non saepe falluntur, malè coniecta, malaq; interpretata falsa sunt, non rerum vitio, sed interpretum inscitia.
4654 ob quae omnia etiam, & ipsemet Peripateticus Cratippus solebat diuinationum rationem hoc modo cõcludere, si sine oculis nõ potest extare officium, & munus oculorum, possunt autem aliquandò oculi non fungi suo munere, qui vel semel ita est vsus oculis, vt vera cerneret, is habet sensum oculorum vera cernentium: item igitur si sine diuinatione non potest, & officium, & múnus diuinationis extare, potest autem quis cum diuinationem habeat errare aliquandò, nec vera cernere: satis est ad confirmandam diuinationem semel ita esse aliquid diuinatum, vt nihil fortuitò cecidisse videatur. sunt autem eius

eius generis innumerabilia, esse igitur diuinationem cōfitendum est.

DIVINATIONIS DIFFINITIO EX CHRYSIPPO.

4655 quam diffinit Chrysippus vim cognoscentem, & videntem, & explicantem signa, quae à Dijs hominibus portenduntur, alij verò dixere illam esse earum rerum praedictionem, & praesensionem, quae essent fortuitae.

HORVM EXPVGNATIO.

4656 verùm quàm effutiant etiam in logica mediocriter exercitati in priori sua consequentia docere possunt. ita enī vis syllogismi prioris concludit: si Dij sunt est diuinatio: sunt autem Dij, est ergo diuinatio. multò est probabilius, non est autem diuinatio, non sunt ergo Dij. vide itaquè quàm temerè committant, vt si nulla sit diuinatio nullus sit Deus: diuinatio enim tolli potest. at Deum esse retinendum est.

4657 nec quemquam vidimus, qui maiori anthoritate nihil diceret ipso Cratippo. oculi enim vera cernentes vtuntur natura atquè sensu, animi si quando in diuinando vera viderunt, saepissimè vsi sunt fortuna. atquè casu.

4658 postremò licet illis omnia concedantur: tamen in assignanda vera diuinatione, nequè coelum, nequè terram attingunt, quod vt liqueat altius rem repetendo de ipsa diuinatione exactiorem discursum suscipiemus.

DIVINATIONIS PARTITIO.

4659 diuidamus itaquè diuinationem, in naturalem, diuinam & prophanam. naturalem eam dicimus, quae rebus naturalibus nititur, sub quo genere Nauticae, Agricolturae, Medicinae, & hoc genus artium coniecturae debent reponi.

4660 diuina verò est futurarum rerum prophetica praenunciatio, & praeuisio, quam sanè Cratippo, Crysippo, licet eam penitus ignorauerint, & omnibus Stoicis libenter concedimus: solus enim Deus aut ab eo instructus aliquis ea, quae sunt aliquandò contingenter futura, maximè verò quae ab humana, vel diuina voluntate pendet potest cognoscere. nam quae naturae necessitate, aut

Physicarum caussarum concursu proueniunt, creaturae quoquè rationales sine diuina reuelatione possunt comprehendere.

4661 diuinatio verò prophana ex alijs innumeris vaticinandi formis, tùm ridiculis, tùm obscuris, quas impiorum hominum superstitiosa curiositas quotidie excogitauit, constat. quam solam cum probauerint Stoici, & Gentiles secuti sint, propterea iam in eas omnes praestigias cõuertendus est stilus, ostensuri nimirùm omnes illas inanes esse, & ineptas, vt sola prophetia, quae coelesti reuelatione suscipitur verè, ac efficaciter rerum futurarum cognitionem praestet.

DIVINATIONIS PROPHANAE PARTITIO.

4662 diuidatur autem primò diuinatio prophana in spiritalẽ, & corpoream; dicamusquè spiritalem illam, quae ab immundis spiritibus per oracula sumitur. corpoream verò quae à varijs corporibus, eorumquè operationibus, & accidentibus elici solet.

ORACVLORVM CAVSSA IVXTA STOICOS.

4663 arbitrantur Stoici diuinum illud animal, quod mundum appellant, omnia in se animalium complectens genera, ceu sui partes, & membra, vitali cuncta spiritu permeans animare, pariaquè cum paribus copulans, & contraria disterminans à diuersis mirabili quodam harmoniae temperamento vniuersa componere, summaquè concilians imis, & medijs extrema coniungens, & vinciens indissolubili rerum nexu cuncta constringere, ex quo omnes omnium rationes, & caussas, ceu à perenni quodam fontis exordio, partium ad se inuicem concordia, & discordia, quae Graeci sympathiam, & anthypathiam vocant emanare, effluereque dixerunt.

4664 huius itaquè diuini animalis calentẽ, & vitalem vndiq; diffusum spiritum, & vniuersum hunc globum, ceu vastũ quoddam, & immensum corpus permeantem, & mouẽtem, à solidis, & compactis illius partibus multos sanè, variosquè excitare, & expellere halitus, è quibus diuersae

Leonicus in Troph.

apud

apud nos rerum consequutiones efficiantur, verisimile Stoicis videtur. quid mirum igitur cum tot sint terrarũ tàm diuersi anhelitus, & respirationes, tàm varia insuper & tàm inter se distantia, situ suo, coeliquè positura loca, si aliquò terrarum ij exeant spiritus, qui hominum animos ad futurorum praesagia suapte vi pronos, & procliues, & à diuino furore non alienos concitare, & veluti diuinitus inflammare valeant.

HORVM EXPVGNATIO.

4665 at cum superius mundum non esse animal dixerimus, patet Stoicorum positionem ex falsis principijs procedere.

ORACVLORVM CAVSSA IVXTA PROCLVM.

4666 Proclus verò, & cum eo omnes ferè Platonici existimarunt Oraculum à Daemonibus Magia ad libitum posse capi. nam cum fateantur Platonici, in infimis suprema, & in supremis infima, & in coelo quidem terrena secundùm caussam: sed modo coelesti: in terra verò coelestia: sed modo terreno. propterea dixeruut quae super ordinem rerum colliguntur in vno, haec deinceps dilatari in descendendo. l. de sacris, & Magia.

4667 ideo vt quorum quidem diuisio vnãquamquè debilitauit, mixtio restitueret in exemplaris ideam, miscebant plura inferiora inuicem, vt ipsa multorum commixtione, nõ solũ attraherent super nos superioris substantiae totalem influxum, sed vt etiam quibusdam statuis ex materijs multis permixtis certos Daemones alligarent, è quibus praeterea peterentur oracula.

HORVM EXPVGNATIO.

4668 quae quàm sint etiam in Platonica disciplina falsa, & absurda, potest ex eo conijci, quòd cum nullam habeat exẽplar ad exemplata dependentiã, proindè nulla inferiorũ compositio superiorẽ substantiã attrahere ad se poterit.

VERA ORACVLORVM CAVSSA, ET EORVM VANITAS.

4669 verè itaquè Oraculorum praedictiones ab impuris spiritibus, quos tùm Gentilitas colebat, solebant efflagitari, quarum

quarum praedictionum vanitas vnicuiq; potest innotescere, qui consideranerit ea futura denunciare, quae diuinae sapientiae thesauros respiciunt, qualia sunt, quae Theologi vocant futura contingentia, quae à sola diuina voluntate dependent, quòd sibi essent impossibilia, nunquam gentium Idola esse aggressa.

4670 immò neque ea, quae à rerum humanarum dispositione pendebant, & in quibus nonnunquam hominum sagax prudentia, locum habet, quales sunt de hostium victoria, & triumpho, sub aperta verborum forma sunt ausi praedicere, sed amphibologico sententiarum inuolucro, nè mendacia deprehensa opinionem diuinitatis eleuarent. itaquè nihil in gentium oraculis reperias, quod manifestam diuinitatem arguat.

POSTERIORIS DIVINATIONIS PROPHANAE PARTITIO.

4671 illius verò diuinationis, quae à corporibus, & eorum operationibus, accidētibusquè desumi solet partes principes duae sint, siquidem vel per nomina, vel per res fieri solet.

NOMANTIA.

4672 Nomantia est quae per nomina futura nititur praedicere & iuxtà veram sortè Pythagoricam solùm in illis linguis locum habere videtur, quae numerandi rationem literis tribuūt, vt in Graeca, Hebraica, Arabica, & caeteris Asiaticis linguis. in Latina verò lingua quanquā I. valeat vnū V. quinque X. decē L. quinquaginta C. centum M. mille, non tamen ea omnibus literis numeros tribuit.

4673 vnde ars haec vaticinandi, quae non tàm literas, quàm numeros in literis latentes expendit, non in omnibus nominibus: sed in his tantùm, quae his literis constarēt locum haberet. quamobrem in suis etiā principijs omnes illi errarunt, qui eam in omnibus etiam nominibus latinis sibi vendicare locum credebant.

4674 quamquam Plinius Pythagorae inuentis etiam illud attribuit propriorum nominum imparē vocalium numerū orbitates oculorum, claudicationes, consimilesuè casus portendere.

Horum

4675 cum verò isti ita literas distinguant, vt nonnullae bonae sint: nonnullae verò malae, probitatemque, & malitiam à numeris ab illis literis significatis desumant, percunctemur quaeso prius cur vnitatem in bonis: dualitatem verò in malis reponant? si enim hoc eò faciunt, quòd illa impar, haec verò par sit, cur sex, octo, & decemocto inter bonas amplexi sunt? rursus tres, quindecim, decemseptem, & vigintiseptem in malis cõprehenderunt?

4676 praeterea aut Plinius fallitur, aut ipsi sibimet repugnãt.

4677 si verò sex inter bonos posuerunt, quòd neque diminutus, neque superfluus numerus sit, cur octo inter eosdem reposuerunt, qui diminutus est? cur & nouem adiunxerunt, qui & ipse mancus est? cur & decemocto?

4678 quòd si inter malos duodecim, nec non & triginta connumerarunt, quòd ambo superflui sint. decem verò quatuordecim, & sexdecim, quòd diminuti. cur numerum trigenarium addiderunt, qui perfectus est.

4679 quòd si non ob haec: sed alia ratione moti sunt, senariumque numerum, vt bonum fecerunt, quòd prae caeteris vel maximè ad generationem aptus sit, cum primus masculus sit, & foemina, quandòquidem ex primi paris, & imparis numeri ductu constet.

COROLLARIVM.

4680 et ideo quoniam mundus omnium erat in se complexurus generationem, propterea senario dierum numero confectum esse tradidit Philon. lib. de opi. Mar.

ΕΡΓΑ.

4681 cur alios hoc priuilegio minimè praeditos illi adiunxerunt?

4682 praeterea cur magis senarius, quã quinarius generationi adiudicatur? si enim ille ex ductu, iste ex additione primi paris, & imparis conflatur.

COROLLARIVM.

4683 hinc & non defuerunt inter Platonicos, qui generationis symbolum huic assignarint numero. Ficinus in Timaeo

ΕΡΓΑ.

4684 praeterea cur septenarius est ab illis omissus, & inter bonos

bonos locum sibi non vendicauit? cum tamen septenarij naturã nesciamus an quis satis laudare queat, cum adeo praestans sit, vt nulla facundia possit exprimi. is enim duplex dicitur, alter intrà denarium, quem sola vnitate metimur. alter extrà, quorum vterquè manifestissima habet priuilegia.

4685 secundus enim per septies crescens cubicus est simul, & quadrangulus, tùm incorporea, tùm corporea essentia praeditus. incorporea quidem ob planiciem, quam cõficiunt quadranguli: corporea verò iuxtà aliam dimensionem, quam conficiunt cubi.

COROLLARIVM.

Philon lib. 1. l. alleg.

4686 ideoquè affinis est is numerus animae ex indiuidua, diuiduaquè substantie compositae, vt in Timaeo Platonis apparet.

ΕΠΤΑ.

4687 intrà denarium verò constitutus Dei gerit vicẽ, & propterea à Pythagoricis illi assimilabatur: ex numeris enĩ nõ excedẽtibus denariũ, alij gignunt, nec gignuntur, vt tres, & quinque, alij gignuntur quidem, non autem gignunt, vt octo nouem, & sex à quatuor, & à tribus, alij tùm gignunt, tùm gignuntur, vt duo, & quatuor: soli itaquè septenario numero, nec gignere natura dedit, nec gigni, quare rectè Philolaus referente Philone dixit septem Deo similem esse, qui semper vnus, & stabilis est. immobilis, ipse sui similis. aliorum autem dissimilis.

Philon lib. 1. legis alleg. & de op. mundi

iu libello de mathematis Pythag.

4688 et ob hanc caussam hunc eundẽ numerum alij ex Pythagoraeorum familia Palladem nuncuparunt, quod Iamblicus refert. idquè sine contradictione tuebimur.

4689 atquè sic in caeteris rebus intelligibilibus impassibilis apparet septenarius: in sensibilibus quoquè declarat suã magnam, patentemquè vim. cum rerum ferè omnium adsumat sibi perfectionem: atquè ideo absolutorius appellatus est, cum hoc vniuersa absoluantur: atquè hoc indè coniectari licet, quòd omne corpus tres habet dimensiones. longitudinem, altitudinem, & latitudinem, quatuor autem fines, punctum, lineã, superficiẽ, & solidũ. ꝑficit et aetates, siuè Hyppocratẽ, siuè Solonẽ sequamur.

praeterea

4690 praeterea cur in malis quaternarium adiecerunt, si quidem ipse quaternio multis priuilegijs à natura decoratur? is enim (vt & Philo testatur) totius coeli, mundiq; generationi dedit initium, nam quatuor elementa, ex quibus vniuersum hoc conditum est, tanquã à fonte manarunt à numero quaternario: sic & tempora, quibus annus distinguitur, vnde animantes, plantaequè prouenniunt, scilicet hyems, ver, aestas, & autumnus.

vide Philô lib. de op. mund. Philon in lib. 1. leg. alleg.

4691 primusquè hic solidi naturam ostendit, cum praecedentes numeri incorporeis rebus dicati sint: nam in vnitate censetur punctum, in binario linea, in ternario superficies: haec quòminus sit corpus natura solidum, vna destituitur altitudine, quae iuncta ad ternarium fit quaternarius, vnde multum existimationis contingit huic numero, qui ab incorporea intelligibiliquè essentia ducit nos ad considerationem corporis, quod suapte natura primum sensu percipitur.

4692 quin & Musicas symphoniarum rationes idem quaternio continet, videlicet diatessaron, diapente, diapason, disdiapason, è quibus concentus fit absolutissimus. continet enim omnes illas proportiones, supertertiã in quatuor ad tria, sesquialteram in tribus ad duo, quadruplũ in quatuor ad vnum, duplum in duo ad vnum, aut in quatuor ad duo, non ergo maerebatur iste numerus, vt malus adduci.

4693 idem & de ternario dicimus, & de decimo. alter enim prius omnibus perfectus est, quippè quòd primò principium, medium, & finem habet, primoquè impar, ideoq; iure tanquam incorruptibilis ex Pythagoraeorum sententia inter bonos collocandus erat.

4694 alter verò vt ipsi etiam dictitarunt natura est numeri, ideoq; à singularitate orsi: ad denariũ vsquè numerũ numeramus, reliquũ verò non tàm numeratio, quàm eiusdem repetitio, atquè hunc decumanum numerum ipsi quadraturam primam appellarunt, propterea quòd ex primis quatuor numeris componitur, vno, duobus, tribus, quatuor. qui igitur isti numeri potuerunt mali nuncupari, praesertim ex sententia Pythagorae?

verùm

4695 verùm dicant etiam quomodo numeros appellāt bonos, vel malos? nequè enim bonum, vel malum sub quantitate latet, vel illi potest adnecti nisi, vt ait ille:

Horatius in poeticis

„ Serpentes auibus geminentur, tigribus agni.

4696 afferant etiam rationes si vllas habent, cur vna quaequè litera magis huic numero conueniat, quàm illi? hoc enī casu, non ratione factum remur.

4697 postremò magis etiam ridiculi sunt, cum sibi physionomiam subijci existimant, quid enim cum nominibus physionomia? cum ista Physicis rationibus nitatur, illa ad placitum imposita sint.

DIVINATIONIS PROPHANAE A REBVS PARTITIO.

4698 quae verò diuinatio à rebus desumitur, vel à corporibus, vel ab eorum circumstantijs ortum habet.

DIVINATIONIS PROPHANAE A CORPORIBVS PARTITIO.

4699 rursus illa quae est circa corpora, vel circa corruptibilia corpora, vel circa aeternum corpus versatur.

DIVINATIONIS PROPHANAE CIRCA CADVCA CORPORA PARTITIO.

4700 et quae circa corpora caduca reperitur, vel ex mixtis, vel ex simplicibus corporibus, euenta futura praedicit.

4701 ex quatuor autem elementis, quatuor diuinatoriae artes oriuntur, à terra Geomantia, ab aqua Hydromantia, ab aere Aeromantia, ab igne Pyromantia.

GEOMANTIA, HYDROMANTIA, AEROMANTIA, ET PYROMANTIA.

4702 docent Geomantes non quibusuis: sed certis temporibus ad huius generis vaticinia accedendum, quamprimum nimirum adeundi cogitatio animū subierit, quòd credant tunc animum consulentis coelesti quadam virtute ad praecognitionem instigari, & eadē digitos Geomantis ad feliciter punctis, aut lineis terram feriendam dirigi: docent deinde in figendis punctis nullam Geomantis praemeditationem futuram esse debere: sed caeco casu, temerè iactandos, quòd & in illis diuinationibus, quae ex aqua, aere, & igne desumuntur asserunt, cū & ipsae

& ipsae ex temerario aliarum in illa corpora rerum iactu, praesagiant. Aeromantes solùm praeter haec, iuxtà serenitatem, & turbulentiam aeris, ita diuinant, vt serenitati actiones voti compotes: turbulentiae verò eas, quae ex animi sententia non succedunt, adscribant.

4703 inter omnes Philosophos solus Albertus (nescio tamen quo spiritu ductus) nihil horum non coluit. arbitrabatur enim quodcunquè est primum genere, & ordine generantium caussalitatem suam per modum cuiquè congruum omnibus à se posterioribus in eodem ordine influere, & proindè figuras coelestes caussalitatem in omni figura generata sibi vendicare. atquè hinc esse, quòd in scientia Geomantiae, & in similibus figurae punctorum ad imagines quasdam per praecepta reducantur, cum aliter vtiles non sint futurae. li. 2. de mineral. trac. 3. cap. 3.

HORVM EXPVGNATIO.

4704 verùm illae disciplinae, quae ex terra, aqua, aere, & igne rerum futurarum vaticinia eliciunt bifariàm considerātur, tùm ex ipsa naturae ratione, tùm ex hominum superstitione.

4705 prima in praeternaturalibus, & raró contingentibus horum quatuor elementorum scrutandis accidentibus occupatur, quae terraemotus, tempestates, ventorum procellas, cometarum ostenta sagaci naturae obseruatione rimatur, quam nedum non damnamus: verùmetiam potissimam, ac difficillimam Physicae disciplinae partē esse credimus, quam tùm alibi, tum quatuor libris περὶ τῶν μετεώρων Aristoteles pertractauit. F. Michael Medina de recta in Deum fide l. 2.

4706 atquè de hoc genere Geomantiae, Hydromantiae, Aeromantiae, & Pyromantiae, siuè Augustinum, siuè Isidorū apud Gratianum loquutum esse crediderim, cum inquit Varronem diuinationem in quatuor genera, terrā, aquā, aerem, ignem vnde Geomantia, Hydromantia, Aeromantia, & Pyromantia deriuantur, distraxisse. loquitur enim de eo praedicendi genere, quod non hominum vanitate: sed naturā constat. 26. q. 4. c. igitur

4707 alterum autem genus hominum arbitrium, ac voluntas constituit, ex cuius principijs, ac proloquijs, quid quaeso

aliud, quàm eius artis temeritas colligi potest? nam si nulla praemeditatione ad vatem est accedendum; temeraria igitur rei futurae inquisitio, cum temerè inquirẽdi animum cogitatio inuaserit. deinde si vates temerè terram in figuras similes coelestibus imaginibus percutit. temeraria igitur percussio, ac vlterius temerariae igitur figurae, quae ex punctionibus, aut iactationibus temerarijs oriuntur. temerè igitur rei euentum demonstrant & Geomantes temerè, & fortuitò diuinant, & tandem tota igitur ars temeraria.

4708 et propterea mirandum non est, si harum quatuor artiũ stoliditas tãta fuit, vt cum reliquae vaticinatoriae superstitiones, vel Stoicis Philosophis aprobatoribus in Gentium Philosophia non careant, hae solae nè Stoicos quidem in hoc insanientium numero patronos, aut cultores habuerunt.

COROLLARIVM.

4709 vnde apparet quàm manifestè Mentiti sint illi, qui has praestigias ab illis Philosophis manasse dixerunt, qui elementa arbitrabantur animata.

ΕΡΓΑ.

4710 delirio verò Alberti nihil minus sanum, quandòquidem in caussandi nullus ordo essentialis datur inter accidentia.

4711 eorum enim operationes vim habent à forma, si rectè Aristoteles Empedoclem carpit, ea enĩ iussu primi, summiquè vnius opificis normalem dirigit lineam, cuius ad directionem metatur omnia: ei accidentia pro instrumentis, & ad instrumentorum temperationem, modumquè comparata sunt ab artifice cunctiscio, cunctipotẽte. ijs illa vtitur, iura dat. non ab ipsis accipit. 2. de anima

4712 ipsa itaquè cum mero, mixtoquè imperio, tùm gignendi tùm sistendi limites accretionum, certas habens à conditore leges suas, cuiquè speciei destinatas, quantitatis, & figurae est caussa.

4713 in eadem verò specie, si loca, si coeli segmenta, vel inclinationes obtundant, obstrepant, aduersentur. pro modo materiae suae vires periclitatur, atquè efficit, quantum

satis

satis pro copia, proquè inopia.

4714 demùm si coelestes figurae in omnes figuras influunt. cur in Geomantia Figurae factae corriguntur?

4715 Aeromantes verò in specialibus dogmatibus interrogādi sunt primùm quid conferat aer ad operationes etiam animatus, vt caussa? cum & rectè ex mente Philosophi nostrarum operationum caussae sint mens, & appetitus proprius. 6.Ethic. cap. 2.

4716 quòd si dicant isti aerem nubibus refertum, & obscurum, mentem, & appetitum quoquè caecum reddere toto labuntur coelo, nullum enim animal hominibus minus aeris mutationibus obnoxium est, hinc & ipsi aeris effectus ex caeteris animantibus venantur, quod & Virgilius cecinit. 1. Georgi.

4717 si verò aerem mala portendere dicant, vt indicium malae constellationis prorsus ridicula pronunciant, namquè vbi apud Astrologos, Iouis, & Martis coniunctio inter malas constellationes est habita, cum tamen pluuias, tonitrua, fulmina, & fulgura commoueat? Ptol. 2. quad.

4718 vbi Iouis, & Solis coniunctionem malam dixerunt, quae licet pulchram serenitatem faciat, flatus tamen ventorū parit?

4719 quò loci Veneris, & Iouis coniunctionem damnarunt, quae leues, & mites pluuias incitat?

4720 similiter vbi Iouis, & Lunae cōiunctionem haud bonam pronunciarunt cum ventos tamen creet?

4721 quod & de Solis, Mercurijquè coniunctione dicimus.

4722 vbi Veneris, & Mercurij, Lunae similiter, & Veneris coniunctiones, vt malas, reprobarunt, cum tamen propriè suscitent imbres?

4723 quinimò illae deniquè coniunctiones, quae portarum aperitones vocantur, Saturni nempè, & Solis, Iouis, & Mercurij, Martis, & Veneris, ex quibus maximus, & euidentissimus fit effectus, Saturni quidem, & Solis in aere turbido, & frigido. Iouis, & Mercurij in ventis, Martis, & Veneris in imbribus, & fulgore, quando & vbi fuerunt ab Astrologis malae nuncupatae? quae quidem omnia nō simpliciter, cum inferius Astrologia tota subneruata

corruat. sed ex hipothesi tuebimur.

4724 denique quot victoriae, quot triumphi, quot praeclara opera in imbribus, in ventis, & in nubibus fuere, & prae caeteris, vel maximè pluuia ad generationem confert. hinc illud sophoclis circumfertur dictum, cupientis frequentem guttam sub tecto animo dormitanti audire.

4725 verù in ijs artibus, quae nõ modò principia, & proloquia sed conclusiones quoquè temerarias habẽt, forsan si pluribus verbis agamus, temerarij videbimur.

4726 forsan autem ea quae à scintillis oritur Pyromantia naturalis est, vnde & Virgilius.

1. Georg.

„ Nec nocturna quidem carpentes pensa puellae
„ Nesciuere hyemem testa cum ardente viderent
„ Scintillare oleum, & putres concrescere fungos.

DIVINATIONIS PROPHANAE CIRCA MIXTA CORPORA PARTITIO.

4727 illa verò diuinatio, quae à mixtis corporibus ortum trahit, vel ab his quae secundum naturam, vel ab his, quae praeter naturam sunt vaticinatur.

DIVINATIO PER OSTENTA.

4728 ex his, quae praeter solitum, & communem naturae cursum cum hominum horrore, ac formidine solent accidere, adeo persuasum veteres habuerunt esse rerum aliquarum futurarum vaticinia, vt non alia ratione monstra, portenta, aut ostenta appellata fuisse crediderint, quàm quòd aliquid monstrarent, portenderent, aut ostenderent.

Aug. l. 21. de ciu. Dei cap. 8.

HORVM EXPVGNATIO.

4729 nos cum duplicis generis portenta in historijs deprehẽdamus, propterea duplicem huius diuinationis partẽ sta tuendam existimamus. sunt enim monstra quaedam aut portenta, quorum origo in ipsa natura, & caussarum naturalium potestate continetur, quales sunt prodigiosi partus, & similes. sunt & alia portenta, quae non nisi diuinitus aedita ratio ipsa, & rerum humanarum status cogitare permittit, qualia sunt multa, quae Israelitico populo, iam iam Hierosolymitano excidio impẽdente, excidisse, authores memoriae prodiderunt.

Ioseph. lib. 7. cap. 44.

juxta

4730 iuxtà variam igitur, ac diuersam portentorum rationem & originem, variam quoquè hanc disciplinam, quae eorumdem ostentorum interpretationem profitetur, oportet esse. erit enim vna, quae & peccatorum impoenitentiae, & ostentorum insuetae, & cum natura non cohaerētis formae habita ratione, ea quae prouidentia futura minitatur ex eisdem portentis, & ostentis praenunciet. quae nè dum non est temeraria: sed viris sanctissimis, vt Gregorio, & alijs familiaris. Gregorius in Mat.24

4731 est & altera huius disciplinae pars, quae nullius alterius habita ratione, quàm ipsius ostenti, aut monstri cuiuscunquè sine discrimine, etiam si caussas habeat naturales aut casu factum fuerit, diuinationem tribuit, vt quod de anguibus à Tiberio Gracco cōprehensis dicitur, vt monstrorum quorumdam editio, quae aut in seminis excessum, aut defectum, prauamquè matricis dispositionem, potius referenda sunt, quàm in vllam diuinitatem. & propterea ex illis nulla est desumenda futurorum coniectura.

DIVINATIONIS PROPHANAE A CORPORIBVS MIXTIS NATVRALIBVS PARTITIO.

4732 ea verò quae à corporibus mixtis naturalibus futura rimatur, vel circa quaecunquè corpora naturalia, vel circa animata, tantùm versatur.

OMINOSA DIVINATIO.

4733 prior ad omina pertinet, quibus omnium maximè humana superstitio, & temeritas alitur. est autem omne rei futurae ignoratae, siuè prosperae, siuè aduersae per verba aut actiones praecedētes casuale praesagium, quale quod de Cecilia Mettelli, & de Filia Lu. Pauli narrat Cicero. 2. de diuin

4734 et quanquam omina vbicunquè, & à quibuscunquè rebus & verbis captentur: erant tamen olim captandis ominibus loci etiā quidam peculiares dicati, vt quod de ominoso Mercurio apud Pharos Achaiae Pausanias scribit. petebantur etiā tēpla Deorum, quod in Ceciliae Merelli omine ostēditur. erat .n. in sacello cū omen captaretur.

4735 huic verò arti Plutarchus fauere videtur, qui quidem asserit (sicuti in medicina pulsus, aut pustula paruae res, non paruae rei signa sunt, & nauis gubernatori sonitus maritimae auis, aut discursus rarae nubeculae ventum praemonstrant, & maris asperiorem exagitationem) sic animae diuinatrici sternutationem, aut omen rês per se non magnas futuri magni accidentis indicia esse, nec .n. nulli arti hoc neglectui est è paruis magna, & è paucis multa praenoscere.

4736 si enim quis literarum ignarus videret numero paucas, & forma ineleganti literas, non sanè crederet hominem grammaticum ex his relegere posse magna priscorum bella, vrbium primordia, acta, & euenta regum, iuraretquè potius illũ memoria haec recitare, quàm istis contenta literis enunciare, sic & illi eodem modo videntur, qui quae ad diuinandum faciunt vim ignorantes, succẽseant, si cordatus homo ex his aliquid de re abdita pronunciet.

4737 vnde non defuerunt, qui Daemonium Socratis omen esse dixerunt.

PRO OMINOSA DIVINATIONE.

4738 et sanè negare non possumus multa, & dicta, & facta esse, quae rerum consequentium euentus non humanô: sed prorsus diuino impulsu praeindicasse conuincant, à seruo enim Abrahae iuxtà hominis vaticiniũ Isaac vxor deligitur: captauit etiam omen Ionatas Saulis filius, cũ in castra Philistinorum pugnaturus descenderet, atquè ita vt omine pactus fuerat euenit.

Gen. 24.
1.Reg. 14.

4739 non itaquê negandum quasdam esse in hoc genere vaticinij praesagitiones: quae tamen (vt docet Augustinus) per Spiritus sancti occultissimum instinctum, quem nescientes humanae mentes pariantur, in easdem peruẽniant.

IN OMINOSAM DIVINATIONEM.

2. de diuin. 4740 at hanc artem Carneades, & Cicero multis rationibus, & argumentis stultam conuincunt, miserrimamquè prorsus mortalium vitam existimarunt, si omina sint admittenda

tendā? quando enim omina obseruans quieto, & libero animo esse poteris, vt ad rem gerendam non superstitionem habeas: sed rationem ducem? ita nę si quis aliquid ex sua re, atquè ex suo sermone agens, & eius verbum aliquod aptè ceciderit, ea res tibi ad id quod ages aut timorem afferret, aut alacritatem?

4741 praeterea illae res, quas omina praecesserunt non ideo euenerunt, quòd easdem quis fuerit ominatus: sed prorsus temerè, & à casu.

DIVINATIONIS PROPHANAE AB ANIMATIS CORPORIBVS PARTITIO.

4742 diuinatio verò circa corpora animata, vel à rationalibus, vel ab irrationalibus ortum habet

4743 posterior in Augurium, & extispicium secatur.

AVGVRIVM.

4744 dubitabit autem aliquis quo pacto Augurijs animata solùm tribuamus, cum non solùm aquatilia, terrestria, & volatilia ad Augurium pertineant: verumetiam & nonnulla inanimata, quod Olenus Calenus in augurio Capitolij demonstrauit, an ab his tantum inanimatis solebat augurium desumi, quae mortuorum animalium partes essent?

4745 est etiam perscrutatione dignum quo pacto Cornix sinistra, Coruusquè dexter mali sint habiti, cum tamen dicat Plinius has aues inauspicatas fuisse. & forsan ad hanc cōtradictionem tollendam distinguenda sunt tempora.

HORVM EXPVGNATIO.

4746 est quaedam Aruspicinae pars, quae ex multis animantibus, tùm terrestribus, tùm aquaticis, potissimè verò ex auibus, aut tempestates futuras, aut pluuias, aut contrà serenitatem, & maris tranquillitatem ex aeris circunfusi permutationibus, quibus huiusmodi animantes afficiūtur certissimè denunciat: quam simul cum Virgilio, Arato, & alijs ad vitae humanae commoditatem maximè aptam credimus.

4747 aliam verò non modo Theologia: verùm vniuersa sincerè Philosophantium ratio perpetuò insanam, deliram, ac

vanam existimauit, quod vel ex illius artis inconstantia, & ex varia circa illā superstitione gentium omnibus notum esse potest. propterea (si Ciceroni credimus) externi augures omnibus ferè auibus vtebantur. Romani verò admodum paucis.

1.de diuin.

4748 Deiotari augurij. Disciplina Romanae aruspicinae in multis erat contraria. quae est ergo inter augures conueniens, & coniuncta constantia? ad Romani augurij consuetudinem dixit Ennius.

„ Cum tenuit leuum benè tempestate serena.

at Homericus Aiax nescio quid prosperé hoc modo nūciat.

„ Propterea Iupiter his dextris fulgōribus edit:

4749 non igitur vna eademquè fuerunt eius artis principia: sed pro prouinciarum, & regionū varietate diuersa, quae inconstantia eam voluntariam, nequè cum natura cohaerentem apertissimè prodit. natura enim apud omnes est eadem; & sanè quae est natura, quae volucres huc & illuc vagantes efficiat, vt significent aliquid, & tùm vetent agere, tùm iubeant cantu: & volatu? cur autem alijs à dextra, alijs à leua datum est auibus, vt tantùm auspicium facerent?

4750 praeterea ex suppositione etiā sua malè concludūt. existimant enim per animalia vaticinium fieri non ex accessu Deorum, cum vniuersales prouisores, adstringi minimè possint ad curam diuisam, & particularem: sed ob Daemones, & hos quidem valdè separatos, & singulos singulis speciebus animalium distributos eorum curam praefecturamquè sortitos, qui & statim (vti Iamblicus, Proclusquè innuunt) ad auguria, sacrificiaquè aduolant: sed haec cōtrà ipsos faciunt, cum omnes Daemones mali sint, quod cum non vidissent Plato, & Xenophon auguria comprobarunt.

Iambl. de myst. Proc. de magia in Phaed. 3. de dic. & fac.

4751 praeterea nonnè maximè peccant in eo, quòd in coelo partes ita diuidunt, vt caput orienti, pedes occidenti, dextrum meridiei, sinistrum septentrioni tribuāt? hinc & fulgura è septentrione ad meridiem declinantia optima duxerunt. si enim hoc esset coelum à septentrione ad

meridiem

meridiem moueri deberet, quo quid insanius excogitari potest?

4752 quàm verò futilia, & nullius momenti dicant, vel in aue incendiaria facilè quis videre potis est, quandòquidem nullus eam se vidisse testatus est.

4753 fallitatis autem hos coarguunt nonnulli de Romuli Vulturibus. quomodo enim Romulo apparuerunt Vultures, si Romae nulli videntur?

4754 sed haec euitare facilè possunt, cum & Alberto teste omnia ferè rapacium genere, praecipuè Aquilarum, & Miluorum antiqui vocarint Vultures, quapropter quid prohibet Romulo, & Remo oblatas fuisse Aquilas, aut Miluos? Alber. de animal.

EXTISPICIA.

4755 Extispicia est, quae ab animalium intestinis futura praenunciat, cuius inuentorem Tagem quemdam puerum ferunt, qui in agro Tarquiniensi aratro Erutus eam artē Hetruscos populos docuisse dicitur, qui eam praeterea Romanis cum alijs superstitionibus tradiderunt. Cic. de diuin. lib. 2.

HORVM EXPVGNATIO.

4756 duplicem quoquè extispiciam agnoscimus, alterā (quod sanè multis παράδοξον videbitur) physicam à Democrito repertam, qui sapienter instituisse videtur, vt exta inspicerentur, quorum ex habitu, atquè colore, tùm salubritatis, tùm pestilentiae signa perspicerentur. nonnunquam etiam quae sit sterilitas agrorum, vel fertilitas futura. Cic. 1. de diuin.

4757 hac eadē extispicia rectè aeris qualitates poterant vrbium nouarum institutores coniectura prouidere. quod & Vitruuius asserit.

4758 aliam verò extispiciae partem superstitiosam, quae praeterquàm ab Stoicorum schola, cui semper arriserunt superstitionum portenta, nunquàm non solùm à Philosophia: sed ab omni humana ratione suffragium habuisse credimus. quid enim diuerso, aut monstroso viscerum, aut intestinorum situi, qui naturam habent auctorem, cum ipso rerum contingentium, & quae à libera voluntate proficiscuntur euentu? aut quam haec habent

inter

inter se sympathiam, aut consensionem? aut quanam vi ad imolantis fortunam extra sese accommodant, vt in alium habitum se colorem, aut situm conuertant, & pecudis iecur nitidum, ac plenum, horridum mox marcidum, & exile fiat?

4759 nec tamen negauerim multa eorum, quae in extorum inspectione veteres gentium historiae accidisse cōmemorant, Diaboli, malorumquè spirituum opera ad mortalium seditionem potuisse contingere; praesertim cùm illuc res deuenerit (sicuti Strabo de Lusitanis refert) vt etiam in humanis visceribus Idolorum voluntates, & imperia crudelissimè inquirerentur.

lib. 3. Geograph.

COROLLARIVM.

4760 vnde non malè Iamblichus esse inquit hoc, vel illo modo extra composita, opus est Daemonis, nequè vnius; sed plurium pro ratione diuersitatis animalis oblati, singulis namquè speciebus animalium sunt Daemones distributi proximam curam animalium, praefecturamquè sortiti. rectequè deinde docet hanc artificiosam praesagij machinam, nequè legitimi vaticinij nomine dignam esse, nequè seriò pertractandam, nequè vtenti, quasi sic veridicus esse credendum.

l. de myst. Aegyp. c. 3

EPΓA.

DIVINATIONIS PROPHANAE A RATIONALI ANIMALI PARTITIO.

4761 ea verò diuinatio, quae extrà hominem se non extendit eum vel obdormientem, vel expergefactum considerat, atquè si primo modo sumatur oritur somnispicia de qua satis superius, si verò secūdo Physiognomia, & illius partes.

PHYSIOGNOMIA, CHIROMANTIA, ET SIMILES.

4762 in hoc itaquè vltimo modo se se nobis offerunt, quae astrologico partu prouenerunt, Physiognomia nimirùm & eius partes, Chiromantia, Metoposcopia, Podomantia, & si quae pro humanorum membrorum varietate sunt aliae. tot enim sunt huius disciplinae partes, quot humana

mana externa membra, nisi quòd facies, manus, & pedes, quòd sint notiores sibi supradictas tres diuinatorias artes vsurparunt.

4763 est autem duplex physiognomia: naturalis vna, quam Pythagoras, Socrates, Galenus, Polemon Atheniensis Philosophus, Artemidorus Ephesius, Melampus, Adamãtius Sophista, Auicenna, & his omnibus doctius Aristoteles coluit: quae non modò portio vaticinatricis medicinae, inquantum extrema corporis temperamenta venatur: sed ciuilis quoquè prudentiae, inquantum hominis mores, & procliuitates cõsiderat, à doctis habetur.

4764 qua fisus Aristoteles in Politicis homines carne molli solebat legere. isti enim cum optimum habeant tactum, 7. Politic. in cuius perfectione hominis fundatur prudentia, optimum praese ferunt ingenium.

4765 ob hanc eamdem artem Galenus ex propria, & Aristotelis sententia, corporis actiones cum animi moribus consentire docuit. verùm illud non de moribus, quae vitia sunt, aut virtutes intelligit: sed (vt doctiores interpretes docent) de animi passionibus, quas Graeci πάθη vocant quales sunt audacia, timiditas, & similia. lib. 1. de temp. l. de moribus animi

4766 his enim corporis dispositio ferè respondet, vt ei qui audax fuerit, robustos quoquè neruos natura donauerit, è contrario verò pusillanimi, molles. atquè id est, sed clarius quod dicit postea naturam corporis partes iuxtà animi mores effinxisse. in quam rem alibi exempla subiecit lib. de vsu ex diuersis animantibus, in quibus natura, vnicuiquè Par. pro indolis diuersitate diuersas particulas indidit. homini scilicet, quòd esset animal à natura mansuetum nihil armatum ingenuit. contra Leoni, & in auium genere Aquilae, & alijs auibus rapacibus vngulas indidit, & vt paucis dicamus, alia auium, alia piscium, alia quadrupedum membra.

4767 quòd si non solùm ad effectus: verùmetiam & ad actiones hanc Physiognomiam extendere placuerit, id probabili cõiectura simul cum Petro Aponensi fieri posse credimus. cum enim auctore Aristotele actio faciat scire formam, & omnis tẽperata complexio suo dignoscatur Conciliat. diffen. 177

officio

officio, ac proindè cum in vniuersum actiones humanae, siuè quae ad animam, siuè quae ad corpus spectant, caeterorum mixtorum actiones exuperent; sequitur hominem suo temperamento ad simpliciter illud temperatum proximè accedere, ac proindè reliquorum mixtorum temperamenta perfectione transcendere.

4768 sequitur deinde cum hominem, qui in humana specie perfectiores animae, & corporis functiones exerceat, caeteris hominibus potiori temperamento, ac temperatiori natura constitutum fuisse.

4769 hac ratione frigidum, & siccum, quem melancholicum modò vocant, deteriorem frigido, & humido, quem phlegmaticum dicunt, existimant Medici.

4770 his duobus potiores existunt calidi, & sicci, qui appellantur cholerici, vt potè qui alteram earum qualitatum, in quibus vita consistit, participent.

4771 sed hos omnes exuperant calidi, & humidi, nimirùm quòd vtramquè qualitatem vitae amicam vsurpent. in qua etiam temperamenti ratione sua est latitudo.

lib. 1. trac. 1. cap. 5. Metaphys.

4772 hac eadem Physiognomia Albertus hominum varias ad studia propensiones venatus est. complexio namq; subtilis ob calorem, & humorem lucidum, minimè crassum per frigidum congelans, nequè per calidum commiscés turbatum, homines reddit procliues ad diuina, subtilia, magnaquè studia.

4773 crassior verò in eadem latitudine complexio cum spiritu, nequè mixto, nequè congelato, proportionatas habet sibi physicas speculationes.

4774 calidi verò, & sicci ob retētionem figurarum mathematicis gaudent.

4775 phlegmatici verò quorū spiritus sunt cōgelati, nec benè clari, occupantur circa poesim, Rhetoricam, & similes.

4776 melancholicos verò omisit Albertus tanquam ad omnes scientias ineptos.

ALBERTI, ET ARISTOTELIS CONCORDIA DE INEPTITVDINE MELANCHOLICORVM.

in probl.

4777 nec tamen discrepat ab Aristotele, qui interdum melancholicos

cholicos ad ſpeculandum maximè idoneos viſus eſt dixiſſe. ſunt enim melancholici, vel per ſe, vel per accidens primi inepti, ſecundi verò apti.

CHIRONANTIA EX ARISTOTELE PROBATA.

4778 Huius verò Phyſiognomiae partes ſunt naturalis Chiromantia, Metopoſcopia, Podomantia, quae certis ſignis ex humani corporis inſpectione notatis, regulas quaſdam, ad temperamenti, vel morum edenda vaticinia conſarciunt. ſciunt hae artes exigere, quot naeuos, quot rugas quantaſquè in fronte, in manibus, in pedibus natura deſcripſerit. notant quales oculos, quae ſupercilia, qualē frontem, quale caput, qualem naſum, quales dentes, quale mentum, collum, pectus, ventrem, coxas, pedes, crura quiſquè fuerit à natura ſortitus, ex omnibuſquè illis de animi propenſione, ac procliuitate in has, aut illas actiones, non certa: ſed probabili coniectura vaticinia componunt.

4779 quin & longitudinis, breuitatiſquè vitae vaticinium ipſemet Ariſtoteles à longis, latiſquè, & breuibus arctiſq; manuum lineis viſus eſt approbaſſe. ex illis enim optimae manus inflexiones indicantur, quae probos muſculos praemonſtrant. ex quo recta membrorum cōpactio arguitur. hincquè ex illius ſententia breuiſsimam habēt piſces vitam, vt potè qui muſculis careant. Probl. 2. part. Probl. 49. P. de nat. ani. c. 15.

PHYSIOGNOMIA, METOPOSCOPIA, CHIROMANTIA, PODOMANTIA ASTROLOGICA.

4780 altera verò eſt Phyſiognomia Aſtrologica, quae Aſtrologico artificio de coelo deſcendit, quaequè ſigna Zodiaci, & coeleſtes planetas, primum quidem in humanum corpus, deinde in eius partes, lineas, & rugas, Olympo praecipites detruſit, indequè actiones, loca, tempora, fortunas, lāguores tāta vaticinatur audacia, ac ſi eſſet illa coeleſtis ſapientia; quae à fine vſquè ad finem omnia ſuauiter, fortiterquè diſponit. huius pars eſt ſuperſtitioſa illa, fabuloſaquè Chiromantia, quae totam palmam per ſeptē montes (vt vocant) diuiſam planetis diſtraxit.

Horum

4781 sed planetarum actio, si vlla in his inferioribus praeter lumen recipitur, nō vno in loco; sed vt in Solis, & Lunae, quas experimur actionibus, vniuersaliter funditur. cur ergo Venus tuberculo pollicis, Iupiter indicis, Saturnus medij, Sol medici, Mercurius minimi digiti, Luna percussionis, Mars palmae scrobiculae tantummodò dominantur?

4782 dicent eas manus partes his, quibus attribuuntur planetis temperamento respondere, atquè adeò in ipsis potius quàm in alijs eorum actiones recipi: sed quaeso in tàm parua humani corporis parte, cur tot complexionum discrimina? an tuberculus pollicis sanguineus erit, & medij digiti, qui Saturno respondet melancholicus erit?

4783 quòd si temperamenti ratione fiat ista diuisio, in homine igitur melancholico nihil caeteri planetae dominij possidebunt, quoniam hominis melancholici partes quaecunque melancholicae sunt. tuberculus igitur Veneris, Iouis, Solis, Saturni, Mercurij, Lunae, vel Martis melancholicus erit, idemquè de reliquis temperamentis est habendum iudicium. non igitur diuersi temperamenti ratione: sed mera Astrologorum, qui omnia suis fabulis inficiunt voluntate dominia planetaria sunt in humano corpore, aut manu distincta.

PRO ANTIOCHO TIBERTO CAESENATE IN OMNES CHIROMANTES.

4784 illud tamen animaduertendum censemus in suis principijs omnes Chiromantes errare praeter vnū Antiochum Tibertum conciuem meum. cum enim Antiochus minimum Veneri, pollicem Marti, triangulumque Mercurio tribuat cum principijs Astronomicis magis consensit quàm caeteri. alij enim cur Veneri pollicem tribuunt? nequè enim potest ea cū morte publica consentire, multo minus cum ea, quae ab igne fit, cum tamen ipsa largitrix sit ingenij, filiorum, & vxorum, cuius indicia sumunt à minimo.

Astrologia

4785 sed iam contrà Reginam harum omnium Astrologiam arma capienda sunt, quae illa est diuinatio, quae circa corpus aeternũ versatur, & profitentium dicta imprimis particulatim referẽda duximus. hi igitur septẽ planetas primò ita considerant, vt eos alios appellent beneficos, alios verè maleficos: sed vt clarè res liqueat altius rem repetemus. Sol natura calefacit, atque exsiccat, vt experimentum etiam docet, propterea calidus, & siccus ab illis existimatur.

4786 Lunam verò humidam, & frigidam ex eo dixere, quòd proximè terrã feratur, vnde humidae exhalationes exeut atquè ita subiecta corpora mollia reddit, & putrefacit, habet etiam propter Solis lumen nonnullam calefaciendi potestatem.

4787 Saturnus verò cum plurimum recedat à Sole illius radios etiam debiles recipit, & propterea maximè frigidus est, atquè in hoc Lunam quoquè exuperat. illa enim Ioue, & Marte intermedio distat a Sole, haec autem Mercurio, & Venere, verùm illi coelo decuplo maiores sunt istis.

4788 sed & etiam arefacit ille, quod certè mirandum videbitur, quia plurimum ab humido terrae distat. quapropter comprimendo vapores humidos, propter crassitiem, & paucitatem caloris sui siccabit, parum tamen, cum calorem ingentem non habeat, & cum interitum afferat maleficus est.

4789 Iupiter verò inter Saturnum, & Martem temperatus est in calore; quia mediocriter propinquus est Soli, & ideo radios eius cum temperie quadam recipit.

4790 Mars autem calidus maximè est & siccus ob Solis propinquitatem, ob id enim rubet, & prae caeteris maximè cõburit. ideoquè maleficus nuncupatur.

4791 Venus deinceps calida, & humida existit Ioue plus Marte verò minus, hic enim propter paucitatem luminis, & raritatem non potest trahere vapores: sed ab alijs attractos consumit, & dissipat, & ob id siccus apparet. illa verò, & ob multitudinem luminis, & ob propinquitatẽ eius ad terram attrahit plurimos vapores, à quibus refrigeratur

geratur aer, calorquè minor redditur, sicquè temperatior existit.

4792 hocquè commentitium non esse, vel ex eo comprobant, quòd Thomae insula, quae sub aequinoctij circulo posita est, hyemem patitur, & quod maius est dum Sol illorũ capitibus superstat. scilicet propter vehemétem humidi, atquè vaporum attractionem.

Cardanus in 1. quad. Ptol.

4793 Mercurij verò stella, & siccat propter Solis propinquitatem, non ob situm: proximior enim Venus: sed ob locũ, & humectat ob Lunae situm vicinum, & quia breuissimo tempore reddit ad Solem, & ad eo recedit, ideo facillimè mutatur.

COROLLARIA.

4794 ex his Corollarium eliciunt Lunam, & Mercurium instabilissimos homines facere: sed quia motus Lunae est perpetuò manifestus, ideo instabilitas Lunaticorum est omnibus cognita, quamobrem stultitia nominatur, Mercurij verò cum dubia sit, & non adeo manifesta calliditas appellatur, & ad prudentiam referri solet.

4795 sunt & etiam ex his consequentia Saturnum dominari melancholiae, Iouem sanguini, Martem bili, Solem sanguini in arterijs contento, Venerem semini, Mercurium spiritui, & vaporibus, Lunam autem pituitae, & sanguini menstruo.

EPTA.

4796 diuidũt praeterea aetates in septem, vnicuiquè planetae vnam assignantes, Lunae primos quattuor annos, Mercurio decem sequentes, Veneri septem, Soli decemnouẽ Marti quindecim, Ioui duodecim, Saturni reliquos, atq; vim etiam stellarum inerrantium ad has referunt.

HORVM EXPVGNATIO.

4797 in primis autem contra haec id commune axioma memoriae mandandum est, quicquid in se melius à natura deteriori participatur, deteriores etiam effectus producere, proindè hoc ipsum euenire quoquè in coelesti calore, quoties in sublunari mole recipitur, non est haesitandum.

4798 id autem semper à materiae debilitate oritur, quae sub pondere

pondere tātae bonitatis aegritudine sua fatiscit. & ideo interdum ea facit, quae calor ipse elementaris agere solet: quapropter potentior vrit, & exiccat · tenuis verò, & exiguus fluxum facit, humoremquè dissoluit, vnde opinio nata est Solem siccitatem facere, Lunam verò augere humiditatem, quia scilicet Solis calor ardentior, Lunae verò tepidior: est enim haec natura caloris, vt si validior sit, humiditates, quas è corporibus euocat, consumat, si debilior euocat illas, non autem etiam absumit. atquè sic ex accidenti Luna quidem humectat immodicè, Sol exiccat, atquè in hoc recta est Astrologorum opinio.

4799 et vterquè etiam frigiditatem facit ex accidenti à Sole per accessum, & discessum, à Luna per accretionem, & diminutionem, Sol enim à nobis procul digrediens frigori nos derelinquit, atquè ita frigus facere dicitur. sic & Luna ad coitum tendens lumine spoliata frigefacere dicitur, quòd à nocturna frigiditate minus quàm aliàs nos tueatur. cur igitur Aristoteles tēpora decrescentis mē- de Animal sis humidiora dicit esse, & frigidiora, cum tamen vulgo generatio. confessum sit senescente Luna siccari humiditates?

4800 an quòd Luna decrescente viget humiditas, non ab ea prouenien s: sed ab elementis inferioribus, quibus Luna minus resistit? debilitata enim calore, sub finitore per maximam noctis partem delitescit, & propterea humiditas insalutaris, & excrementitia oritur, adolescente verò Luna crescit humiditas in corporibus vitalis magis beneficio lunaris caloris accedens, sic enim putat Aristoteles, ex lunaribus incrementis Echinos, & eius generis viuentia fieri pleniora, non aliam ob caussam, quā quòd cum illa frigida sint, vt quae sanguine carent foeta Lunae lumine vberiore, sicuti vitalius incalescunt, ita melius concocquant, vnde necessariò succulentiora, & habitiora fiunt. fluunt igitur crescente Luna humiditates, & decrescente: sed aliae, atquè aliae, crescente bonae, decrescente malae.

4801 ex quibus clarissimè patet non humefacere Lunā, quia frigida, & humida sit, cum talis humiditas Luna decrescente crescat, sed quia salubriter calida est, atquè hoc sit

CCC primum

primum contra Astrologos dictum.

4802 in caeterarum autem stellarum qualitatibus aberrãt toto coelo. dum enim Saturnum frigoris accusant, quòd procul à terra positus sit, cur non magis humidum dicunt? quandóquidem qui parum callet planeta humefacit per accidens vti diximus, non autem exiccat.

4803 praeterea nonnè statim sequeretur haerentes stellas praesertim citrà primum magnitudinis gradum Saturno frigidiores esse? siquidem & minores illo, & remotiores à terra sunt. erit igitur cor Leonis frigida stella, quae tamen ab Astrologis decernitur esse flagrantissima.

4804 et ex his etiam omnes alij planetae (vno dempto Sole) humidi erunt, praeterea si illis etiam illae qualitates cõdonentur, nullum tamẽ adminiculũ suscipit Astrologia.

4805 quinimò ex his potius corruit, namquè si omnes agunt stellae, & ad effectum quemlibet conferunt nonnihil, Astrologi verò stellas tantùm mille viginti quinque, & duas, vel ad summum super mille quatercentum septuaginta: sex duntaxat obseruant. fit vt cum minorẽ caussarum teneant numerum, atquè eas nondum perfectè calleant, absolutam effectus conditionem iudicare non posse.

Gellius

4806 quod tamen Phauorinus philosophus, non solùm alias stellas praeter notas existere: verùm etiam planetas alios disputat esse posse, ignotos vel propter splendoris copiã, vel propter exuperantiam altitudinis, sine quorum obseruatione haberi perfecta notitia nequeat, apud nos tutum non est.

4807 in asignanda verò vnicuiquè planetae aetatis parte, nec satis sibi constant, nec rationi satisfaciunt: existimant enim Lunam per primos quatuor annos dominari, quòd eius reuolutio per id tempus in paruo circulo perficiatur, atquè is appellatur motus inaequalitatis, vt habetur alibi. verùm cur decem praeterea Mercurio tribuerunt annos, qui tamen ad eundem locum Epicicli per annos viginti regreditur.

in 4. magnae com positionis.

4808 quòd si id ex eius debilitate proficisci dicant, vt nõnulli asserunt, cur ꝙ retrogradus habet amittit stationarius?

hoc

hoc enim ex eorum ſententia perindè eſt ac ſi diceremus, amitti quidquam in potentia, quod in impotentia retinemus.

4809 deinceps ſi totum Veneris, & Martis curſum in paruo circulo in ſua aetatis portione recipiunt, cur in Ioue reuolutionem in circulo magno ſectantur?

4810 repugnant & etiam rationi: nam quotquot aetates diſtinguunt per annorum ſeptimanas diſtribuunt: Hyppocrates enim ſeptem dixit hominis aetates eſſe, infantis, pueri, adoleſcentis, iuuenis, viri, ſenis, decrepiti, quarum limites ſeptimanae ſunt annorum. infans enim eſt donec intrà ſeptennium dentes emittat, puer vſquè ad geniturae excretionem ad geminatum ſeptennium, adoleſcens vſquè ad barbae hirſutiam ad annum ter ſeptimum, iuuenis vſquèdum creſcit totum corpus ad annum quater ſeptimum, vir vſquè ad ſepties ſeptimum, ſenex vſquè ad octies ſeptimum, decrepitus in reliquis: Solon verò in decem eadē ratione ſecauit eas, quod in his carminibus elegiacis ſic cecinit.

,, Impubes pueri ſeptem voluentibus annis
,, Clauduntur enatis dentibus eloquium
,, Poſt alios totidem diuorum numine dextro
,, Occultum pubis naſcitur indicium
,, Annis ter ſeptem prima lanugine malas
,, Veſtiet aetatis robore conſpicuus
,, Quartus id augebit iam ſeptenarius, iſquè
,, Optimè virtutis proferet indicia
,, Adde alios totidem feſtinans ocyus aetas
,, Coniugio monuit quaerere progeniem
,, Sexta aetas animo, ſi quid deeſt addet, eaquè
,, Diſces quid deceat, quid quoquè dedeceat,
,, At quae ſuccedant per proxima ter duo luſtra
,, Ornabunt linguam dulcibus eloquijs
,, Nona aetas languet, tùm frigida membra retardant
,, Virtutem non vnquam interituram animi,
,, At ſi quis decimam potuit contingere metam
,, Iam tempeſtiuo funere conciderit.

cur ergo & hunc ordinem ipſi non ſeruarunt?

ALBERTI MAGNI PVLCHERRIMA SENTENTIA DE VIRTVTIBVS COELORVM ASTRORVM, ET PLANETARVM DEFENSA.

lib. 11. Metaphys. trac. 2. cap. 25.

4811 ea verò quae ob Astrologica iudicia Albertus Magnus in medium protulit, vt digna sunt relatu, ita & defensione. cum enim esse simplicissimum per materiam, per quantitatem, & per qualitates primas determinetur, sic & arbitratus est illis in caussis, & principijs quasdam differentias respondere.

4812 cum igitur primus motor sit essentia simplex, & ab eo vnus motus, continuus, & aequalis fluuat, proindè ex se, motuquè suo omnibus esse largitur, est autem illius motus Aplanes motus, qui motus diurni in omnibus Sphaeris est caussa. & sic ab vno primo mobili est vnus tantùm motus simplex.

4813 consequens est autem, vt in secundo mobili, ex quo esse cum materia componitur, duo reperiantur motus. cum itaquè primus motus ab oriente sit ad occidentem Solē secundus motus ab occidente in orientem erit. sicut enī in compositione, vt vnum principium ad alterum moueatur necesse est, sic & vnum principium componentiū obuiabit alteri.

4814 huic compositioni consequitur determinatio per quantitatem, & figuram, qui quidem effectus per omnes Astrologos coelo stellato solet adscribi. propter quod illi coelo multae imagines attribuuntur, & cum hucusquè motus, & mobilia sint ordinata semper vno modo crescentia secundum recessum à primo simplici, propterea & hoc coelum tres habebit motus.

COROLLARIVM.

4815 erunt itaquè supra octauam Sphaeram duo coeli occulti.

ΕΡΓΑ.

4816 quod autem determinatur mixtione, & complexione primorum qualitatum. septem planetis adiudicatur nō iuxtà motus, sicuti & in superioribus mobilibus: sed varia tantummodò positione, & situ.

4817 in mixtione verò nō est nisi frigidum cum sicco, frigidū cum

cum humido, calidum cum ſicco, & calidum cum humido. in mixtione verò frigidi cum ſicco, nulla eſt qualitas vitalis, cum vtraquè potius corruptiua ſit: & licet hoc genus mixtio malè recipiat: optimè tamen retinet. proindè cum malè recipiendi potẽtia rerum geneſim impediat, oportuit Sphaeram per motum ſuum hoc operantẽ longiſsimè à terra reponi: reperiri verò neceſſarium erat propter potentiam benè retinendi. quae omnia in Saturno inſunt.

4818 frigidum autem cum humido duplex eſt. reperitur enim humidum ſimplex elementale, & humidum complexionale, quod vitae ſubiectum eſt. ſimplicem verò fortem, & vehemẽtem motum habere neceſſe fuit, vt facilius miſcibilibus ingereretur, ideoquè Sphaera Lunae viciniſsima loco mixtionis fuit, vt fortius moueret, propter ꝙ etiam fluxus, & refluxus maris Lunae motum ſequitur. humidum autem complexionale Sphaerae Veneris ſubiacet, quae propterea Soli coniuncta eſt vitae datori.

4819 humidum verò cum calidò non poteſt eſſe, niſi ſpiritale ſit humidum, ex quo ſpiritus fiunt vectores virtutum vitae, propterea excellens calidum, ſiquidẽ hoc cum ſicco tantùm conuenit, eſſe non poteſt. ſunt itaquè ſimul calidum complexionale, & humidum ſpiritale. quod ſanè Sphaera Iouis altius poſt Saturnum locata mouet. eò verò loci poſita fuit: quia mixtionis materiam mouere minimè poteſt: at motae iã & mixtae ſe influere poteſt.

4820 calidum autem cum ſicco, aut eſt totius materiae motiuum quod furens, & feruens calidũ eſt, à Martis Sphaera motum, ob quod ſatis remota eſt, vt abſquè incenſione poſsit attingere miſcibila, aut materiae iam motae digeſtiuum, & maturatiuum; quod eſt Sphaera Solis mouens, ob quod in medio ſita eſt.

4821 vnus autem ſolus eſt, qui commiſcibilem, & applicabilem habet virtutem, Mercurius nempè. & proindè habet ille motus inuolutos multos, poniturquè inter duos planetas, frigidi, & humidi motores, cum ob eas qualitates, res prae caeteris commiſcibiles reddantur.

4822 quae omnia facillimè poſſumus tueri, ſi coelos (vt ſuperius

rius etiam diximus) specie distinctos fateamur. licet enī praeter lucem ab vno quoquè illorum qualitas fluat vniuersalis nulli particulari qualitati contraria. possumus tamen absquè contradictione hanc vniuersalem qualitatem in vno coelo frigido, & sicco, in alio verò humido, & frigido, & sic in singulis, viciniorem affirmare.


ASPECTVS.

4823 Aspectus autē in Zodiaco quinq; sunt, cōiunctio oppositio exagona, quadrata, & trigona radiatio, & oppositio signa sex cōtinet, & est partiū LXXX. supra centum, triquetra verò signa quatuor partium CXX. quadrata signa tria partium XC. sexangula signa duo partium LX. caeteros verò aspectus veluti octogonum, & duodecagonum omiserunt, vel quia signa integra non comprehenderēt, vel quod debiles nimis essent.

4824 atq; huiusce rei adducit Ptolomaeus duas rationes, quarum altera est mathematica, altera musica. mathematica sanè haec est. oppositionis ratio diametrum in vna figura nobis demonstrat, & propterea per hunc rectangula fiunt duo, in quorum vnoquoquè si maximas portiones, & item supra portiones sumamus. iam exagonum, tetragonum, & triquetrum constituetur.

4825 rectangulorum autem istorum maximè positiones sunt dimidium, & triens, & ideo ex primo tetragonum, ex secundo verò triens componitur.

4826 supra portiones verò sunt sesquitertia, & sesquialtera, ob primā trigonū à tetragono, ob secundā tetragonū ab exagono secernitur, & haec omnia satis depictum quadratū demonstrabit.



Musica

4827 Musica verò haec est, arcus oppositionis cum sit CLXXX. trigoni CXX. quadrati XC. exagoni LX. si diuidatur per XXX. (tot enim vniuscuiusque signi sunt gradus) prodibunt 6. 4. 3. 2. in quibus continua cernitur proportio musica.

4828 et in primis sex, quatuor, & tria faciunt cōtinuam proportionem musicam, cum talis sit proportio sex ad tria extremi, ad extremum, vt excessus, quo 6. excedit 4. nēpè 2. ad excessum, quo 4. excedit 3. nempè 1. in vtroquè enim proportio est dupla.

4829 sic & 6. 3. 2. faciunt aliam proportionem musicam continuam cum talis sit proportio 6. ad 2. extremi ad extremum, vt excessus, quo 6. excedit 3. ad excessum, quo 3. excedit 2. namquè vti 6. excedit 2 proportione tripla, sic excessus, quo 6. excedit 3. excedit proportione tripla excessum, quo 3. excedit 2.

4830 modò & in his quoquè constituitur oppositio in sex, triquetrum in quatuor, tetragonum in tria, exagonum in duo, atquè ita puto ego declarandi esse Ptolomaei verba non quemadmodum Picus fecit, qui illius minimè percipit sententiam. Picus in 6 l. cōt: Astr. c 5. 6. & 7.

4831 his praehabitis signa Zodiaci bifariàm diuidunt, vt in vnaquaquè parte sex signa sint, quorum altera appellant masculina, & diurna, altera verò foeminina, & nocturna (putant enim diurna, & masculina conuerti, quòd ambo sint calida, & sicca, & similiter foeminina, nocturnaque eadem caussa. quòd frigida, & humida sint) atquè ab Ariete incipientes eum masculinum, Taurum verò foemininū, & sic alternatim vsq; ad finē appellant.

4832 si quis itaquè quaerat ab illis caussam, cur quadratum, & oppositio adeo malae sint figurae (sic enim eas nuncupāt reliquas verò bonas) id ex eo proficisci respondēt, quòd quae se vel coniunctо, vel exagono, vel triquetro radio respiciunt, ambo necessariò masculina, & diurna, vel foeminina, & nocturna sunt, & ideo sibi inuicem amica secus autem in quadrato, & oppositione.

HORVM EXPVGNATIO.

4833 sed ea quae de diuisione figurae dicta sunt in Luna saltē

condonentur, nequè ea liceat ad trutinam referre. videmus eteni Lunam pro diuersa positione ad Solem valdè effectus immutare suos, quod tamen in caeteris planetis euenire minimè potest. illa enim ex hoc acquirit, vel deperdit lumen, quod in alijs haud accidit: sed penitus eorum hypothesim destruamus: tunc enim omnia cadet.

4834 dum igitur sexum in signis alternatim ponunt, id ex ea ratione, quòd nox diem sequitur, & foeminae viris adhereant, deducunt. contra quam rationem magis ridendū quàm disputandum est, videamus tamen cur à die incipiant. namquè forsan nocturna signa debuerunt anteponi, si quidem dies noctem potius sequitur, quàm nox diem: scriptum est enim factum est vespere, & mane dies vnus, quapropter Hebraei temporum initia à nocte statuerunt.

1.Genes.

4835 praeterea si compertum experimentis dogma contendāt quaeram ego quibus? namquè si id experiētia docet cur tanta diuersitas? multi enim ab horoscopo initiū sumūt vt esset semper exoriens signum masculinum, atquè diurnum, reliqua deinceps consequenti ordine diuidebant, alij verò Arietem, Cancrum, Leonem, & Sagittarium mascula. Geminos verò, Libram, Capricornum, & Aquarium foeminina dixerunt. quin & illam reciprocationem etiam multi negarunt: hinc illi.

Manilius

„ Sunt quibus esse diurna placet, quae mascula surgūt,
„ Foeminea in noctem latis gaudere tenebris,
„ Qui non multa sibi nullo monstrante loquuntur.

4836 deniquè & isti sibimet repugnant, namquè Scorpionem, quem alias calidum asserunt adeo, vt in ascendente cum Marte iuxtà eorum opinionem homines flammis comburendos emittat, frigidum tamen, & foemininū dicūt.

Ptol. in c. pen. 4. quad.

4837 quid? quòd & etiam in Marte reciprocationē suam destruunt, illum enim & masculum, & calidum, nocturnum tamen asserunt.

PLANETARVM MVTATIONES

4838 planetae etiam & apud ipsos iuxtà motum, & signi naturam valdè mutantur: Epicyclum enim supponentes in eo quatuor angulos animaduertunt infimum, quem retrogradationem

gradationem appellant. ascensum, quem primum statum dicunt. summum, quem augem nuncupant. descensum, quem secundum statum nominant. atquè in auge planetas validissimos, in descensu debiliores, in infimo debilissimos, in ascensu validiores asserunt: & haec quò ad motum.

4839 sic & quò ad signi naturam mutationes suscipiunt: in domibus enim quinque, in altitudinibus quatuor, in triangulis tres, in finibus duo. addiderunt Arabes faciem, in quibus vnum valent, & alia etiam huiuscemodi cômenti sunt.

4840 addunt etiam obsessionem, & combustionem, obsessum planetam dicunt quoties vtrinquè radij malorum siderum eum circunstent, quam habitudinem Graeci vocant ἐμπερίχεσθαι vt si Iupiter Libram teneat, Mars Virginem, Scorpiumquè Saturnus, sic & sub Solis radijs constitutos combustos, & malè affectos dicunt.

HORVM EXPVGNATIO.

4841 sed quod de statibus dicunt, in eorum etiam via contra ipsos reflectitur, namquè si vt omnes Astrologi fatentur, quanto proximior est planeta terrae, fortius nos immutat, afficitquè potentius, validissimus erit retrogradus, debilissimus verò directus.

4842 verùm quod de domibus dicitur ex vna saltem parte ex suppositione Hebraeorum, Caldaeorumq; posset illis concedi, si quidem teste Macrobio, aiunt incipiente die illo, qui primus omnium luxit, qui ideo mundi natalis iure vocitatur Arietem in medio coelo fuisse. quod quia mundi vertex est, Arietem propterea inter omnes primũ habitum, qui vt mundi caput exordio lucis apparuit, addunt deindè gestasse, tùm Cancrum Lunam, Leonem Solem, Virginem Mercurium, Libram Venerem, Martem Scorpionem, Sagittarium Iouem, Capricornum Saturnũ, & propterea haec signa illorum planetarum domus fuisse appellata. necessarium est enim in maxima sua perfectione à Deo locatos fuisse planetas.

Macrob. in lib. I. som. Scip. c. 21.

Origenes in 1. Genes.

4843 sed qua ratione deinceps, Saturnum Aquario, Iouem Piscibus, Arietem Marti, Taurum Veneri, Geminibus Mercurium

curium tradiderunt? afferant quaeso rationes, si nullas habent.

4844 in altitudinibus verò mathematicum quoddam dictum ansam erroris praebuit. huius rei admonuit naturalis historiae scriptor ille diligentissimus, qui reddens rationem, cur sidera aliàs altiora, alias inferiora videantur post multas hanc annectit rationem, quòd planetae à suo centro absidas habent altissimas in his signis, Saturnus in Librae parte vigesima, Iupiter in Cancri decimaquinta, Mars in Capricorni vigesimaoctaua, Sol in Arietis decimanona, Venus in Piscium vigesimasexta, Mercurius in Virginis decimaquinta, Luna in Tauri quarta. hinc & Genethliacis occasio data, vt seruato altitudinis nomine, quasi tamen non loci foret altitudo: sed naturae, & potestatis abuterentur, neque enim aliàs dicũt Astrologi exaltari planetas, quàm in illis locis, & propterea in illis etiam vno dempto Sole nullam habent rationem.

Plinius lib. 2.

4845 trigona verò ab ipsis triplicitates appellata illi nituntur rationi, quòd signorum quaedam aquea faciunt, quaedã aerea, quaedam terrea, quaedam ignea, & ideo circa hãc hypothesim primò versandum est. vel igitur ad Solem, vel ad stellas id referunt: sufficiens enim est haec diuisio etiam ex eorum dictis. ad Solem, vt talis signi natura dicatur, quale opus est Solis id permeantis, quo pacto mobilia signa, aequinoctia, vel solstitia. reliqua fixa, vel communia dicuntur. ad stellas si hospitantium ibi stellarum virtutes signo tribuuntur.

4846 sed neutra suae partitioni quadrat ratio: nam si Solis opera sequamur, igneus erit Cancer, non Aquarius, sicut aqueus Sagittarius magis quàm igneus, atquè conditio signorum ferè omnium commutabitur.

4847 si refertur ad stellas suis sedibus migrantes, iam non vt ipsi volunt, erunt perpetua, atquè hoc erit, vel Auenrodan, vel Alchindum sequantur.

4848 fines verò, & facies quis facilè euertet, quòd nullis nitantur rationibus, neque etiam experientia, cum inter se in hoc Astrologi valde sint diuersi.

Figura

FIGVRA FATALIS.

4849 ex his deindè deueniunt ad Fatalem Figuram, quae ab ipsis duodecim locis distinguitur, & in illa designanda ordine procedunt retrogrado, cum contrà motum coeli deuoluant illam, & licet in hac valde digladientur: attamen receptior est Materni opinio, quae & propterea à nobis solum proponetur.

Iulius Maternus, & Io.pon.l 2 de rebus coelestib°

4850 prima igitur domus, quae Graecè ὡροσκόπος dicitur adscribitur vitae, quòd tùm perindè ac ascendens è subterraneis locis ad nos prodit, sic qui in vtero matris est, tùm in lucem deuenit, cumquè in hoc signo, vt potè principio caetera continuentur ideo vitam, in qua caetera subsistũt tuetur, & propterea animalis constitutionem, & temperiem.

4851 verum qui vita cõsistet? vel corpus officio suo fungi poterit, absquè domestica substantia, quae suppellectilem, alimentaquè nobis praebet? quare secunda domus primae contigua eorum habet significationem, atquè iudicium, quae vitae, corporiquè alimoniam subministrant, & cum ab antiquis habitus fuerit ille locus piger, ac deiectus, quòd nulla cum horoscopo radiatione iungatur, ideo & Iulius Maternus, caeteriquè illum infernam portam appellarunt, atquè propterea non mirum esse dicunt si pro comparanda re familiari, censuquè domestico tot obeuntur labores, quando secundus locus primo prorsus nullo familiaritatis coniungitur vinculo.

4852 cumquè homo sit Animal sociabile, sic post alimoniam prima societas, nempè fratres, & sorores tertio adscribitur loco, qui prima cum ascendente irradiatione coniungitur, habetquè & amicitiarum, & peregrinationis significationem, atquè ob bonitatem, quam in eo putarunt insitam Deam appellarunt.

4853 consequitur quartus, & imus locus, qui cum motu suo horoscopum supra terras proferat. ideo patri dicatur, qui author est prodeuntis in vitam filij. quamobrem & patrimonij etiam significationem habet.

4854 verum cum nulla sit arctior, quàm filiorum, & patris cõiunctio, propterea quintus locus filijs meritò designatur

& vt

& vt dona Naturae, nempè liberos continet, sic & significatorem etiam asserunt donorum, quae tùm ab amicis, tùm etiam à principibus conferuntur, hinc & maiores illum bonam fortunam nuncuparunt.

4855 è contrario sextus locus piger, cum horoscopo nullo aspectu coniunctus, malae fortunae nomine appellatus est, cum verò amico aspectu foueat locum alimentorum reique familiaris, seruos vtique nobis, seruiliaque animalia denunciat, cum haec sint domesticae rei adminicula.

4856 cum autem ad cõstituendam rem familiarem desit vxor sequitur septimus locus, à quo nobis ea indicatur, & quãdo haec ipsa locorum, & angulorum inter se connexio aduerso conciliatur aspectu, mirum esse non aiunt, si inter virum, & vxorem lites, quamplurimae excitantur, & ex hoc etiam contentiones, damnaque ex his prouenientia portendere dicunt.

4857 octauum locum esse mortis asserunt, quando iã cum horoscopo inconiunctus est: quinimò locis maximè nocẽtibus connectitur. atque vt Solem, & diem sub terras praecipitat, sic vitam cum morte commutare autumant, & vt secundo loco, qui rem nobis demonstrat, aduersatur sic iste ècontrario internitionem, corporisque ipsius, ac vitae labem portendere innuunt, & ideo ad hunc occultae facultates, thesauri, haereditates, quaeque ad mortuorum censum pertinent referunt.

4858 nonus ascendenti amicus qualitates, & propẽsiones nati declarat, quarum mater cum sit religio, ideo religionẽ designat, habet etiam significationem sectarum, diuinationis, somniorum, peregrinationis, & legationis, & bonus Deus dicitur.

4859 decimus in summa coeli parte constitutus, dignitates, & honores decernit, & idem patriam, & actiones, artis, vitae, genus, & animi etiam propensiones referat, tanta vis est illi insita ob cardinem summum.

4860 vndecimo loco addicunt amicos, consiliarios, suffragatores: assistit enim decimo, vt illi magistratibus. quapropter bonus Daemon appellatus est.

4861 secus autem in duodecimo, quãdòquidem nullo aspectu

horoscopum

horoſcopum reſpicit, quò circa aerumnas triſtitias, maerores, inimicitias, morbos, ſeruilemquè ſubſtantiam illi tribuunt, & mali Daemonis nomine notatus eſt.

4862 atquè qui ſic domus ſtatuunt, duodecimam Saturno, ſextam Marti, quintam Veneri, nonam Ioui, decimam Soli, vndecimam Lunae aſsignant.

4863 et praeter haec ipſi quatuor angulos fingũt in figura coeleſti, Aquilonem nempè, Orientem, meridiem, & Occidentem, angularemquè planetam vocant, quando iam ipſum punctum, vel certum ſpatium propè punctum poſſidet, mox verò cum inde progreditur ab angulo cadere dicunt.

4864 et in iſtis angulis Martem prae caeteris horrent, praeſertim in occidente, nequè etiam Saturnum eligunt angularem, ambos enim cum illi noxios opinentur, nè potẽtiores ſint non cenſent in angulis collocandos, niſi fortè Saturnus aſcendens in Aquario ſit domicilio ſuo, vel Libra exaltatione ſua, praeſertim in diurna Geneſi, & ideo illum ſexto, hunc duodecimo alligarunt loco.

HORVM EXPVGNATIO.

4865 ſed & hic inſaniunt, cur enim aſcendens ab oriente ſidus principium vitae ſignificat? ſi enim quia ſimul è tenebris terrae ſidus emergit, & è tenebris alui natus egreditur, ſimiliter dicat aliquis, pater nunc egrediens ciuitate filium ſignificat domo ſimul egredientem, atquè inſuper filio conducit egredienti.

4866 verùm ſi quod ita ſignificandum ſit, ſidus illud potius, quod tunc aſcendit, cum primum foetus incipit viuere in aluo, ſignificat vitam, vitaequè principium, quod nequè obſeruant, nequè obſeruari vlla ratione poſſunt.

4867 ſic & alia deinceps futili nituntur ratione, cur enim ſecundae potius qualitates animi non adiecerunt? proximior eſt enim corpori animus quàm res.

4868 et vt caetera omittam (nullius enim ſunt ponderis, cur enim magis quartus locus impellit aſcendens, quàm ſeptimus? & cur magis octauus deijcit deſcendens, quàm decimus?) in domibus inconiunctis omnis eorum error ex eo deduxit ortum, quòd coeleſtia ex noſtris metiti ſunt,

ſunt, cum ſoleat homo in chorea propinquum ſibi hominem ad latus difficilius intueri, quã ſeparatum, quod quam ridiculum ſit ſatis patet.

4869 in alijs autem ſibimet ipſis aduerſari coguntur. & primò quòd Saturnum in duodecima, Martem in ſexta conſtituant, nonnè ſibimet ipſis manifeſtiſsimè repugnant? tantùm enim abeſt ex eorum etiam ſententia, Saturnum, & Martem, tùm eſſe minus infenſos, vt etiam, vt potè oppoſiti infenſiſsimi ſint.

4870 ſic dum Solem quidem in nona, Lunam in tertia gaudere dicunt, in idem etiam labuntur.

4871 praeterea cum ſidus quò diutius agit in nos eò abſolutius agat, cur non duodecimus locus magis aget, quàm aſcẽdens? & cur id adeo negant?

4872 omninò verò cum à fortiſsimo ad debiliſsimum tranſire abſquè medio, ratio non promittat, cur planeta ſi in angulo ſit fortiſsimus, mox poſt angulũ debiliſsimus erit? neque vnquam rationem validam aſsignare poterunt, cur angulum quemlibet plurimi faciant, qui & fugaciſsimi ſunt, & vix ad nos pertinere videntur, cum caetera diutiora ſint.

EFFECTVS GENERALES.

4873 ex his praeterea generales, & particulares effectus praedicunt, atquè primò de generalibus dicemus. ſunt autem iſti, diluuia, incendia, legum promulgationes, peſtes, bella, mortes, & ſimilia, quas à magnis coniunctionibus portarum (vti ſupra diximus) aperitonibus appellatis emanare dicunt, atquè ex his derogari particularibus cauſsis aſſerunt.

in Aerom. theor.

4874 et vt aliquid particulatim proponamus, diluuia, & incẽdia fieri vniuerſalia dicunt, cum omnes erraticae ſtellae, vel in aqueo, vti Piſcibus, & Aquario, vel in igneo, vt in Leone fuerint.

4875 peſtes verò ab eclipſibus maximè venantur, ſic & bella, namquè ſi Saturnus interrex in eclipſi ſit, fit peſtis, & marcor prae illius frigore, ſi verò Mars bella oriuntur. dignoſcitur autem vnaquaequè ex eorum dictis per colorẽ, Nigra enim saturnia, Candida Iouialis, Rutila Martia,

Flaua

Flaua Venerea, varia Mercurialis.

HORVM EXPVGNATIO.

4876 neque haec etiam satis rectè dicta sunt, cum enim omnia in magnis coniunctionibus fundamenta iaciant, his subuersis quid immorabitur, cur & caetera non corruant? nos itaquè eo potius inclinamur, vt credamus minus aliquid inde fieri, quàm si seorsum vnusquisquè planetarum ageret: nam si qui simul coeunt planetae eadem essent proprietate, & vires haberent earundem rerum effectrices, profectò accessione facta duplicis radij, effectus quoquè multiplicaretur, at cum contrariae sint repugnantisquè naturae, qualis Iupiter, & Saturnus necessariò alter alterum impedit, & dum inuicem suas freñant, ligantquè potestates diuersitate mixtionis fit, vt expectare nihil ab his possimus nisi mediocre, quemadmodũ omnia sunt, quae extremorum mixtione dissultant.

4877 sic & Mars, & Saturnus quãquam vterquè maleficus, vterquè noxius sit: quia tamen diuersam habent nocẽdi potestatem non fit ex illorum coniunctione maius aliquid malum, & admirabile: sed franguntur potius debilitãturquè alterius vires ab altero, ita vt nocere neuter possit dum nocere vterquè pro suae naturae conditione contendit.

4878 quod autem de diluuijs, & incendijs dicunt, id etiam & in se falsitatem maximam habet, namquè licet in partibus mundi continuis coelum influat maximè, partesquè tantùm separatas, vt homines liberas relinquat, tamen vniuersale diluuium haud vt ipsi dicunt fieri poterit, si quidem mutatio fiet, vel in ea parte à qua recedunt, vel ad quam accedunt, seu defectu, seu influxu agat coelum.

4879 sic & in eclipsibus aliquatenus aerem affici non est haesitandum, alteram tamen à Marte, alteram à Saturno pendere prorsus est fabulosum, neque minus errant dum ex coloribus id conijciunt: constat enim ex Alphonso, Linerioquè eos in Sole fieri per distantiam à nodo seu capite, vel cauda Draconis, & in Luna iuxtà distantiam ab Apogeo sui parui orbis, & à latitudine ab ecliptica. Alphonsus & Lineri* in tabulis

Effectus

EFFECTVS PARTICVLARES.

4880 effectus autem particulares sunt in quibus de vnoquoquè homine rationem reddunt, licet & hos subijciant generalibus, & in hoc perficiendo, annum, mensem, diem, horam, & punctum Genesis requirunt, & quia id semper nisi per Astrolabium sumatur, ex eorum dictis falsum est propterea multas habent regulas, vt Geneses ad verum redigantur punctum.

4881 et in primis Ptolomaeus praecipit obseruari nouiluniũ proximè geniturani praecedens, aut plenilunium, tùm planetam eorum locum dominantem, deniquè themate iam disposito cui cardini, orienti nempè, vel medio coelo propior est numero gradus planetae is ad eundem numerum redigitur, atquè sic puto ego declaranda esse Ptolomaei verba.

4882 alij verò aliam venantur viam, ponunt enim quasi confessum ex veterum traditione, & praesertim Ptolomaei Lunae locum in Genesi fuisse horoscopum in conceptione, cõtra Lunae locum in conceptu horoscopum esse natiuitatis, atquè hoc posito methodum tradunt, qua putant posse deprehendi locum Lunae, cum semen vterum impleuit, quo reperto similem quoquè gradum colligũt hora natiuitatis ascendere.

4883 atquè hi sunt modi, qui recepti magis ab Astrologis fuere, caeteri verò, vti Messalae inuenta, & Aegyptiorum, quos Paulus Alexandrinus refert ex eorum etiam dictis, vt figmenta confutantur.

4884 his praehabitis de omnibus accuratè iudicium sumunt: sed duae principes partes ad quas omnia ferè reducuntur sunt de vita, & de fortunis, illam ab Apheta, hanc à parte sortis venantur.

4885 Apheta verò, seu vitae dimissorius ex Ptolomaei sententia per se solum, spatij vitae periculorumquè imminentium significator est, atquè is in Genesi diurna Sol, in nocturna Luna erit, si tamen supra terram sint horoscopo coniuncti. sin minus planetam orizonte n supra sumunt ascendenti amicum, qui plura ad dominum suffragia obtinet. quod & si hoc quoquè non habent, iam vitam ascẽdenti

denti tribuunt, atque ita Ptolomaeus, eiusque pedissequi Ptol. in lib 3. quad. cap. 32.
Arabes verò vltra hunc, quem Hileç nominant etiam vitae significatorem, Alcocoden ab illis appellatum addũt is autem est, qui dominus est Aphetae loci. nituntur aũt multiplici ratione, primò quòd non deceat naturalis vitae terminos esse fortuitos: sed si sumatur ab Aphetae concursu cum Anaereta, quem multi euadunt. iam incerta mors erit, & praesertim cum alij contra ante concursum pereant, praeterea posset aliquis etiam viuero annis propè CCXXV. posita prima parte Leonis ascendente sub altitudine poli partium LX. & benefica respiciente primum abscisionis locum.

PRO PTOLOMAEO IN ALCOCODEN ARABVM.

4886 sed in via sua Ptolomaeus rectè satis concludit, in multis enim Genesibus nullus est vitae significator, & Arabum rationes satis bellè subterfugere potest: nam & naturalis vita finem habet fortuitum, cum & naturali morte ex illius sententia pereant solùm quibus Apheta ad quadratum suum peruenit. similiter & posse quem antè concursum occidere dicit, si debilem habet Apheram etiam ex Antiscijs. atquè potest esse, vt quis ducentesimum annum pertingat, & transeat, sicuti de quibusdam legitur. cum autem tot sint necessaria vix in multis saeculis cõtingit.

4887 partem verò Fortunae ab eodem loco passim colligunt, locus autem eius ita sumitur, vt quantum Sol distat ab ascendente tantum Luna à parte Fortunae, atquè si Luna est à coniunctione ad oppositionem, tunc Luna sequitur Solem, & pars Fortunae erit sub terra, & sequetur ascendens. quòd si Luna transierit oppositionem, ipsa antecedet Solem, & ita pars Fortunae antecedet ascendens, & erit supra terram.

4888 tempus autem generationis non conceptus sumunt, quòd conceptum ortum seminis humani appellant. Genesim verò ipsius hominis, & propterea quanto perfectior est homo semine, & imperfecto foetu, tanto natiuitas est cõceptione perfectior. id autem ita esse ostendunt, quòd multa post partum generato accedunt, quae prius non

habebat, vti respiratio cerebri per nares, & palatum, sic & respiratio per pulmonis asperam arteriam, sic & assumptio nutrimenti per os, quae omnia dum infans est in vtero fiunt per venas, & arterias vmbilici, sic & eiectio vrinae per virgam, quae & ipsa dum infans est in vtero per meatum medium inter venas, & arterias fit, similiter est excretio fecum, quae nulla prius fiebat, ita vt aliqui nati sint sine ano, demum & accedit vsus sensuum exteriorum.

HORVM EXPVGNATIO.

4889 in primis autem contrà hos punctum Genesis verum minimè sciri posse pertinaciter dicimus: namquè si vt Origenes inquit Astrologi non solùm gradus: sed & minuta, minutorumquè minuta necessariò cognoscere debent, in quibus planetae sint (nam in minimis etiam maximum est discrimen, vt Nigidius in voluenda figulina rota mõstrauit) quis nam minutias eiusmodi deprehendere poterit?

4890 ideò rectè sic eos Augustinus interrogat: dicite sapientissimi viri. aut illud exiguum interuallum inter geminos eodem tempore natos discrepantiam affert vel non? si non, cur Iacob, & Esau Gemini sine interuallo tẽporis editi adeò dissimiles fuere? si verò magnam, quo instrumento illas minutias deprehenditis.

Augustin' d ciu. Dei

4891 quòd autem id posse per regulas reperiri profitentur, ridiculum prorsus est, atquè primae inuentioni ex Pico sic obijcimus. nascatur Lucius Romae, Florentiae Fabius eadem hora, eodemquè momento, liquet Astrologis non eundem futurum horoscopum vtriusquè, ob diuersam coeli inclinationem sub qua nascuntur, & tamen si rationem ex Ptolomaei praeceptis ineamus eundem vtriusquè horoscopum faciemus, quod euidentia rei, sensuquè reuincitur.

Picus in 9. lib. cont. Astr. c. 3.

4892 contrà secundam verò quid dicemus, si & Hemanuel Hebraeus Auenazrae sectator, & ipse etiã Abraam Auenazra, & Aboasar, & Auenrodan, & Saxoniensis Alchabitij interpres eã experimentis falsam esse dicunt? adde quòd & etiam in verbis errant, cuius erroris occasio fuit

mendosa

mendosa libri translatio, cum ibi nusquam de gradu id scriptum sit: sed de signo tantum.

4893 praeterea leuissima ratio est, dum à natiuitate ex eo iudicari dicunt, quòd tùm animal multa, quae prius non habebat, acquirat. haec enim ad alterationem potius pertinent, quàm ad generationem, siquidem haec fiunt à forma, quae in vtero tantùm acquiritur.

4894 postremò in ipsa Genesi quemnam punctum assument? neque enim nascimur in vno momento. primùm enim vertitur adeo puer in vtero, vt ibi amplius manere, neque reuerti possit, secundò frangit tunicam, qua circuncingitur, tertiò prodit capite, si tamen secundum naturã nascatur, quartò prodit totus, quintò, & vltimò abscinditur vmbilicus, aut inter nascendum frangitur, quae quinque actiones nunquàm minus claudunt temporis tribus horis. plerunquè autem plus vna die, & interdùm tribus diebus, & vltra. istorum itaquè, quem sument pũctum, cum omnes tamen sint necessarij?

4895 quòd autem ad vitam attinet satis esse deberet nobis, quòd Arabes falsam Ptolomaei viam, istius verò sectatores Arabes errare experimentis dicunt. sed vt particularius etiam reijciamus, referamus in hac re eorum dicta colligunt itaquè isti mortis tempus, & imminentia pericula, ex loco, quem tempore Genesis maleficus occupat planeta, vt quot gradibus distat hic ab Apheta, tot annis periculum, vel mortem adesse posit: sed quàm vanae sunt huiuscemodi directiones, sic enim eas appellant, potest ex illo indicari, quòd quandò illic Apheta peruenerit, iam non amplius erit ibi maleficus planeta.

4896 quòd si fortè quemadmodum à pestilentia infectae vestes venenum ad aliquod tempus non amittunt, ita partibus coeli etiam euenire dicant, vt receptam à malo sidere contagionem diu retineant, proptereaq; iam tum gradus ille cum nascebatur infectus à Saturno post multos etiam annos vim illam refundat, nescio quàm bellè positionem suam defendant, & siquidem cum Philosophis esset sermo, iuberemus meminisse luminis affectionem subiecto non haerere: sed abire cum corpore, à quo dif-

 funditur

funditur. coeleſtium autem omnium impreſsionum, vt ait Auicenna, vehiculum lumen eſt. ſic & ex eorum dictis alia multa perabſurda ſequuntur. (in Meteo.)

4897 atque haec eadem etiam partem Fortunae deſtruunt, quam cur potius à Luna, quàm à Ioue, vel à venere beneficentioribus ſtellis ſuinpſerunt?

DIVINATIONIS PROPHANAE A VARIIS CORPORVM CIRCVMSTANTIIS PARTITIO.

4898 Diuinatio demùm, quae à varijs corporum circumſtantijs naſcitur, vel Sortilegium eſt, vel Aleatoria.

SORTILEGIVM.

4899 Sortilegium autem erat vaticinij quoddam genus, quod ſortium quarundam iactatione fiebat, quod iuxtà multiplicem quoquè ſortium formam, ac differentiam erat quoquè multiplex. erant enim ſortes Burenſes in Achaia, quae talis & abaco fiebant de quibus Pauſanias. (l.7.de reb. Acha.) erant & ſortes Praeneſtinae, de quibus ſcribit Suetonius Domitiano Caeſari interitum denunciaſſe. (in vita Domitiani.) Antianae etiam ſortes apud eundem Suetonium C. Caligulae, quem antea vt à Caſsio caueret, praemonuerant, ſunt celebres. (in vita Caligulae.) erant & in agro Patauino ſortes Aponenſes inſignes, per quas vt idem Suetonius, & alij viri docti aiunt, iactis in Aponi fontibus ſub aquam talis certiſsima conſulentibus reſponſa reddebantur. (Nicolaus Leon. in Triph. Iul. Siren. lib. 1. de Fato) ſunt modò, & apud Chriſtianos variae ſortium formae.

HORVM EXPVGNATIO.

4900 eſt autem Sortilegium triplex diuinum vnum, quo diuinae voluntatis imperium à viris ſanctis praeuia oratione in rebus non priuatis: ſed publicis plerunquè ſolebat cognoſci, quale quod ab Apoſtolis vſurpatum ipſo praedicationis initio Lucas narrat. (Act. 1.) ſorte etiam Zacharias apud eundem Euangeliſtam exijt, vt poneret incenſum coram domino. (Luc. 1.) fuit verò huius generis ſortis in veteri teſtamento frequentiſsimus vſus.

4901 eſt ſecundum ſortitionis genus, quod diuiſorium vocarunt, quodquè tùm apud prophanas Reſpub. tùm apud noſtras in dirimendis controuerſijs, diuidendis haereditatibus

ditatibus, eligeudisquè magistratibus vsurpatum videmus.

4902 quod genus electionis nauis analogia Aristoteles improbat. quemadmodum enim in naui non sortione: sed peritia, & industria gubernatores deligi debent, sic quoq; in ciuitate non sortis temeritati, & Fortunae ludibrio: sed probatae prudentiae, & humanarum rerum vsui sunt res committendae. 2.Ethic.

4903 tertia demùm sortionis ratio est penitus superstitiosa, quae aut Diabolicum figmẽtum est in hominum elusionem excogitatum, aut sunt (vt Cicero, & Carneades in Stoicos docent) apertissimae nugae. ex se ipsis enim nihil siuè illae, quibus gentes vtebantur, siuè istae, quibus apud nos foeminae superstitiosae delirant, quo futura demonstrent, diuinitatis possident, temeraria enim libri, aut scripturae inspectio, vnde eodem iudicio de illis statuendum est, quo de Geomantia, & similibus

4904 quòd verò sortium praedictiones quibusdam comprobentur exemplis, haud aliam nobis credendi necessitatẽ intorquet, quam in reliquis superstitionibus, quarum nullae sunt, tàm inanes, ac futiles, quae illis destituantur: putandum est enim ea non sortium virtute: sed casu quodam, atquè temeritate accidisse, nisi quod eorum inuẽtio si non sit fabulosa, easdem potius opus fuisse Diaboli demonstrare videntur.

IN ALEATORIAM.

4905 sic & Aleatoriae artis vaticinia, quàm vana sint, & temeraria ex istis compertum esse arbitror, quid enim Calculi, Tesserae, Tricoli, Senionis, Monarchi temerarius, & fortuitus iactus diuinationes habere potest? aut quo pacto res, quae nobis à natura imminent, vt morbi valetudo, aut quae à voluntate impendent, vt violẽta mors, principum gratia, cum fortuna, & casu, quae nequè voluntati hominum deseruiunt, nequè natura colliguntur conuenient?

IN IDOLOLATRIAE MIRACVLA.

4906 cum iam itaquè Idololatriae diuinationem vanam, & inanem penitus demonstrauerimus, reliquum est, vt &

 illius

illius aggrediamur miracula, quibus suam religionem maximè confirmasse videntur. quandò igitur in prophanarum historiarum monumētis reperias oculos caecorum restitutos? quandò mortuos suscitatos, & talia nostrae religionis augusta miracula, in quae Daemonum potestatem, aut rerum naturalium virtutem certum sit non extendi?

10.d Rep. 4907 quod si Aerum Platonis, Gabinium Plinij, hocquè genus caeteros nobis opponas, quos gentes è mortuis reuixisse

l.7. c.52. crediderunt, audacter dicas hasce suscitationes, vel esse fabulosas, quòd semper apud earumdem gentium sapientes est creditum, vel non fuisse veras suscitationes, quae veram mortem, idest veram corporis, & animae solutionem supponunt.

4908 et quidem Platonis exemplum à prudentia politica, qua futura de benè, & malè actis iudicia suis hominibus suadere contendit, ortum fuisse illud mihi facit probabile, quòd similibus exemplis, quae apud vulgares ipsa sola narrantium authoritate vigorem obtineat vti solet plerunquè, quò homines, vel vulgari opinione in officio

in oratio. contineat, atquè id ita esse Iustinus Philosophus Platoni-

parae. ad cus asserit.

Gentes. 4909 quòd verò Plato dicat se non apologum narrare: sed veram historiam, nihil obest, quominus eam narrationē commentitiam credamus. id enim authoritatis conciliandae gratia, non item quòd ita sentiret (quicquid Fi-

5x.d Rep. cinus dicat) est fecisse credendū. ipse est enim, qui nonnunquā vtili mendacio populum posse decipi existimat.

4910 Gabieni verò historiam propter Plinij authoritatem recipimus: verum eam non mortui resurrectionem: sed Sathanicam fascinationem, qui intra cadauer loqueretur, & hominis exterius speciē praemonstraret tria aperte declarant. primùm quòd cum illi S. Pompeij iussione caput penè fuisset abscissum, nec tamen per vitae resumptionem vulnus esset curatum, propterea Sathanas nō homo, qui eget instrumentis vocalibus dabat responsa.

4911 secundùm est quòd vera mortui suscitatio nè videatur phantastica non vno temporis momento: sed notabili

spatio

ſpatio vita donatur, quod in Euangelicis reſurrectionibus licet attendere. Gabinius verò peractis mandatis vitam repoſuit.

4912 tertium quod de futura apud Pompeium victoria ea ſe à Dijs nunciare aſſeruit. quae tamen falſa fuerunt.

4913 caetera verò quaecunquè vel ex Plinio, vel ex Philoſtrato vel ex alijs authoribus producuntur vnam habent dilutionem, quòd cum non verae mortes praeceſſerint, nequè verae reſurectiones extiterunt. erant enim illi ſyncopi affecti, in quo plerunquè morbo, non tantùm totius corporis, & vniuerſorum ſenſuum ſtupor inuertitur: ſed etiam pulſus motus amittitur, ita vt nihil à mortuo differre videatur homo, quamdiu eo morbo obſidetur. in hoc enim prouenit pulſus amiſsio ex cordis frigiditate: quoniam pulſus ipſe ad cordialis caloris euentationē & refrigerationem fuerit à natura repertus, vnde ex parua affectione, & praeternaturali frigiditate, cor frigidū euentatione non indiget, atquè adeo pulſus ſubmouetur naturalis neceſsitas. durat autem haec paſsio tantum quantum eſt humorum praeternaturalium ſymptoma, & inſultus.

4914 contingit etiam plerumquè, vt ventriculus viſcoſis, & indigeſtis humoribus, tunicis ex quibus conſtat, intertextis, ſcateat. vndè appetitus quoquè comedendi proſternitur, & naturalis caloris virtus tota, ſi qua eſt in his concoquendis occupata flacceſcat. vndè ſine cibo poſsit homo conſiſtere multo tempore, quod fieri poſſe praeter Albertum Ratiſponenſem, peculiari libello noſtra memoria Simon Portius oſtendit.

4915 cum ergò ambo iſti morbi, qui ex ſua radice vidētur affines hominem inuadunt: ex animi quidem deliquio ſenſus, motus, & pulſus amiſsio. ex ventriculi verò langore naturalis hebetudo, appetitus proſtratio, & demùm prauorum humorum ſaturitas quaedam, qua homo cibo non egeat, exoritur. ſicquè iacet homo tantùm tempus quantum dominantur crudi, & rebelles humores, quaſi mortuus ſine vlla quae exterius appareat vitae operatiōne. vndè plerunquè viuos hoc langore correptos ſepeliri

contingit, quòd Ioanni Scoto contigisse narratur, dum apud quosdam rusticos Euangelij praedicãdi caussa versatur, ab hac itaquè prosternatione possunt homines à Daemonibus euocari.

4916 caetera verò miracula apud Gentes decantata creaturae praesertim Angelicae potestatem non excellunt: Nauij enim cotem Diabolo agente nouacula posse defendi quis dubitat? Pollucis, & Castoris formis indutis P. Vatinio Romam venienti, malos spiritus potuisse obuiare, & victoriam Macedonicam denunciare quis ambigat? Fortunae muliebris, & Iunonis statuis Daemones inclusos potuisse loqui non est impossibile. Claudiam Daemones adiutorio traxisse nauim quid impedit? Aesculapium Epidauro accitum, idest Diabolum eius statua conclusum, pestilentia, quam Deo permittente dif.uderat, Romam liberasse quid vetat?

4917 idemquè iudicium estò de caeteris. omnia enim vel in corporum locali motione, vel in langorum curatione, vel in subita punitione quorundam, vel quod erat omnium difficillimum in quorundam futurorum denunciatione consistebant, quae Diabolicam non excedebant potestatem.

MAGIAE PARTITIO.

4918 verum quia tota Gentilitas non solum miracula à Dijs suis effici posse credidit: sed & etiam ipsorum Deorum virtute à Magis ipsis, necessarium esse duximus hòc quoquè refellere, in quo praestando licet Idololatrarum cultum interdùm excedere videamur. tamen tùm ne ad idẽ amplius regrediamur, tùm vt haec res exactius dignoscatur excusandi sumus. diuidatur itaquè prius Magia in naturalem, & ceremonialem.

MAGIAE NATVRALIS DIVISIO.

4919 haec verò Magia rursus in Magiam rerum, & Magiam nominum diuiditur. est autem Magia nominum ars Caballistica.

4920 Magia rerum in physicam specialem, & mathematicam secatur. Magiam autem physicam idest quae in natura fundamentum habet esse dicimus scientiam, & artem quandam

quandam, quae non quaſcunquè; ſed naturales tantum res, & intus deliteſcentes virtutes, applicando actione, ac paſsione vera, ac phyſica: accelarata tamen, admiranda producat.

4921 mathematicam diuido in mathematicam in ſpecie, & Aſtronomicam. voco autem mathematicam illã Magiae naturalis partem, quae abſquè naturalibus actionibus, & paſsionibus, ex ſolis mathematicis diſciplinis, earumq; vicaria ſympathia ſeſe naturae operum ſimilia producere poſſe pollicetur. qua Archimedes, & Architas apud veteres inſignes fuerunt.

4922 Aſtronomicã verò Magiam, quae ſub certo ſitu, & aſtrorum concurſu annulis, imaginibus, & ſtatuis fabricandis inſiſtit nullam habere virtutem operandi mira, ea poſſũt demonſtrare, quae ſuperius Aſtrologiam iuſto Marte cõfregerunt.

IN MAGIAE NATVRALIS RERVM MIRACVLA.

4923 dicimus autem nullam è ſuperius ennumeratis Magiam miraculum efficere poſſe. & ſanè cum omnis re naturalis Magiae effectus, vel realis ſit, vel praeſtigioſus, in reali patet nullum adeſſe miraculum. rationes enim ſeminarias in materia deliteſcentes, qui ingenij ſubtilitate, & rerum naturalium peritia optimè norunt, id quod eadẽ ſeminali virtute ſenſim, ac paullatim natura producit, illi breui temporis ſpatio, ſubiecto diſpoſito praeſtant.

4924 praeſtigioſi verò effectus cũ fallendo oculorum obtutui & aliorum ſenſuum naturalibus, ac veris ſenſationibus impediendis deſeruiant, ſiuè per opticam, ſiuè per pharmaticam id praeſtent, qui poſſunt miracula nuncupari? appellentur itaquè potius phantaſtici, at non veri, nec permanentes effectus ad fallendos ſenſus, & praeſertim oculorum obtutum.

MAGIAE NOMINVM NATVRALIS, CABALLAE NEMPE PARTITIO.

4925 altera naturalis Magiae ſpecies eſt nominum Magia, Caballiſtica nempè ars, quam duplicem dicere ſolent. vnam quam Bereſith vocant, ideſt quae Coſmologiam, quamq; vniuer-

vniuersarum rerum, tùm naturalium, tùm diuinarum vires, per ipsa nomina explicare credunt. alteram legis, bibliorumquè sacrorum germanum sensum Philosophicis rationibus explicantem.

CABALLAE BERESITH PARTITIO.

4926 Beresith verò, priorem nempè illam Caballā, quae de sublimioribus diuinarum, Angelicarumquè virtutum, ac sacrorum nominum, & signaculorum, contemplationibus symbolicè tractat, in qua literae, numeri, figurae, res, & nomina, elementorum apices, lineae, puncta, accentus, spiritus, & si quid est aliud minutius profundissimam quandam, ac ingentium rerum figuratiuam significationem importet, diuidunt in Arithmeticam, & Theomantiam.

4927 Arithmetica Caballa de Angelicis virtutibus, nominib', signaculis, de Daemonum, ac animarum conditionibus agit. Theomātia verò in diuinae deitatis mysterijs, emanationibus, & nominibus speculandis distringitur.

4928 quam vltimam Magiam quicunquè habet admirandis eum pollere virtutibus, & effectibus docent, futuraquè omnia praescire, vniuersitatiquè rerum creatarum imperare constantissimè affirmant.

IN VNIVERSAM CABALLAM, ET IN THEOMANTIAE MIRACVLA.

4929 primùm autem animaduertendum esse censemus Caballistarum fundamētum vanissimum esse. supponunt illi enim Hebraicis nominibus, quae ab ipso Deo, aut ab Adamo immortalitatis, & sapientiae dotibus praedito, rebus fuerunt imposita, earum omnium substantias, qualitates, conditiones, & proprietates exprimi. vndè confestim ijsdem nominibus appellanti subdantur, & eius imperio se totas praestituant, cum tamen res inanimatae eius appellationis virtutem non capiant.

Abbas Trith. lib. 12. de Mag.

4930 immò nequè bruta, quae si sint mitia, quocunquè nomine vocentur, obedient: sin verò fera non parebunt, nisi Deo id ipsum agēte, quòd & illo felici statu futurū erat, & in quorundā Sanctorū cōmēdationē factitatū videm'. sed

4931 sed quid? an ego qui rationem participo cum nomen, quòd totam meam essentiam ob oculos mihi constituit audiam, statim velim, nolim, sum obtéperaturus? quod idem possumus, de Sole, Luna, Astris, Elementis, lapidibus, arboribus, aegritudinibus, huminibus, & alijs similibus interrogare.

4932 sed quid si Hebraica lingua, non sit prima lingua: sed Aramea, quod doctissimis placet?

4933 quid si Hebraici characteres, quos modo habemus Hebraicae linguae germani, ac proprij nō sint characteres?

4934 quid deinde si ratio punctuandi, in qua tàm mirè philosophantur Caballistici sophi duo millia annorum Mosen secuta fuerit?

MAGIAE CEREMONIALIS PARTITIO.

4935 Magia verò ceremonialis, diuidatur in ceremonialē secundùm verba, & in ceremonialem secundùm res.

PRAECANTATIO.

4936 sub prima praecantationem reponunt, cuius effectus nōnulli ex eo probasse videntur, quòd licet voces per se solùm auditum immutent: per accidens tamen effectus mirabiles interdùm producunt, & mentes humanas, asperas, molles, moratasquè reddunt. quod & in Dorica, Lydia, Mixolydiaquè Musica euenire docet Aristoteles, & Thymotei Musica prae caeteris, & ea quae de innumeris oratoribus à Plutarcho, & ab alijs relata sunt, confirmant. Petrus Pōpo de incantation. 8.Polit.

4947 quin & bruta ipsamet vocibus mouentur: aues namquè deceptae capiuntur, cantu oua dum incubantur, melius fouentur, atquè meliores fiunt partus. Serpentesquè nūc à Marsis, & iam à Psyllis cantibus demulcentur. Plutar. in vita Caton Vticē.

4938 non igitur prorsus praeter naturam, & rationem est mētes vocibus immutari, & ijsdem corpora subire mutationem perspicuum est: nam gaudium, tristitiam; iram, mansuetudinem, reliquasquè perturbationes generant, ex quibus sanitas, & aegritudo, vita, & mors sequi possūt.

IN PRAECANTATIONEM, ET EIVS MIRACVLA.

4939 quae licet ità sint nullam tamē praecantationi virtutem tribuimus

tril uimus. nec enim isti praecantatores elegantem habent orationem, neque eorum verba, ea proferuntur harmonia, vt animae affectum excitare possint.

4940 quamobrem si quid operantur, id prius forsan à Daemonis suggestione descendit, qui cum hominum cogitationes ad praecantationis remedia maximè inflammet, & affectus quoque exsuscitat. phantasiam enim sequuntur affectus, qui omnes vehementissimi subito corpus proprium omninò, nonnunquam alienum quoque inficiunt, quod & Ficinus testatur.

Ficinus vl. lib. Theol. Platon.

MAGIAE CEREMONIALIS SECVNDVM RES PARTITIO.

4941 Magia ceremonialis secundum res, vel est malorum, vel bonorum spirituum sociata cõsortio. prima est Goetia, secunda Theurgia.

GOETIA, SIVE NECROMANTIA.

4942 Goetiae, aut Necromantiae est nefarijs ritibus, illicitis carminibus, & deprecamentis immundorum spirituum auspicari commertia. ij sunt enim, qui defunctorum animas violenter inclamant, qui excantant pueros, & in eloquium Oraculi polliciunt, qui Daemonis paredros secũ circumferunt, quale quiddam tùm apud Platonem, tùm apud Lucium Apuleium, tum apud alios de Socrate legimus. ij sunt, qui malos spiritus per quos se prophetare mentiuntur, in vitro conclusos pascere se se iactant.

4943 hi verò in agendo cum Daemonibus duplici ratione ducuntur, nam alij diuinorum nominum virtute adiuratos aduocare, & cogere student, quippè cum omnis creatura timeat, & reuereatur nomen illius, qui fecit eam, non mirum si Goetici cuiuscunque sectae diuini nominis inuocatione, Daemonia ad id quod volunt praestandum, vel inuita compellant. sunt alij his multò nequiores, qui detestando, & incredibili scelere certo pacto, ac foedere percusso se Daemonibus deuouunt, illisque sacrificant Idololatrae effecti, atque hi non per diuinorum nominũ virtutem compellunt: sed in id quod cupiunt voluntarios pelliciunt.

4944 differt autem à prima Goetiae spetie Christiana exorci-

zandi

zandi ratio, quòd ea licet diuini nominis authoritate Daemonibus imperitet: non tamen in malum: sed in bonum id dirigat.

IN GOETIAE MIRACVLA.

4945 verùm & hanc quoquè Magiam miracula non habere palàm ex supradictis est, cum Daemonica virtus ad aliud quicquam in ordine naturae corporalis non extendatur, quàm ad actiua naturalia Physicis passiuis copulanda, ex quibus quamtumuis mirabiles: non tamen miraculosi, & supernaturales oriuntur effectus.

4946 nam quòd ad pocula pertinet amatoria, sciendum est, & à Philosophis etiã quasdã in rebus vires obseruatas, quas credant carnalis concupiscentiae flammas incendere, ob quae facillimè possunt homines ad coitum inflammari. quòd autem in hoc non in illud amandum pelliciantur, id ex foedere, quod veneficus cum Daemonio percussit oriri credendum est. quatitur enim fascinatus malis cogitationibus à Daemone, & in huius, aut illius amorem, vel inuitus protrahitur.

COROLLARIVM.

OPINIONVM IVSTINI MARTYRIS, ET AVGVSTINI CONCORDIA.

4947 ex quibus patet quo pacto Iustini Martyris opinio cum Origenis, & D. Augustini sententia conuenire possit. Iustinus enim effectus Magiae praestigiosos arbitratur. at D. Augustinus, & Origenes veros. nos verò vt iudicium nostrum interponamus, dicimus effectus eos, qui supra naturam sunt praestigiosos fuisse. veros autem eos, qui natura duce potuerunt perfici.

in quae s. à Gen. Christianis proposítis

ΕΡΓΑ.

THEVRGIA IN PORPHYRIVM PRO IAMBLICO.

4948 Theurgiae verò munus est certis ritibus coelestes, & per illas diuinas virtutes suis cultoribus conciliare, & attrahere. quod ita tamen intelligendum est, vt hoc fiat per conuersionem posteriorum ad prima, siquidem (vt rectè sensit Iamblicus) id fit ob largitionem, qua priores Dij posterioribus communicant suam essentiam.

de myst. li. 1. cap. 19.

ob quae

in epist. ad Anebuten quā refert August. 10 d ciu. Dei

4949 ob quae iam apparet quo pacto Porphyrio sit occurrendum, qui quidem arbitratus est ob Theurgiam Deos, nè dum Genios tangi affectibus humanis, eo quod inuocationibus, & preculis moueantur, & flectantur: nequè enī diuina ira est (vt vulgus existimat) inueterata, & pertendens quaedam bilis: sed nihil aliud (vt Iamblicus sensit) quàm curae beneficae Deorum auersio, atquè abalienatio, qua nos ipsos, & auertimus, ceu nos à lumine tanquā meridiano abscondentes, & nobismet tenebras offundimus, nosq; ipsos Deorum optimis muneribus priuamus.

c. 13. p. de myst. Aeg.

4950 huc itaquè pertinet placatio, & supplicatio Theurgiae, vt qui prius terga verteramus, vultum, frontemquè conuertamus ad haustus superiorum.

4951 qui verò Theurgiae student duo genera Diuum constituunt, materialium nempè, & immaterialium. à materialibus verò iter est ad abstractos, quorum cultus proprius cuiquè adhibendus, materialibus materialis, corporis nempè, & eorum quae circa corpus sunt; vt curis vestium, habitaculorum, vasorum, vtensilium, oblationum, hostiarum, sacrificiorum, & similium.

4952 putant enim immunditia, quae aerem frequenter, & hominem inficit, mundissimum illum coelestium, & diuinorum influxū perturbari, & mundos Dei spiritus spurcitijs offendi, putantquè hac Theurgica purificatione animam hominis ad videndos Deos, ad susceptionem Spirituum, aut Angelorum conualescere posse: quanquā in ipsam diuinitatis naturam Theurgicae purificationes, accessum non praestent, quòd ea omnem naturae ordinem excellentia, & potentia transcendat.

4953 verùm est dubitandi locus, quid ad haec oscillorum erectio conferat: ea enim magis coinquinare, quàm purificare videtur. at huic dubio satisfacit Iamblicus vim vniuersi foecunditatis per haec signa prouocari ad mundi genituram eo argumento, quòd saepe multa vere nouo consecrantur ad Venerem pertinentia, quando mundus vniuersus à Dijs immortalibus totius foeturae partum suscipit.

ca. 11. p. de myst.

4954 deindè turpiloquentiae significant penuriam, priuationemquè

nemquè pulchrorum ipsius materiae, & priorem turpitudinem rerum ornandarum, quae quidem indiga cum sint ornamenti, hoc magis expetunt, quantò amplius deprehendunt, & damnant indecoram deformationem suam.

4955 et huiusmodi turpiloquium Priapi sacris adhibitũ turpia auertit opera, ac verbis scientiam turpitudinis commonstrat, & ad contrarium transfert desiderium, cuius & alia ratio est huiusmodi. humanarum affectionum vires nobis innatae, si comprimantur omninò insurgunt acrius, & vehementius instar flammae compressae, risusq; cohibiti: sed si erumpant in lucem breuiores sunt, & vsq; ad modum, mensuramquè productae modestè laetantur, & explentur, & hinc suadela quadam, ac consilio non vi conquiescunt.

4956 purificationem autem animorum cùm sacrificijs, ac ritibus; tùm summis illis gradibus virtutum, quas diuinas appellant, de quibus multa Platonici docent, accipi putant. diuidunt enim virtutum gradus, & status in humanos, heroicos, purgatiuos, perfectiuos. Macrob. & Plotinus

4957 existimabat autem Porphyrius hanc totam speculationibus perfici. Iamblicus verò animam attingere deificam vnitatem religiosis obseruationibus putauit. quae sanè controuersia adhuc inter Scotum, & D. Thomam in scholastica Theologia viget, de ipsamet Theologia: fauet enim Thomae Porphyrius, Scoto Iamblicus. nos verò hanc tantùm in Theurgia iudicantes pro Iamblico sumus. de myst. Aegypti. sec. 2. c. 41

4958 alioquin quid prohiberet speculatiuè philosophantes habere deificam vnitatem cum Dijs? at non ita tamen veteres Theurgici asserebant, immò obseruationem, ac perfectionem operum ineffabilium, omni superiorum intelligentia, vimquè symbolorum solùm Dijs cognitorum deificam communionem consequi arbitrabantur.

4959 dubium autem est cur in Theurgia minae interdum adhiberentur. minabãtur enim saepius Sacerdotes Aegyptij coelũ effringere, reserare Isidis occulta, abyssi abdita, aperire, Barim sistere, membra Osyridis, Typhonidis

spargere

ſpargere, vel aliud quippiam ſimile facturos, cui dubio ita occurrit Iamblicus, vt exiſtimet totum hoc verborũ minantium genus, non (vt Porphyrius dicebat) in Solẽ, Lunamuè, aut in vllos coelites homines detonare: ſed in quoddam poteſtatum genus in mundo patibilium, diſcretione iudicij, & rationis carens, quodquè auſcultans ab altero capit rationem. hoc itaquè genus per minarũ fulmina commouetur.

4960 credit etiam Iamblicus id poſſe fieri non humana: ſed diuina ſigillorum authoritate.

PORPHYRII, ET IAMBLICHI CONCORDIA DE MINIS THEVRGIAE IN GENIOS.

4961 poſſumus tamen adhuc aſſerere ex Iamblici, Porphyrijq́; opinione dirigi haſce minas in Genios rationales. ita enim iſti Genij ſedulò cuſtodiunt arcana myſteria, vt in eis myſterijs praecipuè vniuerſi contineatur ordo, & gubernaculum: iccirco namquè membra mundi in ordine perſtant, quoniam benefica vis Oſyridis pura, atquè incorrupta manet, nec cum vllo miſcetur errore contrario omnis expers tumultuantis turbae, deinde vita quoquè omnium pura, & incontaminata perſeuerat, quia occulta, & vitalia rationum ſpecimina Iſidi attributa non decidunt in lutum corporis. conſtant itaquè perfecta, & integra omnia: quia occultiſsima abyſsi profunda nunquam nudabuntur.

4962 in quibus ergo rebus omnium ſalus verſatur, vt purà in ſempiterna arcanorum cuſtodia, dum natura Deorum ineffabilis nihil recipit vnquam contrariae portionis tale aliquid etiam voce prolatum audire, intolerabile eſt rationalibus Genijs, tanquã alieniſsimũ, & prophanum.

4963 miracula verò Theurgiae ea dicunt, quae ab illa anima praeſtari poſſunt, quae ſemet in coeleſte vehiculum ſeuocarit, de quibus iam ſatis ſuprà, dum de anima diſputabamus.

IN THEVRGIAM, ET EIVS MIRACVLA.

4964 vanitatem verò huius artis ſatis (ni fallor) demonſtrant

Scholaſtici

Scholastici, & prae caeteris D. Thomas, dum artem notoriam improbant: est enim absquè dubio idem Theurgia, quod ars notoria. 3. S. q. 96. art. 1.

4965 et prius cum haec sit scientia per infusionem à Daemonibus, palàm est hanc penitus inefficacem esse. si enim esset scientia per disciplinam, licet illicita efficax tamen esset, cum Daemones permittente Deo facilius possent omnibus hominibus docere aliquem. at ad solum Deum (vt etiam ex principijs Platonis, & Aristotelis superius in humana philosophia probauimus) pertinet intellectum illustrare, cum ipse solus sit intelligibile purum actu.

4966 quamobrem & in hoc Porphyrium Iamblico anteponimus. ille namquè optimè fassus est (vt etiam D. Augustinus testatur) Theurgicis theletis in operationibus Daemonum animae intellectuali nihil purgationis accedere quod eam faciat idoneam ad videnda vera inteligibilia, & ea quae sunt prima scientiarum theoremata. 10. de ciu. Dei.

4967 sigillorum verò authoritas est prorsus superstitiosa, & vel voluntaria, vel Daemonum fallacia.

4968 miracula verò nulla ab hac arte praestari posse commodius, tùm demonstrabimus, quando animorum coelestia vehicula, Graecorum esse fabellam indicabimus.

THEVRGICORVM DIVINISSIMA SENTENTIA DE INCARNATIONE VERBI EX PLVTARCHO.

4969 in hac tamen vanissima superstitione illud prae omnibus maximè admirabile videri debet, quòd eius professores absurdum non arbitrabantur, Deum minimè humano more coeuntem; sed alijs quibusdam ansis per alias res contactibusq; mulierem mortalem diuino implere semine. sic enim Aegyptij Apim asserunt Lunae contactu cõcipi. quae VERBI Diuinam incarnationẽ nobis ostẽdebant. Plutar. lib. 8. probl. sym. q. 1.

IN HEBRAEORVM RECENTIORVM RELIGIONEM.

4970 Idololatriae respondebat in vetustissimis temporibus è regione Hebraeorum religio, siquidem apud istos, tùm erat veri Dei cultus. garrit itaq; Lucanus in eo versu.

ELE „ Ignoti

in I: „ Ignoti Iudea Dei, mollesque saphenae.

in orat. paraen. ad Gentes & ab Oraculo prophano (si Iustino credimus) id rectè fuit dictum.

„ Chaldaeis Solis sapientia cessit. Hebraei
„ Ingenitum regem mente, Deumquè colunt.

vnde & Orpheus fassus est Deum cognitum soli Abrahae (cui soli, & familiae suae credita sunt eloquia Dei) subinferens de Deo ipso.

„ Nemo illum, nisi Chaldeo de sanguine quidam.
„ Progenitus vidit, quem coelorum aurea sedes,
„ Sublimisquè tenet: cuius se dextera tendit
„ Oceani ad fines; quem de radicibus imis,
„ Concussiq; tremunt montes, nec pondere quamuis
„ Immenso sit ferre queunt, qui culmine coeli
„ Attollens, terris nunquàm tamen ille sit absens
„ Ipse est principium, medium, qui & exitus idem.

at modò in maximas detrusi tenebras à vera lucè, quae omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, longè recesserunt.

MVTATIO HEBRAICAE LEGIS.

4971 debebat enim Hebraica lex superueniente Messia mutari, quòd cum à Iudaeis nostrae tempestatis minime percipi possit, agamus pro virili, vt prae oculis hoc illis ponatur. dicimus itaquè primò (vt & Iustinus animaduertit) animi pertinacia gentis Iudeae impulsum Deum plurima praecepta per Mosem Iudaeis dedisse, vt horum multitudine adducti in omni actione Deum semper sibi ponerent ob oculos, nec iniustè, nec impiè quicquam facere inciperent. quid enim aliud purpureus color in suis vestibus indicabat, quàm vt ex eo nunquam illos Dei caperet obliuio? quid sibi volebat Phylacterium in pelliculis tenuissimis descriptis nonnullis characteribus, quo semet circundare illos iusserat Deus, quàm vt eos ita terreret, vt semper Deum animo, & recordatione complecterentur? & simul in animis suis transgressionis reprehensionem circumferrent?

in Triphó dialogo

Petrus Galat.lib.11. cap.3.

4972 nequè hoc pacto tamen in animo induxerunt simulachra non colere: sed viuo Elia ennumeratis ijs, qui Baal genu

minimè

minimè flexissent, septem millia numero esse dixit, & apud Esaiā eos culpat Deus, quòd simulachris imolauerint. quapropter optimè Rabi Moses asserit plurima legis praecepta ceremonialia, magis ob illius populi hebetudinem, & prauam Idololatriae consuetudinem, quā ob illorū perfectionē tradita fuisse iuxtà illud Psalmographi dictum. in chamo, & fraeno maxillas eorum cōstringe, qui non approximant ad te. ipsa igitur recipiētis hebetudine, prauaquè consuetudine, velut infantiae aetate mutata ipsum quoquè praeceptum id est legem mutati quoquè contigit. quibus rationibus, & dicta quoq; ipsius veteris testamenti pluribus in locis fauent.

in 3. trac. sui libri more.

Iere. c. 31.

Deuter. cap. 24.

GENTIVM VOCATIO.

4973 quod verò solent illi dicere, Hebraeos tantummodò à Deo selectos, vt delitijs aeternis in coelesti patria fruantur, nullo melius modo refelli potest, quā suismet scripturis. licet enim dixerit alicubi Deus Israel esse haereditatē suam: attamen dum haec per Esaiam dicit de alio intelligit Israele, quàm de populo Hebraeo. Esa. 19.

„ Sic enim ille ad vnū: die illo erit tertius Israel apud
„ Assyrios, & Aegyptios benedictus in terra, cui do-
„ minus exercituum benedixit, dicens, benedictus
„ erit populus meus, qui est in Aegypto, & qui apud
„ Assyrios, est Israel haereditas mea.

cum itaquè Deus Israelem gentium populos etiā appellet, eosquè dicat haereditatem suam. quid est quod Iudaeos non poeniteat, quòd semetipsos decipiant, tanquàm soli sint Israel? & quòd benedictum Dei populum detestentur?

COROLLARIA.

OBIECTIO APPARENS HEBRAEORVM. IN CHRISTIANOS SOLVTA.

4974 hinc apparet quàm vana, & quàm nullius momenti fuerit illa Hebraeorum in Christianos obiectio, quòd cùm in Euangelio dicat MARIAE Virgini Gabriel eius filium in domo Ihacob in aeternum regnaturum, ex euentus promissi frustratione legis Christianae falsitatem se demonstrasse crediderunt. quasi secundū literae corticē Lucae 1.

ab illis verbis sit promenda veritas? nec enim domus Iahcob, aut familia Dauid (in qua particularis promissio regni facta erat) reliquit aliquod vestigium, cum eius memoria amplius non habeatur, iam extincta tempore Eusebij, & Iosephi, vt ipsi referunt.

4975 haec itaquè domus in qua CHRISTVS regnat in aeternum est Ecclesia vniuersalis, cuius illa typum gessit, quae per totum orbem diffusa meritò dicitur domus Iahcob.

ΕΡΓΑ.

Esa. 43. 4976 quid? nonnè & illa verba filius meus es tu, hodie genui te. postula à me, & dabo tibi gentes haereditatem tuam, possessionemquè tuam terrae terminos. nonnè indicant planè, gentes esse CHRISTI haereditatem? quid? quod & hoc idem sibi vult Malachias dum ita loquitur.

Malach. 1. „ Non est in vobis voluntas mea ait dominus, nec ho-
„ stias, sacrificiaquè vestra à manibus vestris accipio,
„ propterea quod ab oriente Sole ad occidentem no-
„ men meum in nationibus in gloria fuit, atquè in
„ omni loco hostia nomini meo, eaquè munda imo-
„ latur: nam in nationibus nomen meum in honore
„ est, & precio inquit dominus: vos autem illud con-
„ taminastis.

4977 hanc eandem gentium vocationē cecinit Dauid in psalmo decimoseptimo. Hieremias in capite quarto praedixit, demùm & Esaias hisce verbis pronunciauit. de Syon exibit lex, & verbum Dei de Hierusalem, quod de lege Mosis non potest intelligi: cùm ea de Syon, siuè de Hierusalē non exierit: sed de Sinai venerit in Hierusalē. est itaquè de lege Messiae intelligendum, quae per Apostolos, aliosquè eius discipulos ab Hierusalem ad gentes egressa est.

cap. 2.

ADVENTVS MESSIAE PRAETERITVS.

Galat. lib. 4. cap. 3. 4978 Messiae verò aduentum iam praeterisse septem potissimis rationibus demonstrari potest, quarum prima ex Iudaici sceptri ablatione sumenda est. Iahcob enim filiorū suorum salutem cupiens inter caetera futurorum arcana Messiae mysteriū explicare decreuit. quare vt cautiores

eos

eos redderet tempus eius determinatum his verbis assignauit.
„ Non auferetur sceptrum de Iuda, nequè dux de foe- Gen. 49.
„ more eius donec veniat Silo id est Messias, & ipse
„ erit expectatio gentium.
4979 secunda est ex templi secundi desitione. Haggeus enim cap. 2.
sic de hoc Spiritu Sancto repletus pronunciauit.
„ Magna erit gloria domus istius nouissimae, magis-
„ quàm primae dixit Deus exercituum.
ergo secunda Dei domo adhuc stante Messias venturus erat: sed cum ea domus anno post CHRISTVM passum XLII. funditus à Tito Romani exercitus duce diruta sit, constat certè aduentus Messiae tempus iam praeterijsse.
4980 tertia est ex loci assignati vastatione. Micheas enim in cap. 5.
Bethlehem Iudae Messiam nasciturum palàm asserit, & propterea eo tempore, quo adhuc Iudaei in ea regione manerent: sed modò cum ipsa Bethlehem, & vniuersa Iudaea desolata fuerit, Iudaeiquè per orbem captiui permaneant, eos alterum de duobus concedere oportet: aut ante desolationem illam Messiam natum fuisse: aut ipsos prius ad terram suam redituros esse. sed cum secundum minimè cum eorum expectatione stare possit, primum concedant necesse est.
4981 quarta est ex determinati temporis praeteritione. asserit
enim Daniel à reditu populi ex Babilonica captiuitate cap. 9.
vsquè ad Messiam praefixum esse septuaginta hebdomadarum tempus. quae quidẽ hebdomades in suo proprio significatu non sumuntur: septem enim dierum spatium
tantummodò significarent: sed ita vt septem annorum Leuit. 23.
curriculum indicent, sicut & in septem Iubilei hebdo-
madibus intelligitur, quod tamen tempus iam praeteri- Leuit. 25.
tum est.
4982 addamus hic aliud oraculum subtilissimè (ni fallimur)
explicatum: loquitur enim sic Deus ad Dauid praecipu- 2. Reg.
um patrem, & verum Messiae typum. quando completi 1. Paralip.
fuerunt dies tui, & quiesces cum patribus tuis suscitare faciam semẽ tuũ post te, quod egredietur de mimhecha. quod sanè de Salomone non potest intelligi, si quidem

Salomonis regnum citò defecit: illius autem de quo loquitur debebat esse sempiternum.

4983 dicamus itaquè dies vniuscuiusquè ab initio constitutos (vt in secretiori Hebraeorum Theologia reperitur) mille annos esse ad quem terminum, quamuis aliqui appropinquauerint, vt Adam, Mathusalem, & alij, nullus tamē applicuit sic exigente peccato Protoplastae. secundùm itaquè illum terminum locutus est dominus ad Dauid. at iam à morte Dauid vsquè ad CHRISTVM fuerunt anni 906. adde 70. annos vitae Dauid, & erunt 976. adde iterum numerum literarum nominis Dauid cum Iod, vti scribitur in Paralipomenon non sine mysterio: nam in libris Regum scribitur sine Iod, illud igitur nomen sic scriptum dat 24. qui numerus si addatur numero superiori reddit ad vnguem mille, qui numerus est completae aetatis.

Franc. Geor. Ven. de Har. mun. can. 2. ton. 7. cap. 25.

4984 nec miretur aliquis si additur numerus nominis, quia nisi aliquod mysterium in his interdum non lateret, non dixisset vtiquè Iohannes in Apocalipsi, qui habet intellectum computet numerum nominis bestiae, qui est numerus hominis.

4985 et rursum in computatione numerorum qui resultant ex illis oraculi verbis habetur ille millenarius completus cū annis vitae Messiae, quae verba sunt haec. chi imleu iamecha vesachautà. quando complebuntur dies tui. cōputus enim illarum literarum est ad vnguem 1035. quot sunt anni à die conceptionis Dauid vsquè ad mortem CHRISTI: nam vltra illos mille annos vixit CHRISTVS trigintatres cum dimidio. quod tempus additum illis triginta tribus annis cum dimidio reddit trigesimumquintum.

4986 quinta ratio ex Israelitici populi punitione accipitur. ob Messiae namquè venditionem, & mercationem, vt asserit Amos, & ob illius mortem, vt Esaias affirmat, irreuocabili poena mulctandi erant Hebraei.

Galat. l. 4. c. 22. & 23

cap. 2.

cap. 28.

4987 sexta ratio super Imperij Romani subiectionem fundatur. quòd tum per visionem Nabuchodonosor Chaldeorum Regis pulcherrimè probatur, tùm per ea, quae dicit

Daniel. 2.

Esaias

Esaias, quae talia sunt.

„ Vrbem sublimem humiliabit: humiliabit eam vsque cap. 26.
„ ad terram: deducet eam vsque ad puluerem: calca-
„ bit eam pes pedum pauperis, gressus egenorum.

4988 septima est ex Idololatrici cultus cessatione: sic enim loquitur Deus per os Zachariae, disperdam omnia nomina cap. 13. Idolorum de terra, & non memorabuntur vltra. & sanè mirum est, quo pacto post IESVM Daemonum spectra, & ludibria cesserint, cuius euentus rationē si quaeras, ab Nic. Callistus l. 1. c. 17. Hist. Eccles. ipso Daemone ita Augusto respondente, vti Nicephorus testatur, elicias.

„ Me puer hebraeus Diuos Deus ipse gubernans
„ Cedere sede iubet, tristemquè redire sub orcum.
„ Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

VETERIS TESTAMENTI CONTRADICTIO APPARENS DE MESSIAE ADVENTV CONCILIATA.

4989 cùm verò à Prophetis Messias interdū inglorius, & mortalis praedicetur: Zachar. 9. interdùm verò praenuncietur eum cū maiestate, & nubibus coeli venturum. Daniel. 7. absquè contradictione duo Christiana dogmata maximè confirmantur. credimus enim nos duplicem esse Messiae aduentum, de Iustius in Triph. quibus passim Prophetae fuere locuti. alterum quidem cum humilitate ad redimendum. alterum verò cum gloria, & maiestate ad iudicandum.

IN MAVMETHANAM RELIGIONEM.

4990 hanc autem Hebraeorum religionem quia & Maumeth se illuminasse, & perfecisse professus est, propterea Alchoran impietatem, & stultitiam breuibus demonstrasse non erit absonum.

CONTRADICTIO ALCHORAN CVM SACRIS SCRIPTVRIS.

4991 cur itaquè si & vetus, & nouum testamentum supponit, cap. 5. eorumquè absolutissimam perfectionem pollicetur, eò interdùm desilit, vt absquè contradictione pedem referre nequeat? asserit enim post regressum Moysis ad Pharaonem ipsummet Regem dixisse se Moysem in sua domo cap. 35. nutriuisse, cùm tamen ille qui Moysem aluerat diu ante

Exod. 4. Moysis reditum ad Aegyptum mortuus esset. Fuit enim quadraginta annis Moyses im Mediam, quo tempore obi erat Rex.

cap 75. 4992 praeterea quo pacto ait Virginem MARIAM matrem IESV, sororē Aaron, & filiam Amram? certissimum est enī illum, qui haec Maumeth narrauit errasse, & verā Euangelij historiam ignorasse, cùm Maria filia Amram, soror Moysis, & Aaron, plus mille annis in deserto sepulta fuerit ante virginem MARIAM IESV matrem, quae vt in eodem legitur Alchorano fuit tempore Zachariae patris Iohannis Baptistae.

4993 quin & has contradictiones ipsemet interdùm non negauit, & tùm rei veritatem non ab Alchorano: sed ab alijs sacris scripturis sumi debere fassus est. sic enim ait quodam in loco.

cap. 91. „ Si de mandatis tibi missis quicquā dubitas antecessorum tuorum libros legendo veritatē tibi missam agnosces, ne sis ambiguus nunc affirmans, nunc negans.

quò loci apparet admittere priores libros tanquàm veriores, & meliores.

cap. 11. 4994 quamobrem constat Alchorano affirmanti CHRISTVM haud occubuisse: sed alium quemdam CHRISTO similem Iudaeos suspendisse: CHRISTVM vero Deum incomprehensibilem, & sapientem ad se transmigrare fecisse minimè credendum: Gabriel enim Angelus Danieli reuelauit

Daniel. 9. post 62. hebdomadas CHRISTVM occidi debere, sicuti & factum fuit. quomodo itaquè idem Angelus, qui Maumeth Alchoran intimauit eidem affirmat CHRISTVM mortuum non fuisse? sic enim & se, & Deum mendaces facit.

CONTRADICTIONES IPSIVSMET ALCHORAN.

cap. 4. 15. 18. 19. 4995 mirum est praeterea quo pacto interdùm dicat neminē ad fidem esse cogendum: sed contradicentibus, vt sua sibi negotia, tibi tua dicendum, violentiamquè ob id minimè inferendum esse, cùm tamen asserat alibi sibi Deum pręcepisse, vt incredulos caperet, interficeret, & spoliaret, & credere

& credere cogeret, aut tributum soluere.

4996 praeterea contrariè loquitur de transeuntibus de vna lege in aliam, quandòquidem saepius asserit omnem rectè viuentem in sua lege, seu sua relicta in aliam tendentem, dummodò Deum adoret, bonaquè efficiat, amorem diuinũ consequi. alibi verò dicit Christianos, & Iudaeos incredulos, & omnes tales damnatos, & de lege Maumeth in aliam trãseuntes eos in alio seculo reos igne indeficiente perituros. cap. 1. cap. 3.

STVLTA IMPIETAS PARADISI PROMISSI A MAVMETH, ET IN EODEM CONTRADICTIO.

4997 cum autem in Alchorano castitas in virgine MARIA, & in Iohanne Zachariae, & semper in omnibus laudetur prohibeanturquè concumbitus in templis, & lotio post ipsum praecipiatur ante orationem ob eius foeditatem, cumquè subdat mundiciem Deo gratam esse, ac quòd Deum boni vident, & cum ipso sunt in paradiso, & quòd Deus ipsos maximè amet, & eis id quod maximum est retribuit, ac quòd ipsum maximum simpliciter non sit nisi gaudium sempiternum, & incorporeum. nonnè praeterea admiratione sũma dignũ est id quod saepe de puellis & earum papillis, & bestiali concubitu in paradiso toties replicauit, affirmans illam esse optimam à Deo credentium remunerationem. in coelo enim homines nequè nubent, nequè nubentur: sed similes Angelis erunt.

4998 rectè itaquè in hoc ab Auicenna in eius tamen lege nato, carpitur. vidit enim summus vir aliam esse felicitatem, quae intellectui à corpore seiuncto conuenit, ab ea quã Alchoran pollicetur. 9. Metaph. cap. 7.

CHRISTVS EX IPSOMET ALCHORANO MAVMETHE MAIOR.

4999 et vt deniquè ex istis migremus impijssimis ineptijs addamus illud tantùm facilè quemuis ex ipsomet Alchorano CHRISTVM Maumethe maiorem posse tueri. si quidem illum Alchoran fatetur ex Spiritu Sancto natum, illiquè Deum miraculorum efficientiam concessisse, ac demùm in coelum, in anima, & in corpore assumptum. Cardin. cu san. lib. 1. cribr. Alch. cap. 12

quae

quae tamē omnia priuilegia ipsimet Turcae ex Alchorani principijs de Maumethe negant.

CHRISTIANA RELIGIO.

5000 Reliquum est itaquè vt tandem pes in Christiana sistatur Religione, quae adeo multis fulta, & obuallata est rationibus, vt si quis eas accuratè, ac saepius expendat, vix fieri posit, vt dum illas Diabolo vellicanti alto animi recessu libratas obiectat, vel ex infideli non fiat Christianus, vel (si Christianus est) tētationem de fide (quae omnium est grauissima) à se penitus non expellat, Diabolicaquè tela retundat omninò. sunt illae verò decem à Ioanne Scoto ex vtraq; philosophia depromptae. prophetica nempè praenunciatio, scripturarum concordia, authoritas scribentium, diligentia recipientium, Ecclesiae stabilitas, miraculorum claritas, extrinseca, prophanaquè testimonia, iustitia Dei, quae cum homine potest intercedere, rationabilitas contentorum, & irrationabilitas singulorum errorum.

q.2.prol.

PROPHETICAE PRAENVNCIATIONES DE CHRISTO.

5001 prima igitur ratio propheticae praedictioni nititur, quae nō naturam vt illae vaticinatoriae artes, quas physico genere contineri praediximus, nequè creati intellectus acumen, vt Daemonica vaticinia: sed Deum ipsum habet authorem, propterea & naturalem, & fortuitam, & omnem aliam deniquè diuinationem rerum praedicendarum euidentia conuincit. haec verò non coniecturis vt humana prudentia, non coelesti astrorum ordine, vt Astrologia, non humani corporis inspectione, vt Physiognomia, & illius partes, non eorum quae igne, aere, aqua, terraquè contingunt, vt speculatoria, non ex talorum iactu, vt Aleatoria, non literarum, aut numerorum excessu, vt sors Pythagorica, non ex vanis phantasmatibus, vt somnispicia, non auium motione, aut garritu, vt aruspicina, non mentis motione, vt mania, aut furor, non ex ignorantiae, aut dubitationis ambiguo, vt diuinatio: sed diuina patefactione, modò per aperta verba, modò per somniorū imagines, modò per externas species

ſpecies, modò per miſticas actiones, modò per illuſtrationes internas, non quae ſtatim, aut cras, aut poſt menſem, aut poſt annum: ſed quae poſt multos annorum myriadas futura erant, cum certiſsimo rerum, vniuerſum naturae ordinē ſuperantiū, euentu praedixiſſe videmus.

SVPERNATVRALITAS PROPHETIAE.

5002 illa vero naturalis non eſt quia lateant in anima (vt malè ſenſerunt Platonici) diuinationum ſemina quaedā prophetica. hoc enim optimè refellit Auguſtinus quòd tunc ex ſe animo quandòcunquè vellet futura poſſet praecognoſcere: quae tamen fieri minimè poſſunt. praeterea mens humana nullius cognitionis ex ſui natura principium eſſe poteſt, niſi principijs per ſe notis nixa in eam perueniat. ſunt autem ea principia intellectus agentis prima inſtrumenta, ex quibus futurum contingens minimè percipitur, aut ſi percipitur id eſt tantùm per inſpectionem aliquorum ſignorum naturalium. talis autem futurorum cognitio non dicitur eſſe prophetiae: ſed artis. Auguſt. in Gen.

5003 nequè etiam naturalis eſt, quia poſsit natura ad talē diſpoſitionem hominem perducere, vt ad recipiendum per actionem alicuius ſuperioris cauſſae futurorum praeſcientiam ſit aptus natus. hoc enim (vt animaduertit D. Thomas) inter operationem creaturae, & operationem diuinam intereſt. quòd quia Deus operatione ſua non ſolum formam: ſed & materiam quoquè producit, proindè illius operatio (hoc autem de creaturae operatione nullo pacto poteſt affirmari) ſicut nec materiam, ita nec materialem diſpoſitionem ad effectum perficiendum ſibi requirit: nec tamen formam ſine materia, aut ſine illius debita diſpoſitione facit: verum vnica operatione ſimul materiam, & formam producere poteſt, vel etiam materiam quantumcunquè indiſpoſitam ad debitam diſpoſitionem, quae competit perfectioni quam inducit, vt in ſuſcitatione mortui patet, reducere valet. ſed iam nonnulla prophetica dicta ad IESVM pertinentia particularius expendantur. in q. diſ. de Proph. ar. 3. & 4.

5004 quid itaq; ſibi voluit Eſaias dum Virginem concepturā,

& parituram

& parituram praedixit, nisi virginis MARIAE partum? quo loci quia solent pertinaces Hebraei in hebraica lingua verbum Ahalma non pro virgine (verè enim virgo propriè bethula nuncupatur) sed pro adolescentula sibi assumere, non erit absonum D. Hyeronimum, sensuum scripturae sacrae diligentissimum indagatorem in medium proferre. is enim asserit adolescentulam à sacris codicibus nō Ahalma, sed naara solere passim appellari.

S.Hyer.in par.1.trac: 2.Epis.9.

5005 quid est igitur quod significat Ahalma? absconditā nēpè virginē id est non solùm virginem: sed & intentione penitus virginem: nec enim omnis virgo abscondita est, cùm talis intentione non sit, nec ab hominum viuat separata conspectu. hinc & Rebecca ob nimiam castitatē, & Ecclesiae typum, quem in sua virginitate significabat, Ahalma scribitur non bethula, sicut manifestum esse poterit ex sermonibus pueri Abraham.

in Genesi.

5006 id etiam subtilissimè adnotauit Franciscus Georgius Venetus, Deum vt denotaret verum Regem nasciturum de sola muliere, quae fuit filia, & caro Dauid, ad eundē Dauid dixisse.

can.2.ton. 7. cap.25.

„ Suscitare faciam semen tuum post te quod egredie-
„ tur de mimhecha.

2. Regum

1. paralip.

quod sanè hebraicum verbum vterum, seu intestina significat. propterea ad patrem dictum id minimè referri potest, cùm non de intestinis: sed de lumbis, & de virga paterna egrediatur puer: sed tantummodò ad matrem, ex cuius solùm intestinis IESVS CHRISTVS exijt.

5007 sic & multa quoquè prophetica oracula mortem IESV denunciarunt, & prae caeteris id quod Mosi Deus praecipit his verbis.

numeri 21

„ Fac tibi serpentem aeneum, & pone eum super lignū
„ & omnis qui percussus fuerit, & aspexerit eū, viuet.

hoc enim significat (sicut & ipsemet Rabbenu Heccados testatur) quòd quicunquè morsus fuerit à serpente peccatorum respiciens in serpentem in arbore collocatum semper viuet.

5008 nec minus nonnulla fragmenta Caballistica veritatem istam confirmant. vbi enim sunt verba illa psalmi, & posuisti

cap.39.

fuisti super me manum tuam. adsunt & miranda Caballistarum mysteria, inter quae dicitur quòd crux innuit seuaoth seuaoth, significans dextrum, & sinistrum, quod ideo nimirùm dicitur, quia computantibus Arithmetica ratione literas, quibus crucem significant, & literas quibus scribitur bis seuaoth resultat idem praecisè numerus ex vtraquè supputatione. Pet. Gal. l.6.c.15.

5009 quod non absquè grandi mysterio fieri contingit. seuaoth quippe idem est, quod apud nos in plurali numero exercitus. cùm itaquè dicatur quòd crux innuit seuaoth, seuaoth significans dextrum, & sinistrum quid aliud datur intelligi nisi crucis victoria, & triumphus? per crucem namquè, & coelestes exercitus per dextrum designati reparati sunt: & exercitus infernales per sinistrum significati debellati, ac penitus victi fuerunt.

SACRARVM SCRIPTVRARVM CONCORDIA.

5010 erat Religionis Christianae secūda ratio Sacrarū Scripturarū cōsensus, qui sanè humanae tantùm inuētioni, aut alterius creaturae consilio niti non potuit, quandoquidem nostrae fidei sanctissima placita, tùm primùm ab ipso mundi principio, diuersis seculis, diuersis regionibus, diuersis hominibus tanta concordia praedicata fuerunt, vt quò ad illa neque in rebus leuissimis vlla sit dissensio, licet non sint suapte ingenio, & natura euidentia: sed merè arbitraria, & à diuina, humanaquè voluntate pendentia, cùm tamen humanae sapientiae professores, quos tantoperè suspiciebat antiquitas videamus nos, non modò in theorica diuinitatis, ac naturae cognitione: sed in his, quorum strenui habebantur cultores, nempè quae ad rectè componendam vitam pertinent, tantoperè dissitos, vt videri possint inter se coniurati, vt nunquam idem sentire possent.

5011 quòd si cum Hebraeis hic instes nouum testamentum in vero, & germano intellectu, à veteri penitus desciscere, cùm in vtraquè eadem non sit mentis concordia, breuibus dixerim & te labi, nullamquè dissensionem, si recta lance res examinaueris inter ea reperiri. quod vt clarius innotescat

innotescat dicimus in lege veteri quinque contenta, moralia nempè, iudicialia, ceremonialia, promissa, atquè comminationes, & sacramentalia.

Exod.c.20 5012 moralia sunt decem praecepta sine quibus adultis salus esse nequit, quae adueniente Messia cessare non debebant: verùm perfici, ideoquè vt ea perficeret verus Messias, nō modò actum homicidij, aliorumquè malorum, verùm & animum quoquè prohibuit. (Mat. 5.)

cap 25. 5013 iudicialia verò sunt illa, in quibus exodus oculum pro oculo, & dentem pro dente requirit, quae quoniam ita iustitiam amplexabantur, vt aequitatis tamen non meminissent, propterea forum Ecclesiae illa cum aequitate exequitur, ac temperat.

5014 verum ceremonialia erant omnia sacrificia, & ea quae circa ipsa fiebant, vt circumcisio, & neomiae, & fimbriae, & philacteria, atquè id genus caetera, quae quoniam figurae eorum erant, quae à Messia, & in Messia fieri debebant, idcirco ipso adueniente finem erant habitura.

5015 promissa erant, Messiae aduentus, terra promissionis, gentium conuersio, peccatorum remissio, & aeterna saluatio. quae Messias carnem sumendo ex virgine nascendo, miracula soli Deo possibilia propria virtute faciendo, patiendo, moriendo, resurgendo, ad coelos videntibus multis ascendendo, ac demùm longè meliora promissis promittendo perfectè adimpleuit. lex quippe vetus cultoribus suis bona duntaxat temporalia, & terrena pollicebatur, quae tamen spiritualia, & aeterna designabant.

5016 sacramentalia deniquè fuerunt agnus paschalis, vitula rufa, & huius generis reliqua, quae passionis CHRISTI figurae, & vmbrae fuerunt, idcirco illo adueniente cuius typum gerebant cessare omninò debuerunt.

AVTHORITAS SCRIBENTIVM.

5017 Authoritas verò tùm dicentium, tùm scribentium, cum juxtà Philosophum oriatur à rerum suasarum experientia, ab amore in auditores, seu legentes, & demùm ab ipsius orantis, seu scribentis virtute, non est haesitandum neminem ob haec tria authoritate Christianos doctores (2.Ret.c.1.)

antecellere

antecellere. si enim in rebus promissis experiẽtiam requiras aderit tibi praestò Paulus, qui in tertium coelum raptus audiuit arcana verba, quae non licet homini loqui: aderit & Isaias, qui & dominum vidit sedentem super solium excelsum, & eleuatum. aderit, & Stephanus, aderunt & alij multi. 2. Cor. cap. 12. cap. 6.

5018 quos arguere de mendacio nec etiam probabili coniectura licebit vlli. quo pacto enim mendaces erunt illi, qui mendacia tantoperè detestabantur? quibus nullum lucrum nulla merces erat proposita? quibus hucusquè saeuissimi hostes Christianae religionis, Porphyrius, Celsus, Lucianus, Auerroes, Iulianus Apostata, & ante hos Appion Alexandrinus, & alij nullam repugnantiam potuerunt adscribere? Amor autem erga homines passim in Euangelio cõmendatur.

OBIECTIO AVERROIS IN VIRTVTES CHRISTIANORVM DILVTA.

5019 virtus autẽ Euangelizantium; ex eo luce meridiana clarior est, quòd non aliquorum scelerum: sed nec etiam minutiorum peccatorum, in eis, vel hostium historiae quicquam notare potuerunt. sed cõtra vitam incorruptam, mores integerrimos, mundi, ac carnis contemptũ, Dei amorem, & zelum, ingentem, proximi charitatẽm, pro quo diuitias, honores, voluptates, filios, vxores, parentes, amicos, vitam, denique se ipsos, carceribus, tormentis, cruciatibus, bestijs quotidie exponebant. quamuis spurcus Auerroys voluerit Christianum veram virtutem sortiri non posse, quòd non honesti affectione: sed gloriae coelestis cupiditate, aut inferni pauore cuncta exequatur. Paraf. 1. de Plat. Rep.

5020 sed mentitur homo impius neque adeò Philosophus, vt quidam existimant. Christianus enim homo, non tàm futuri cruciatus horrore, aut coelestis beatitudinis praemio ducitur in operanda virtute, quàm Dei amorẽ, quae motio tantùm abest apud rectam philosophandi rationẽ vt virtutem deterat, vt potius ex humana, & ciuili virtute diuinam efficiat. quòd verò hanc animi religiosam motionẽ, quae dilectio vocatur horror cruciatus futuri,

aut

aut creditae felicitatis cupido comitentur, nihil obest, nisi obsint quoquè quò verè habeantur virtutes in Republicis peccatorum supplicia, & virtutum praemia, quae quò homines contineantur in officio virtutis quotidie sanciuntur.

5021 itaquè Auerrois sententia nullibi mortalium veram, ac puram virtutem reperire licebit: quoniam non est inter eos gens tàm effrenis, & barbara, quae non legibus viuat, quae malis cruciatus, & bonis praemia constituat.

RECIPIENTIVM DILIGENTIA.

2. q. prol.

5022 quò ad recipientium diligentiam, sic & optimè arguit Scotus, aut alicui est in re contingenti, & quae non est naturali necessitate conspicua credendum, aut in rebus huiusmodi tantùm sunt, quae videmus credenda. secundum stultum est. nequè enim iam Romam, aut locũ aliũ in quo non fuisti, aut quem non vidisti, crederes esse. immò aequè hunc esse tuum patrem, aut hanc esse tuam matrem: quoniam neutrum te generantem vidisti, quae res omninò humanam rationem viuendi pessumdaret. si ergò alicui ea de re, quam non vidimus credere oportet, potissimùm toti Reipub. cuius sumus partes quaedam fides est adhibenda, maximè verò Christianae.

5023 homines enim quae praecipuè curant omni quo possunt studio disquirunt, quae verò ex accidenti parum attendunt, ita gentium legislatores magnoperè in ciuili virtute conseruanda laborarunt: religionem verò non tàm, quae vera esset, quàm quae ciuium animis superstitionem insereret, quae ad retinendam virtutem satis esse credebatur curarunt. nostri verò cum religionem potissimam haberent Reipub. partem in ea scrutanda, & disquirenda magis, quàm in legibus forensibus sanciendis, sudarunt. nulla ergò fuit inter vniuersos mortales communitas, quae per se, & praecipuè religionẽ attenderet praeter Christianam, atquè adeò nulli in recipienda religione maior praestanda est fides. vndè varia volumina, quae Apostolico titulo, ac nomine Sathanas fucauerat, & varijs authoritatibus, titulis in speciem credibilia reddiderat, ingenij spiritus sagacitate eluserunt, ijs tantùm

receptis

receptis, quae S. Spiritu, quem receperant delibuta videbant.

ECCLESIAE STABILITAS, ET OMNIVM HAERETICORVM ENNVMERATIO.

1024 Ecclesiae verò stabilitas mirabilissima est. adolescit enī non in croceis, non in delitijs, non in honoribus, nōn in diuitijs, non in voluptatibus: sed in summa paupertate, in doloribus, in infamia, in cruciatibus. quin in his conseruatur, in his pinguescit, in his reficitur. caetera quae vel mundus, vel astuta fraude Diabolus offert, quasi sibi insuctos cibos respuit, nec illis delectatur: sed protinus (vt etiam dicebat Saluianus) marcescit, quemadmodum in illis pueris euenisse sacra docet historia, qui cum regio cibo, cui non erant assueti, aut quo propter religionem vti nolebant, macrescerent, ad consueta legumina reducti pinguescebant. in Timotheo.

1025 nullum sit itaque mirum si Simon Magus, Menander, Saturnillus, Basilides, Isidorus, Carpocrates, Epiphanes, Prodicus, Valentinus, Secundus Marcus praestigiator, Ascroditae, Colobarsij, Barberiotae, seu Borboriani, Sethiani, Caiani, Antitactae, Peratae, Monimi, Hermogenes, Tatianus, Seuerus, Bardesanes, Armonius, Florinus, Blastus, Cerdon, Marcion, Apelles, Potitus, Prepo, Manes, Ebion, Nazoraei, Cerinthus, Artemon, Theodoctus, Melchisedeciani, Elcesaei, Paulus Samosateus, Sabellius, Marcellus, Photinus, Luciferiani, Priscilianiani, Hilarius, Eutiches, Nicolaitae, Gnostici, Montanus, Noetus, Smirnaeus, Tesserecaditae, Nouatus, Nepos, Arius, Eudoius, Eunomius, Aetius, Psatyriani, Circiani, Duliani, Macedonius, Donatus Melecius, Apollinaris, Pollenius, Audeus, Euchitae, Nestorius, Eutiches, Heluidius, Pelagius, Caelestius, Acacius, Adamitae, Adelphius, Aerius, Alogiani, Brachitae, Chaldaei, Circuncelliones, Cezocenses, Constantinus, Dioscorus, Diotrephes, Eustachius, Felix, Felicianus, Tetraditae, Vadiani, Venustiani, Vigilantius, & nobis propinquiores, Albanenses, Albigenses, Begardi, Berengarius, Discalciati, Flagellantes, Ilarius, Iacobellus, Gulielmus à sācto amore, Lolardus,

Valdenses, Pseudo Apostoli, Almaricus, Vuiclef, Ioannes Hus, Hieronymus Pragensis, Ihaboritae: & denum Marthinus Lutherus omnium pestilentissimus, & qui ab eo fluxerunt, noui Adamitae Munzeriani, & communia habentes, condormientes, eiulantes, Georgiani Dauidici, Memnonitae, Tropistae, Adessenarij, Metamorphistae, Iscariotistae, neutrales, Iconoclastae, Antidaemoniaci, Amsdorffiani, inuisibiles, Maioristae, Poenitentiarij, Nouipelagiani, Syncretizantes, Manichaei, Sabatarij, Clancularij, Manifestarij, Daemoniaci Stebleri, Significatiui tropistae, Energici, Arrabonarij, Spirituales, Antinomi, Samosatenses, noui inferiani, Adiaphoristae, Antisuenfediani, Antosi, Andrini, Anticaluiniani, Manusimpositorij, Bisacramentales, Trisacramentales, Tetrasacramentales, Luthero Caluiani, Amnetistae, Mediosandriani, Suenfoldiani, Osiandrini, Stancariani, Antistancariani, Anabaptistae, & reliquae sectatorum pestes, quae varijs opinionum portentis, apud Germanos nostra memoria diuexarunt Ecclesiam: eam tamen non modò comminuere valuerunt: sed magis suis persecutionibus illi relabenti maximum praestarunt incrementum.

MIRACULORUM CLARITAS.

5026 prae caeteris verò Miraculorum claritas fidei nostrae veritatem maximè probat, nec immeritò quidem. cùm enim nihil sit in rebus humanis compertius, quàm naturae ordinem semel statutum à nullo alio, quàm à Deo posse peruerti, qui sic naturam disposuisse credendus est, vt cum velit eandem posit pro voluntate mutare, proinde hanc per miracula, & prodigia suadendi rationem, quasi mortalibus magis familiarem, & propriam diuina elegisse prouidentia videtur, quòd ea vberiores fructus ex Euangelica praedicatione se messurum speraret. Ioan. 15.

5027 vnde eiusdem Euangelicae praedicationis initio hac sola miraculorum potentia, & sancta quadam simplicitate non item Philosophia, & humana facundia instructos Euangelicos praedicatores orbem vniuersum expugnaturos misit, cuius voti cōpotes si absq; miraculis fuerūt, hoc Matt. 10.

hoc (vti dicebat Augustinus) miraculum miraculorum esset. lib. 18. de ciuit. Dei

1028 quòd si opponas cum Scoto, & ab Antichristo quoquè miracula fieri debere, poteris & cum eodem respondere multum inter haec miracula discrimen esse, non modò quo ad modum, quo semper differentia sunt futura: verùm etiam & quo ad effectum, cum nonnulla apud nos miracula sint effecta, in quibus nulla potest esse deceptio cum Deum tantùm effectorem praemonstrent; veluti raptus Pauli, & reuelatio contingentiam futurorum. quod genus miracula non poterit vnquam Antichristus producere.

1029 in raptu verò Pauli nullam potuisse cadere deceptionem egregiè probauit Scotus, quòd nulla res creata, nec simpliciter, nec ad tempus animam potest beatam reddere, cum à Deo solùm recipiat perfectissimum actum propensionis suae, proindè quo pacto crederet se frui Deo, nisi frueretur?

EXTRINSECA, PROPHANAQVE TESTIMONIA.

1030 mirum est etiam quantum Diabolicae tentationes frangantur ob extrinseca Iosephi Iudaei, Sybillarum, Marci l. 18. antiq. Aurelij Antonini, Hadriani, Maximini, Traiani, & aliorum quos Augustinus Steeuchus Eugubinus ennumerauit testimonia. de perenn. phil.

DEI IVSTITIA ERGA HOMINES.

1031 nec minus etiam in fidei tentatione de hoste triumphat ad eam iustitiam, quae inter homines, & Deum cadere potest saepius aspicere. qui enim potuisset Deus saltem priores illos Christianos, qui omnium mortalium maximè filijs, vxoribus, parentibus, amicis, cognatis postpositis totos sese ad Deum, & eius exequendā voluntatem, transtulerunt, contemnere, aut non eorum animos, qui toti in hoc posito erant vt Deo seruirent aduertere? illis enim quae ipsi praestabant nihil gratius Deo praestare poterat humana fragilitas. cur itaquè quae tanto amoris incendio, tantoquè placendi desiderio afferrebantur, Deus aspernatus fuisset? maerebantur enim saltem veri-

tatis reuelationem.

5032 sic enim & Cornelius centurio, quòd apud Caesaream Deum, qua poterat ratione conquireret, faciens eleemosynas, ac deprecans Deum, Petri praedicatione promeruit. Paulus Apostolus, quòd paternarum traditionum esset obseruator accerrimus, & in persequendis Christianis Deo se se praestare obsequiũ arbitraretur, CHRISTO sibi apparente, grandi prodigio ad Ananiam pertractus, veram accepit de Deo doctrinam. cur itaquè illi qui nó modò eleemosynas faciebant, non modò legem obseruabant: sed in immensae charitatis sacrificium se ipsos tradebant, quorum vita non ob se, verùm ob proximos erat, qui & Dei gratia inimicos quoquè summè diligebant, in veritatis viam si ab ea recessissent, non erant à Deo reducendi?

Act. 10.
Galat. 1.

RATIONABILITAS CHRISTIANORVM DOGMATVM, ET IRRATIONABILITAS ERRORVM.

5033 quid autem rationabilius est, quàm Deum tanquam finẽ vltimũ super omnia diligere: proximum autem sicuti se ipsum? quid naturae magis consonum, quàm ea caeteris facere, quae nobis volumus? in credibilibus autem nemo sit, qui cum Porphyrio dicat, nos aliquas imperfectiones tribuere Deo, cum potius quicquid verum esse credimus magis attestetur perfectioni diuinae, ex quibus poterit quis facillimè in eam deuenire opinionem, omnes ratiocinationes ad infringendam Christianam fidem allatas illius non esse ponderis, vt demonstrationes aliquo pacto possint appellari: sed & esse tantùm probabiles, vel etiam (vt D. Thomas arbitratur) sophisticas rationes, & sic ad illas soluendas locum relinqui.

Math. 22.
Math. 7.
lib. 1. con. Gen. c. 7.

VERITATIS RATIONIS, ET VERITATIS FIDEI CONSENSVS, IN ROBERTVM OLCHOT.

5034 quamobrem crediderim ego simul cum ipso Thoma, ea quae ex ratione naturaliter indita propagantur, veritati Christianae contraria nequaquam esse. id enim quo pacto fieri posset, si ea quae secundum naturam rationi sunt insita ea decorantur veritate, vt eorum falsitatem quis etiam mente concipere nequeat, & id quod fide tenemus,

tàm

tam euidenter diuinitus confirmatum sit, vt eius falsitatem nefas esset credere? non erit itaque verum vero contrarium, cùm falsitati repugnet tantùm veritas.

5035 sileat igitur Robertus Olcoth, qui totis viribus nititur in p. sent.
demonstrare ea, quae sunt fidei, quia ratio naturalis dictat oppositum verum contra ratione naturale esse. neq; enim dogmata Christiana sunt contra rationem nó modò rusticorum: sed etiam, & verè sapientum. namque licet ordine secundarum caussarum considerato virgine concipere minimè fieri possit, secus tamen erit ordine diuinae potentiae. quòd si & humani philosophi hoc etiam Deo impossibile affirment, sicuti & de multis alijs etiam dixerunt, breuibus dicas eos non fuisse verè sapiẽtes. quod vt luce meridiana clarius sit, eò conuertenda est oratio, vt in singulis rebus, in quibus Gentiles philosophi à Christiana Theologia recessere, eorum scientiae summam irrationabilitatem demonstremus.

CASTIGATIO HVMANAE PHILOSOPHIAE DE NOBILITATE PRACTICAE, ET CONTEMPLATIVAE DOCTRINAE.

5036 et in primis dùm vbique humani sapientes Aristoteles,& x. Ethic.
Plato contemplationem praxi anteponunt à nonnullis 6. de Rep.
Theologis rectè falsitatis arguuntur. cùm enim quidditas praxis in actu elicito voluntatis consistat, quatenus Scotus q. 5. prol.
ille natus est elici conformis rectae rationi, ad hoc vt sit rectus: quod & nonnullis in locis prius confirmauit Aristoteles, & praesertim dùm iustitiae praxim ab actu voluntatis elicito, non ab actu imperato determinasse visus v. Eth. cap. antepen.
est. quo loci satis Aristoteles, Heruæum, & sectatores expugnat, qui praxim in actu tantùm imperato reponunt: quol. 1. q. 3. art. 4.
proptereà cur non Aristoteles, Platoque suam felicitatẽ contemplatiuam practicam dixere? siquidem & in ea felici speculatione iam in voluntate elicitur actus conformis rectae rationi.

5037 quod non modo de viatorum: sed & etiam de beatorum felicitate dictum volumus, in quibus etiam intellectus est voluntatis directiuus. quamobrẽ Henricum de Gandauo nequeo non reprehendere, qui cognitionem vltimi in sum. ar. 9. q. . isol. ad 5. arg.

finis speculatiuam asseruit, tum quod illa cognitio (vt ipse credidit) est vt ostensiua finis: non autem directiua voluntatis circa finem, tùm quòd non contingat voluntatem maximè beatorum errare in eliciendo actum circa ordinata ad finem. nam & ex ipsius Henrici assertione circa finem in particulari, qualis est Theologicus contingit errare, quod diuersae philosophorum opiniones de felicitate satis indicat, & licet dilectio vt est circa finē in particulari non posset dici mala quantum ad sui substantiam: attamen propter circumstantias, in quibus adhuc malum cadere potest, directiua dicitur.

5038 Beati verò licet errare nequeant: non tamen inferas eos habitum directiuum non habere: sicut enim omne ferè agens per se formae introductionem: per accidens verò contrarij ablationem intendit, sic & habitus Theologiae per se dirigit: per accidens excludit errorem, vt incompossibilem sibi. si ergo habitus sit perfectus, qualis est ille beatorum omnem à se repellet errorem. immò nisi excluderet, esset vtiquè imperfectus.

5039 castigabit itaquè Theologus etiam in eo philosophum, quòd ille nimis temerè, credat intelligentiam inferiorē in vltimi finis dilectione necessariò trahi, & proindè intelligentiarum felicitatem speculatiuam appellari debere. omnes enim intellectuales creaturae quo ad se attinèt, possunt conformem, & non conformem rectae rationi actum voluntatis elicere. quòd si aliquandò earum nonnullae ad eliciendum, & rectè eliciendum determinantur, id non ex parte Angelorum: sed ab extrinseco est & ideò propter tale quid non oportet ponere aliquid variari circa habitum, de his, quae illi per se insunt.

Franc. de Maytonis lib. 1. sen. dist. 18. q. 2.

5040 quòd si cum Gofredo instet aliquis in Theologicis nonnulla reperiri speculabilia, quae intellectum excedunt practicum: quo pacto enim contemplari trinitatem ad intellectum practicum pertinebit? dicam ego & Gofredum ibi, & eam cognitionem esse practicam, in qua nō determinatur de speculabilibus magis, quàm eorum cognitio ad praxim pertineat, vel ad cognitionem practicā atqui omnes cognitiones Theologicae distinctius de

quol. 13. q. 1.

speculabilibus nō pertractant, ac pertineat ad cognitionem practicam, vel praxim dirigendam. quaelibet enim cognitio Theologica, vel est de illis rebus, quae finem appetibiliorem reddunt, vel de his quae ad finem, vel de his circa quae contingit potentiam operatiuam errare nisi dirigeretur,

5041 atqui voluntati Deum trinum ignoranti contingeret in amando, & in desiderando finem (dùm nempè vnius tātùm personae fruitionem concupisceret) errare. sic etiā qui gnarus non esset Deum fecisse mundum, non rependendo amorem, qualem gratitudo requireret propter tātam bonitatis suae comunicationem, ad nostri factam vtilitatem, à vero rationis dictamine procul dubio recederet. sic & ignorans articulos ad nostram reparationem pertinētes errorū tenebris obnoxius esset. nec enim ob ignorantiam pro tanto beneficio Deum debito amore prosequeretur, & sic de multis alijs.

5042 at cum Guilielmo Varrone poteris forsan dubitare quomodo Aristoteli non repugnamus, qui praxim ad obiectum contingens dirigi asseruit. quod dubium si aliquē impediat, quò minus nobis assentiat, ità ab eius intellectu reuelli potest, vt dicamus in Theologia quoquè obiectum immediatum esse contingens, siquidē tale est actus natus conformiter elici rectae rationi. in l. 1. q. 4.

5043 quòd si demùm nos etiam vrgeas, velisquè adhuc & contemplatiuam nobiliorem esse, tùm quia sui est gratia, tū quia certior, dicam ego cum Scoto nobilitatis esse in inferiori attingere suum superius. vndè sensitiua hominis quae ad intellectiuam ordinatur sensitiua bruti nobilior est. speculationes itaquè Theologicae quamuis ad praxim referantur: non tamen reddunt Theologiam contemplatiua philosophia ignobiliorem, siquidē illae sunt alterius actus gratia nobilioris suo proprio actu. 7. Polit.

5044 quòd si vbiquè philosophi secus asserunt, nos non pudebit illos erroris arguere. ortus est autem eorum error à duabus causis, quarum prima fuit, quòd ipsi non posuerunt aliquam scientiam esse conformem praxi voluntatis circa finem, cùm forsan voluntatem circa finem praxim

habere non asserant: sed quandam tantùm simplicē motionem naturalem. ideo hac de caussa nullam practicam posuerunt esse nobiliorem propter conformitatem ad finem.

5045 altera est, quia practica, quam ipsi posuerunt, versabatur circa obiectum aliquod inferius, quàm esset obiectum speculatiuae.

5046 neque obstant etiam quae dicebantur superius de certitudine. philosophi enim posuerūt obiectum circa quod scientiae practicae suum impendunt laborem imperfectius cognoscibile, quàm sit obiectum speculatiuarum. Theologi verò ponunt cognoscibile, quod debet per praxim attingi in se maximè cognoscibile.

HVMANAE PHILOSOPHIAE DE DVPLICI FELICITATE CASTIGATIO.

5047 quae omnia superius circa felicitatum nobilitatem allata, si quis diligentius considerauerit, reperiet nullam aliam felicitatem dari praeter actiuam. ex quibus dubitantibus facillimè aperietur, cur magister sententiarum à fruitione potius, quàm à trinitate sit auspicatus.

HVMANAE PHILOSOPHIAE DE OBIECTO PRACTICAE FELICITATIS CASTIGATIO.

5048 praeterea ecquis erit verè beatus, & verè εὐδαίμων qualem nobis Aristoteles in suis Ethicis veluti per somnum delineare voluit? nullus profectò in solidum: sed membratim tantùm, vt ità loquar. alij namquè pro diuinae clementiae abundantia, internis bonis, animi scilicet virtutibus cùm Ethicis, tùm heroicis excellunt, quos verè εὐδαίμονας Stoici esse: nos verò aliquandò futuros asserimus. alij bonis corporis, & eorum quae corpus circumstant affluunt, quae εὐτυχία propriè à Graecis appellatur. quantò autem animus corpore praestat, tantò etiam εὐδαιμονία εὐτυχίαν superat.

5049 Aristoteles itaquè Ideam hominis in hac vita beati futuri perpendens, necessariò omnia bonorum genera concurrere debere iudicauit. quae cum nemo vnquam, vel consecutus sit, vel in posterum sit consecuturus; nemò etiam ex ipsius opinione beatus erit appellãdus. an ergò

irritus

irritus erit, & inanis naturae appetitus, beatitudinem tanquam summum bonum consectatoris? neutiquam: sed illius coelestis heroicae, diuinaeque beatitudinis in futura vita particeps erit:

5050 quae sanè vti excellentissima, & perfectissima est, ita de illa diuinare potius, quàm certi aliquid asserere possumus: nec enim in sensum, nec in rationem nostram incurrit, quoque abstrusior est, eò magis nostros animos, & ad cognitionem, & ad possessionem sui accendit. nāq; posita est in his, quae nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, de quibus bene sperare, eaque venerando silentio admirari, non nimis curiosè disputare debemus. rem ipsam non prius cognoscemus, quàm possideamus. vmbram verò eius tenuem hic in aenigmate sacrarum litterarum ductu scrutari, pium esse arbitramur, nec a religione alienum.

5051 ad eam tamen beatitudinem firmiter, & sine vllo dubio sperandam, ea & philosophos ethnicos poterāt inducere quae ad euertendam Auicennae felicitatem Scotus attulit. cùm enim voluntas propensionem habeat ad illa entia quae aliquam includunt bonitatem non poterit perfici compleriuè nisi à perfectissimo ente, quod virtute omnia alia contineat bona. vna enim quaeque potentia, quae plura per se respicit obiecta, non potest in vno illorum perfectè quiescere, nisi virtute, & eminentia quadā contineat illorum perfectionem: namque dùm vnum quodque aliorum respicit diminutè perficitur, quòd ea non contineant aliorum perfectionem, quam tamen voluntas respicit. 1.sen. dist. 1.q.1.

5052 nullum itaque obiectum creatum poterit esse obiectum nostrae fruitionis ordinatè. quicquid dicant Auicēnas, alijque philosophi. 9.Metaph: cap.4.

5053 quòd si instes voluntatis nostrae capacitatem finitā esse, proindè obiecto finito debere frui. respondebimus capacitatem subiectiuè, id est illius rei, quae recipit finitā esse. obiectiuè autem id est illius respectu, quod recipitur esse infinitam.

5054 nihil est itaque quod excedat capacitatem voluntatis in obiecti

obiecti ratione: sed in entitatiua, & formali capacitate, idest quo ad modum obiecti attingibilem, vna potest aliam excedere.

HVMANAE PHILOSOPHIAE DE MONASTICA VITA CASTIGATIO.

5055 maximas etiam fecerunt Philosophi ruinas, dum Monasticam vitam ad politicam semper ordinarunt: credimus enim nos Christiani diuino afflati lumine monasticam vitam absolutè per se ad summam felicitatem posse pertingere. proinde rectè illius laudes Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Optatus Mileuitanus, Hieronymus, Ambrosius, Ephrem, Ruffinus, Chromatius, Palladius, Ioannes, Climacus, Augustinus, Chrysosto. Paulinus, Sulpicius, Cassianus, Prosper Acquitanicus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Victor, Olympiodorus, vterquè Gregorius, Romanus, & Turonensis, Sophronius Hierosolymitanus Patriarcha, atquè Euagrius doctissimis monumentis posteritati cōsignarunt.

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO DE VIRTVTIBVS, ET PRIVS DE FINE VIRTVTVM.

Aug. lib. 5. de ciu. Dei cap. 12 vsq. ad 20.

5056 defecit etiam humana sapientia in vero virtutum fine. asserit enim Christianus propter Deum omnia esse operanda, siquidem ille est summus, & optimus finis, qui non alterius: sed est sui gratia diligendus. quod cum Ethnici sapientes non intellexerint, nec veras etiam (vt Augustinus docuit) habuerunt virtutes;

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO DE CAVSSA VIRTVTVM EFFICIENTE.

5057 nec minus etiam à vera recesserunt scientia dum de caussa virtutum efficiente ratiocinati sunt: ità enim existimarunt ab animo virtutem produci, vt Deus illius effectrix caussa nullo pacto posset appellari. huic enim suppositioni nixus Alexander demonstrauit interdum (vt stoicorum dogma de numero bonorum labefactaret) si honestum tantummodò bonum esset nullum hominibus

Alexander lib. 1. q.

à Dijs

à Dijs bonum tributum, quòd ipsi sibimet honesti boni sint caussa, idque sine dubio prorsus malè: omne enim datum optimum, & omne bonum perfectum desursum est descendens a patre luminum.

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO DE VIRTVTVM FORMA, NEMPE DE MEDIOCRITATE INTER DEFECTVM, ET EXCESSVM.

5058 obstruunt etiam luminibus veritatis dum virtutem mediocritatem asserunt vbiquè. apparet enim eos non genere, & qualitate distinguere, quae à medio illo recedut, quo exempli gratia fortitudo concluditur: sed magna, paruaquè re, vt non malè Cicero interpretatus esse videatur, cum dixit placere Peripateticis illam mediocritatem, quae est inter nimium, & parum. duo autem haec non in qualitate rerum spectantur: sed in quantitate: atquè sic videmus ab illis, quanquam in qualitate virtutum habitus collocentur, earum tamen fines, ac modos ad quantitatem referri.

5059 at Theologi nostri aduersus hoc acerrimè praeliantur, omnequè illud, in quo insit turpitudo, quamuis magnū quamuis paruum dixeris, nihilominus timendum existimant, in quo vero ea nulla sit, contra, idquè vtriquè omne intrepide ferendum, vt videlicet quicquid pertinet ad laudem ex illorum sententia nō magnitudine, ac modo: sed solo genere à vitio distinguatur.

5060 propterea illi terraemotibus, aut fulminibus non terreri quempiam pro vitio non ducunt, quae nequè ipsa turpia sunt, nequè reddere hominem deteriorem possunt.

5061 quin etiam stultum esse arbitrantur fulmina contremiscere, quòd qui talia formidat non plus proficit quàm qui vel intrepidè expectat, vel securus contemnit. aduersus enim tempestatem, aut truculentam bestiam quis semet aliqua ratione munire, ac tueri aduersus illam potest. at qui fulmen pauescit, quod nulla vnquàm prouidentia cauit, quo tandem elleboro sit dignus, vt ad sanitatem reuocetur?

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO QVOD ACTVS BONITAS EX SOLO FINE NON SVMATVR.

5062 nec minus quoquè labuntur humani sapientes dùm ad bonum finem nos interdùm malis medijs posse rectè perduci arbitrantur: bonitas enim actus moralis (vt cum Scoto omnes admonuerunt Scholastici) ex aggregatione omnium actui conuenientium resultat, secundum rectè rationis directionem. proindè sicuti in corpore pulchritudo est ex aggregatione omnium conuenientium illi corpori, & inter se, vt potè quantitatis, coloris, & figurae, atquè sicuti ex vnius defectu, deficit etiam pulchritudo, & introducitur deformitas, sic & actus bonitas est perfectio quaedā ex omnibus cōuenientibus sibi, & ad inuicem ità compacta, vt si desit vnum, illius ratione bonitas quoquè desit, adsitquè malitia.

2. sen. q. 40

5063 quin ex suis principijs hoc idem ipsimet Philosophi poterant addiscere. asserunt enim nullam morum virtutē esse sine prudentia, atqui prudentia per se, & primò ea recta reddit, quae sunt ad finem. proponentes enim nobis bonum finem per virtutes morales, per prudentiam bene ratiocinamur de ijs, quae sunt ad finem. si ergò virtus moralis primò rectificat terminum; prudentia verò viam, cum nunquam rectè aliqua virtus possideatur, nisi coniuncta sit prudentiae, propterea nunquam benè, ac perfectè bonus finis erit, nisi tendamus in ipsum per bonam viam.

6. Ethic. cap. 13.

5064 quod & interdùm Aristotelem ipsum sensisse illa indicāt, quae in secundo scripsit Ethicorum, adulteria nempè, furta, & homicidia, nunquam virtutis mediocritatem recipere posse.

5065 si verò nobis opponas in Holophernis homicidiū, ad quod patrandum Iudith, & mentita est, & alium sui amore inhonesto flagrari concupiuit, quae omnia sine mortali peccato perfici non possunt. audacter cum Scoto respōdebimus, quòd licet factum eius narretur in sacra scriptura, & referatur in Ecclesia tanquàm laudabile quantū ad aliqua religionis plena, aliqua tamen ibi annexa, nec laudantur

3. sen. dist. 38. q. vnica.

laudantur, nec licent.

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO DE TEMPERANTIA.

5066 cum autem philosophi appetitum honoris, & diuitiarũ ità distinxerint, vt in vnoquoque illorum duplicem locauerint virtutem liberalitatẽ nempè, ac magnificentiã, modestiã, & magnanimitatẽ. cur nõ & idẽ etiã in Venereorum appetitu seruarunt? virginitas enim in gradibus castitatis specialem prae se fert excellentiam, & laudem, cum ea sit perfectissima ab omni venerea voluptate toto vitae tempore abstinentia: quod sanè excellentius est, quàm ab inordinatis tantùm Venereis voluptatibus abstinere, sicut facit coniugalis temperantia, & quàm ab omni voluptate huiusmodi abstinere pro aliquo tempore, sicut facit vidualis temperantia.

5067 propterea meritò virginitas addit specialẽ, & excellentem virtutem supra communem castitatẽ, sicut magnificentia supra communes expensas.

5068 idcircò licet virginitas secundum rei quantitatem in extremo locata sit: attamen secundum rationem rectam inter insensibilitatem, & luxuriam medio se habet modo siquidem insensibilis absquè delectu omnem refugit voluptatem; quas vniuersim sine ratione sectatur luxuriosus. at virgo secundum rationem rectam ab omni Venerea se abstinet voluptate. perperàm itaquè philosophi coelibatum reprobarunt. Plato d. lib

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO DE IMPERFECTIONE IVSTITIAE.

5069 praeterea licet philosophi multa nobis praeclara dógmata de iustitia reliquerint, illius tamen virtutis summã perfectionem minimè cognouerunt. quis enim inter Mat. 5. & 6 philosophos illatam iniuriam sibi grande lucrum putauit? quis percutienti maxillam, alteram percutiendam praebebat? quis petenti tunicam dabat, & pallium? quis cum angariante mille passus, ibat & alios mille? quis si mutuum dabat nihil inde sperabat? quis omnia huius mundi lucra arbitrabatur stercora? quis demùm proprios inimicos, & qui res, aut vitam ipsam auferre cona-

bantur

bantur iubebatur diligere? fateamur itaque laudatissimos apud Gentes viros à mundo condito Christianae Iustitiae rationem non inuenisse.

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO DE MAGNANIMITATE.

5070 illam verò animi magnitudinem, quam Aristoteles docet non sine rationum vigore, quasi Euangelio, & virtutis naturae contrariam rectè reprehendit Ludouicus Viues. est enim vniuscuiusquè virtutis fundamentum humilitas, quae cum hac animi erectione nullo pacto potest conuenire, quicquid ad hoc probandum adduxerit Egidius.

lib. de corrup. discip.

de Reg. Prin. lib. par. cap.

5071 quòd si tamen magnanimitas haec concedenda est, dicamus nos eos magnanimos esse, qui magnos animos sūt à natura sortiti. est autem magnus animus non qui sibi (vt malè dixit Aristoteles) quibus est dignus attribuit, cùm hic fastus potius esse videatur. sed qui nec prosperis, & amica fortuna mollescit, nec laboribus frangitur, nec aduersis prosternitur, quem nec gaudium dissoluit, nec spes offert, nec timor comprimit, nec dolor alienat, qui deniquè cunctis affectibus maior existit.

5072 sicut pusillanimos iuxtà eandem nominis proprietatem vocamus qui pusillos animos continent, id est quos ij affectus Tyrannicè calcant.

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO DE NVMERO VIRTVTVM.

5073 cùm autem (vt superius dictum est) detur felicitas quaedam supernaturalis, oportuit hominibus superaddi diuinitus aliqua principia, per quae ita ad beatitudinem supernaturalem dirigeretur, sicuti per naturalia principia ad finem connaturalem. appellantur autem ea principia virtutes Theologicae, tùm quia Deum, vt obiectum proprium respiciunt, quatenus per eas in eum rectè ordinamur, tùm quia sola diuina reuelatione in sacra scriptura huiusmodi virtutes traduntur.

D. Thom. p. 2. q. 62. art. 1.

5074 et primò quidem quantum ad intellectum adduntur homini quaedam principia supernaturalia, quae diuino capiūtur lumine, & haec sunt credibilia, de quibus est fides.

art. 3.

deindè

5075 deinde verò est voluntas, quae ordinatur in illum finem, & quantum ad motum intentionis in ipsum tendentem, licet in id quod est possibile consequi quod pertinet ad spem,

5076 et quantum ad vnionem quandam spiritualem per quam quodammodò transformatur in illum finem, quòd fit per charitatem.

5077 sunt itaquè hominibus praeter virtutes morales necessariae virtutes etiam Theologicae, Fides, Spes, & Charitas ad consequendam felicitatem.

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO DE CONNEXIONE VIRTVTVM.

5078 Philosophi sola prudentia virtutes morales inuicem adnectebant, immò nec prudentia quidem ex quorundam opinione satis probabili. Theologi verò fortissimo charitatis ligamine eas sic astrinxerunt, vt nulla ratione potuerint diuelli. vt multi enim (inquit Gregorius) arboris rami ex vna radice procedunt, sic multae virtutes ex vna charitate generantur, nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manserit in radice charitatis. Scotus 3. sen. dist. 36. in homel.

5079 non sanè quòd vnaquaequè virtus absquè charitate proprium finem per operationē elicitam attingere nequeat, siquidem & tùm etiam possunt esse perfectae in specie sua quatenus nempè propriorum actuum sunt principia in relatione ad obiecta propria: sed quia charitas eas, earumquè fines in finem vltimum ordinat, in qua quidem ordinatione est vltima earum perfectio licet extrinseca. nulla enim virtus, nec vllus illius actus ordinatur ad beatitudinem à Deo sine charitate, quae sola diuidit inter filios regni, & perditionis.

5080 rectè itaquè Paulus quasi vellet vniuersas virtutes nobis compendio charitatis contradere ait. charitas patiens est, benigna est, non aemulatur, non agit perperàm, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, nō irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, & alibi eandem charitatem vinculum perfectionis appellat, quòd per illam 1. Cor. 13.

illam perfectissimo vinculo in vnum fascem colligentur virtutes. quod sanè vinculi genus nescierunt Gentiles, quod penitus ignorarunt mundi sapientes, atque ideò eorum virtutes, quasi sine muro, & inermes vitijs contrarijs conculcandae iacebant.

IMPIETATES REIPVBLICAE PLATONICAE CASTIGATAE, EX PHILOPONO.

5081 non solùm autem Theologus: sed & vnusquisquè illorũ qui parum valent ingenio institutiones in Rep. Platonica de nuptijs, & puerorum educatione cum stomacho reprehenderet, ciuitatis enim mares, ac foeminas custodes dùm aetate vigent procreare volentes bonos quidem bonis: contrarios verò contrariis misceri iubet, bonorumquè prolem alere censet: prauorum verò & si quis bonorum mancus, mutilusuè genitus esset exponere: in quibus vltrà detestabilem communem mulierum vsum quanto pium magis erat prorsus prohibere corpore, animoquè malè affectos à mulieris initu, quã eos relinquere inseruientes voluptati, Deiquè opus praeterea corrumpere,

5. de Rep.

Philopo. l. 9. de mun. aet. con. Proc. c. 3.

5082 adde quod & ex prauis optimos frequenter videmus editos, & deteriores ex optimis, cuius rei assignat rectè admodum rationem Danthes.

„ Rade volte risorge per li rami
„ L'humana probità, e questo vuole
„ Chi ce la dà, perche da lui si chiami.

5083 cùm verò tempus procreationis custodes transierint reliquum liberè tempus misceri concedit, & viros cui voluerint foeminae, & item foeminas, pauca in his quaedam cauens: quasi senectutis tempus in quo temperatiorem vitam agere magis oportebat ad intemperantiam suae ciuitatis custodes prouocet, & quod molestius est, si his foetus vt gigneretur contingeret, maximo studio operã dare iubet ne in lucem exeat: sed in vulua videlicet imperfectum quibusdam medicamentis, vel similibus rebus corrumpat, quippè aliter esse non potest, cum non permittat nostra vt cura, foetus in lucẽ prodeat: si verò aliqua, quae vim inferre partui conata, peperit, exponere, ac

minimè

minimè alere iubet: quibus dictis nihil impius excogitari potest.

IMPIETATES REIPVBLICAE ARISTOTELEAE CASTIGATAE.

1084 neque minus etiam impietatis arguenda est Aristotelea Respublica, in qua nihil orbatum natura educari debere statuitur: 7. Politic.

1085 praeterea qualem non vincit impietatem ea lex. si mores institutaque ciuitatis prohibeant natos exponere, determinanda profectò erit procreandorum multitudo. quod si quibusdam ad procreandum copulatis euenerit numerum praescriptum transire, tùm priusquam natis vita, sensusque insit abortionem inducere oportet. ista enim lex, quae tantam in calamitatibus, eorum qui nobis inuitis eduntur praefesert crudelitatem, naturae nostrae mansuetudinem ex lenitate sua traducit ad feritatē.

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO DE APPETITV MATERIAE.

1086 garriunt etiam prorsus Philosophi de appetitu materiae, ob quem asserunt eam semper maleficium meditari. si enim tota materia sub omnibus formis est, non potest tota formas quaerere. non igitur tota meditatur mutationem, formamque appetit, siquidem non potest id appetere quod habet. si verò non tota appetit, neque tota mutationē meditatur: sed pars tantùm haec aut illa, nō erit toti materiae essentialis appetitus. ergò neque parti. pars enim à parte non differt essentia, ergò neque affectibus, qui essentiam sequuntur. Scaliger in Carda. exer. 77. & 61.

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO DE MATERIA COELI.

1087 malè itaque Philosophi ne materiae frustraretur appetitus materiam inferiorum à coelo semouerunt. coelum enim esse diuersae naturae à terra, caeterisque elementis sacrae literae negant, quae eandem vtrique essentiam, affectionemque tribuunt. nam in mundi ortu ex aquis à terra secretis coelum conflatum esse Moyses praedicat, vt Gennadius, & Theodoretus, Graecique alij Theologi asserunt.

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO DE ORTV FLVMINVM.

5088 labuntur etiam Gentiles Philosophi in ortu fluminum: neque enim satis rectè eam conuellunt opinionem, quae mari fluminorũ adiudicat ortum, cum Ecclesiastes apertè dicat. ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant.

5089 nec inites tum flumina ab omni salsedine pura minimè reddi potuisse percolatione namque salsedinem exuere facilè fuit, quippe accidens est, idque terrestre.

5090 verùm si haec sunt quo pacto flumina minuuntur? an (quod sanè mirum, & incredibile videbitur) flumina nõ minuuntur? non enim ea quantitas, quae à mari suppeditatur, quae princeps est: sed ea quae solutarum niuium, aut ingruentium fit imbrium accessione minuitur.

5091 qui verò prorsus deficiunt torrentes, ijs nulla suggeritur à mari materies.

5092 at percunctaberis quo pacto à mari aquae in montium vertices poterunt subduci, siquidem altius non potest aqua tolli, quàm eius sit superficies à qua prius descẽdit. an hoc est solum in eo casu verum, quandò plus ab ea resistitur parte, quae sursum pellitur, quàm praematur ab illius vi & pondere, quae vrget? at vbi secus est tùm sursum tolletur aqua ad eam superficiem, quae altior est superficie à qua fluit. aquae itaque portiones in terrae caua loca compressae ab extrinsecus incumbente mari (cũ anfractuum angustiae tantam maris molem capere nequeant) quacunque via possunt repetunt iure loci sedes suas.

Scaliger in Card. exer. 46.

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO DE VEHICVLIS ANIMI, EX PHILOPONO.

5093 suppositio verò Graecorum de perpetuo corpore, quod & splendidum vocant, & semper asserunt animi domicilium esse, per quod corruptibilia mouentur corpora, fabella incredibilis est, cunctasq; superat nugas. nã quo pacto cum ostraceo coniungatur vehiculum aethereum? nullum enim medium inter actum, & potentiam rectè

Philop. l. 7. de mun. aeter. con. cap. 16.

concedi

concedi potest. at anima nostra verus est actus, poterit itaquè absquè alio medio cum hoc mortali corpore vniri. hoc enim eodē modo Thomas Vualdensis Vuitchleuitas hereticos exagitat, quòd animationem medium inter animam, & corpus voluerint dari.
1094 praeterea perquirerē ego, quo motu è sublimi illa regione in hanc inferiorem descendat aethereum illud vehiculum: hoc enim nullo alio fieri potest motu, praeterquam recto, qui quidem si aethereo vehiculo secundum naturam conuenit, iam non erit (vt supponunt) ingenerabile, ac incorruptibile.
1095 nequè etiam huic corpori supra naturam rectus inerit motus. quae enim supra naturam alicui conueniunt praestantiora sunt ijs, quae sunt secundum naturam. motus autem rectus infra naturam est rerum coelestium, non ergò ita vehiculū coeleste supra naturā mouebitur.
1096 si itaquè nec secundum naturam, nec supra naturam vehiculum hoc recto motu mouetur, necessarium erit, vt tali motu contra naturam feratur: nullum verò corpus, quod contra naturam, & vi mouetur ingenerabile, & corruptionis est expers.
1097 deindè quomodò illud ingenerabile corpus intra generabile existit, necesse est enim aut totum per totum ingredi, aut secundum partes se mutuo tangere. primum autem est è numero eorum, quae fieri non possunt, cùm vnum corpus per aliud corpus ingredi nequeat.
1098 nec coelestia corpora (quale hoc vehiculum esse nugantur) mutuò se penetrantia vllo videntur modo: tantùm enim abest vt coelestia corpora se penetrent, vt nec supernorum lucentium corporum lumen, per corpora, quae sub ipsa sunt lucentia permeare valeat. Philopon. cap 17.
1099 quòd si in frusta secentur ambo, sequè mutuò incidant, neutrum erit sibi ipsi continuum, quod tamē ipsi asserūt.
1100 postremò quocunquè modo totum per totum ingrediatur, aethereum vehiculum à sua, quae est ipsi naturalis excidet figura, quod sanè absurdissimum est.
1101 si verò in aliqua tantum ostracei vehiculi, aethereum vehiculum manserit particula, dicant mihi quaeso primū

in quia. non enim id fingere facilè potuerunt.

5102 demùm quae de vniuerso dubitauimus eadem, & de parte possunt dubitari.

5103 est itaquè animus forma per se (absquè alio subiecti adminiculo) subsistens, quae quidem magis in composito (vti dicebat Scotus) communicat perfectionem, quàm recipiat, nullam itaquè video repugnantiam si affirmem perfectum, sinè perfectionis suae diffusione, posse in se manere, cum etiam & efficienti caussae non repugnet in rerum natura sinè effectu reperiri.

4. sen. dist. 43. q. 2.

5104 cuius sanè rei maximum est signum (sicut & D. Thomas asserit) quòd anima rationalis in abstractione quadam à corpore perficitur, non modò iuxtà specierum receptionem, quod & sensibus commune videtur, ob quod & nònulli hanc D. Thomae rationem conuellere sunt ausi: verùm etiam & secundum virtutem, cum quantò minus corporis propensiones sequitur, & quantò magis eas violentia quadam reprimit eò magis vigeat, ac floreat, quod in ea vita, quam Philosophi purgatoriam vocarũt, videre licet, ob quam vltimam considerationem ista ratio (ni fallimur) inexpugnabilis euadit.

in 2. con. Gen. c. 78. in p par. s. q 75. ar. 6.

Andr. Camutius de hum intel. l. 3. c. 2.

5105 nec dicas quòd animi perfectio in separatione à corpore per operationem consistat. corruptio autem in separatione secundum esse: quoniam operatio sequitur, & demonstrat esse.

THEOLOGIAE, ET HVMANAE PHILOSOPHIAE, CONCORDIA DE VEHICVLIS ANIMI.

5106 si verò animae nostrae vehiculum, & currum de quo saepius meminerunt humani Philosophi, pro essentia ipsa, & potentia fixa, manente, indeficienteque ac semper actui assecla, & comite intelligamus, non est, quod amplius in hoc asseramus humanam philosophiam esse castigandam.

5107 nõ intelligamus itaq; per supremũ corpus, & immortale dimensum coeleste corpus (nec enim vsquè adeò forsan fuerunt ingenio pingui, quos natura literarum primates nobis tradidisse videtur) sed essentiam, potentiamq; immortalem, qualem suprema entia, immortaliaq; sub

primo

primo possident, quam in analogia Magi vocant supremum corpus, quod perindè ad superiorum mentium esse se habeat, vt inferiorum crassiuscula haec corpora ad formas.

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO DE INFINITA CIRCVLATIONE ANIMORVM.

5108 labitur etiam penitus humana philosophia, dùm animorum infinitam circulationem credit; cùm omnia rursus asserat eadem numero debere reuerti, quòd idem agens; & eadem materia praestò adsint. haec enim ratiò penitus est diminuta, siquidem materia potest esse omninò alia, vel aliam habere positionem in comparatione ad coelum, quandò per actionē liberi arbitrij possunt impediri corpora nè sint in illo statu, vbi prius erant. Aug. 12. de ciuit. Dei cap. 13. Scotus 4. sen. dist. 43. q. 3.

5109 et quandò per actionem talem potest aliquod corpus esse diuisum, atquè ita materia pluribus in locis dispersa.

5110 praeterea liberi arbitrij actiones à coelo nequaquàm dependent, & per consequens illae non necessariò redibunt eaedem.

5111 quantò itaquè melius nostri Theologi, qui vnum tantū animorum in corpora regressum in vniuersali resurrectione credūt, post quam semper in perpetuas aeternitates compositum nostrum manebit, cum enim anima per se corporis sit (vt ita dicam) informatiua: si perpetuò separaretur à corpore, frustrà esset potentia informatiua cùm perpetuò suo frustraretur actu. Paulus ad Phil. 3. Franciscus de Mayro. 4. sen. dist. 45. q. 2.

5112 nec dicas cum Auicenna (quod & Gaetanus sensit) animam in sui principio esse informatiuam: at vbi à corpore separatur talem amplius non esse, ità quòd vterquè status illi successiuè sit naturalis, quemadmodum & animalibus perfectis naturale est in principio viuere in aluo materna: post autem extrà: namquè (vt Franciscus de Mayronis adnotauit) quòd anima sit informatiua hoc ei conuenit per se, & per consequens perpetuò: quòd autē actu informet, accidit ei. p. par. sum: q. 76. ar. 2.

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO DE REMINISCENTIA DISCIPLINARVM.

5113 quid autem ineptius quàm animum nostrum reminisci

p.par.sum. q.74.ar 4. eorum, quorum propter lapsum in haec corpora oblitus fuerat? sic enim (vt animaduertit D. Thomas) non solùm ponitur effectus sinè caussa: verum etiam ponitur effectus suae caussae è regione repugnans, quandò ex vnione (vt supra probatum est) naturali, ponitur impedimentum naturalis operationis.

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO DE ANIMI AETERNITATE A PARTE ANTE.

5114 cùm itaquè scientias in hoc inferiori mundo acquiramus, non autem reminiscamur, palam est animi aeternitatem à parte ante, purum esse Philosophorum figmētum. alioqui animi nostri frustrà fuissēt infinito tēpore.

COROLLARIA.

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO QVOD OMNIS FORMA NON PER ACCIDENS FIAT, EX SCOTO.

5115 hinc liquet Philosophos à veritate longè recessisse, dùm vniuscuiusquè formae productionem per se negarunt. (7. Met.) nam rectè Theologi quoad animum nostru attinet duas asserunt productiones, vnam nempè de non esse animi ad ipsius esse, quae quidem est creatio: alia verò statim sequens à non animatione corporis ad illius animationem quae productio corporis animati appellatur.

5116 quòd si dubites quo pacto agens immutabile, ipse nempè Deus aliquid noui possit producere. respondebit & rectè Scotus id fieri propter nouam receptiui passionem, (In 4. sen. dis.42. q.2.) effectus enim nouus omninò ab efficiente depēdens absquè aliqua efficiētis variatione (secundum Philosophos) minimè potest oriri. at quando ad effectus noui productionem, & agens, & passum concurrunt. is (licet agens immutabile sit) potest ad ipsius tantummodò passi mutationem reduci.

ΕΡΓΑ.

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO DE CREATIONIS POSSIBILITATE.

5117 dùm etiam nihil ex nihilo produci dicunt, facillimè possunt à rerum natura refelli: si enim (vt Philoponus animaduertit) formarum annihilatio datur (alioquin par- (lib. 9. de aeter. mū. con. Proc. cap. 11.)

ticularibus

ticularibus, in quibus subsistunt corporibus corruptis, vel in materiam recurrerent, vel in aliud quoddam migrarent subiectum, vel in aliqua resoluerentur simpliciora, aut in propriam quandam vniuersitatem, vel in aliā mutarentur formam, vel per se à materia seorsum subsisterent. quae omnia cum impossibilia sint, relinquitur, ipsas subiecto corpore corrupto, in id quod penitus non est resolui) cur non dabitur, & formarum creatio?

§118 quòd si vt haec euitet ambitiosus Peripateticus cum nōnullis Graecis asserat, quod quemadmodum materiales formae, dum gignuntur ex potentia efficiuntur actu; ità etiam dum intereūt ex eo quod actu in propriam remeant potentiam. respondebimus cum Philopono id sanè quod est actu, si corrumpitur potentia remanere: actum autem corruptum nequaquàm cum actus diuersus, sit ab eo quod actu. sicut enim aliud est esse aliquid potentia, aliud illius potentia, pariter aliud est aliquid actu esse, aliud illius actus.

§119 neque etiam ea quae in Metaphysicis Aristoteles disputauit de compositi, formaeque generatione, possunt superius dicta euertere. ipse enim his rationibus succumbens affirmauit generationem non materiae, nō formae: sed ex vtrisque compositi esse, quod sanè dictum magis argutum, quàm verum est: cum enim materia neque generetur, neque corrumpatur, ideò materiae nulla generatio, nulla est corruptio, & proindè neque illius etiam, quod est ex vtrisque: sic enim & materia rursus generaretur, quandoquidem compositum, & forma, & materia est. relinquitur itaque solius formae generationem esse. 7. Met. Philop. ibi dem. c. 17.

§120 quamobrem si natura formas ex nihilo producit, cur & eodem modo compositum Deus efficere non poterit? quantò enim agens perfectius eò minus in agendo supponit, quàm agens imperfectius: natura enim arte efficacior, vt actiones suas promat ens in potentia requirit: cùm ars in his, quae actu tantummodo sunt (vt potè debilior) operari possit. Deus autem cum absque dubio perfectione sua naturam, & artem exuperet, minusquam ens in potentia, & proindè nihil praesuponet. Egid. de Ro. quol. 6. q. 4. 2. sen. q. 2.

5121 alioquin ipse non erit per se ens, neque caetera propter illius participationem.

THEOLOGORVM, ET PHILOSOPHORVM CONCORDIA QVOD NIHIL EX NIHILO FIAT.

5122 quae quidem licet ità sint: possumus tamen adhuc Theologicè cum Philosophis tueri nihil ex nihilo fieri posse. nihil enim creatur, quod prius non habuerit esse intellectum, vel volitum.

Scotus 2. sen. dist. 1. q. 2.

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO DE CREATIONE MVNDI AETERNA.

5123 illos verò Philosophos, qui mundi creationem Deo coaeuam asseruisse visi sunt, suamet dicta poterant intrà veritatis cancellos retinere. ipsi enim sunt ijdem, qui actu infinitum, eo quippiam maius, & idem multiplicatum dari posse pertinacissimè negarunt. quod tamen (velint nolint) ex suis dictis concedunt.

Philop. de mũ. aeter. con. Proc. l. 1. c 3.

5124 si enim ab aeterno creatus est mundus, necessarium est numerum ex superioribus antecessionibus nunc vsquè generatorum hominum, vel plantarum, vel reliquorum singulae cuiusquè speciei indiuiduorum actu infinitum esse factum, qui & in dies deinceps augebitur.

5125 praeterea hominum, qui iam editi sunt, numerus cum sit infinitus, nec non & equorum generatorum, infinitũ iam duplicabis. quod si & his equorũ numerum addas, infinitum triplicabis. sic & aliorum indiuiduorum adiecta specie multiplicabitur infinitum. quae quidem inter ea sunt censenda quae minimè fieri possunt.

5126 quòd si cum nonnullis Scholasticis superius dicta in his sibi locum affirmes vindicare, quae actu subsistunt: non autem in his, quae per successionem propagantur, respõdebimus cum Philopono eadem caussa, qua collectim ac vna infinitum esse non potest, hac eadem neque per successionem actu progressionem infinitam esse posse. quin longè magis infinitum actu per successionem, quàm collectim continet absurda. collectim enim subsistens fortè per vnitatem transcendi, quasi numerari possit, nõ erit necesse: infiniti verò actu successiuè facta est transgressio: quod non est possibile, cum numeratum per vnitatem

vnitatem infinitum non pertranseat: quamuis aeternus sit ipse numerans. infinitum enim natura transiri non potest: alioquin non esset infinitum.

5127 verùm poteris & adhuc instare creationem illam, quam vbiquè tuentur, & fatentur Christiani Deum aliquo pacto reddere mutabilem, qui licet voluntate antiqua aliquid nunc creet: attamē id sine quali quali mutatione facere non posse; vt potè qui de contradictorio transeat ad contradictorium. at enimuerò si creare esset formaliter in Deo, & postea non creare, necessariò sanè mutaretur: atqui non est ità, proindè aliud est dici de Deo extremum contradictionis, & aliud est esse in Deo. dicitur itaquè de Deo vtrumquè contradictionis extremū non est attamen quid nouum in Deo.

5128 nè relatio quidem, quando Deus nulla relatione reali, nec formali ad creaturam refferri potest. irridendus itaquè Auerroys, qui cum omne agens ad passum formaliter referri arbitraretur, vt relationis nouitatem à Deo seiungeret, nouae creationis pijssimum dogma manibus pedibusquè (vt aiunt) explosit. Scotus 1. sen.dis.35.

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO DE NECESSITATE DIVINAE PRODVCTIONIS AD EXTRA.

5129 illud verò Philosophicum dictum prae omnibus alijs est absurdum, quòd Deus agat ad extra necessariò: nam (sicuti etiam dicebat Scotus) quandocunquè aliqua efficientia sunt ordinata. si primum mouet necessariò, & secundum necessariò mouebit: maximè si secundum non mouet, nisi quia motum: tanta enim necessitate mouebit, quanta mouetur. cum ergò Deus sit primum agens, in esse, in fieri, in actionibus, omniaquè in virtute sui continens, & concaussans omnes effectus, si ageret ipse necessariò, necessariò omnes agerent caussae, propterea nullum daretur contingens. 1.sen.dist. 2.q.1.

5130 quòd si cum aliquibus respondeas, Deum vim caussandi alijs tradere, ac conseruare: nihil autem amplius praestare: dicam ego Deum virtute caussas secundas continere: ergò & earum etiam effectus virtute complecti. atqui omne

omne agens necessariò continens virtute aliam caussam, & alium effectum, sicut prius agit quàm aliud, ita effectus citius ponetur per ipsum quam per aliud: sed Deus est agens necessarium, & effectus omnium caussarum secundarum continet, & prius caussat ordine naturae quàm caussae secundae, ergò necessariò producet omnes earum effectus.

5131 praeterea omne agens de necessitate producit effectum, vti aptus natus est produci iuxtà propriam naturam. sed secundum propriam elementorum naturam debuisset aqua terram ex omni parte cooperire: si itaquè Deus naturaliter ageret, eo modo produxisset aquam.

5132 postremò nullum violentum potest esse perpetuum, nisi forsan à caussa liberè operante: sed violentia, ob fugam vacui est immediatè aer super terram, erit hoc itaquè ab aliquo agente liberè, eum immediatè supra terram detinente. quod idem & de aqua extrà proprium locum immorante poterit repeti.

5133 instabis forsan si summo enti necessariò nihil potest per accidēs competere, quo pacto ad extrà operabitur Deus contingenter? qui enim contingenter agit per accidens agit, & non per se. quod sanè argumentum soleo sic ego diluere per accidens bifariàm posse intelligi, formaliter nempè quo pacto antecedēs est verum, vel extrinseca denominatione, quo pacto antecedens est falsum, cum ità aliquid Deo per accidens conueniat.

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO DE ANGELORVM SVBSTANTIA.

5134 praeterea nescio qua inducti ratione Philosophi omne accidens ab Angelis abnegarunt? per spectionem enim, quam Theologi nostri intuitiuam vocant augetur in illis Dei similitudo, impleturquè illa capacitas, quae antea sui tantum plena erat idest essentiae suae. quae quidem diuinitatis vlterior participatio cum prius abesset, accidens est.

5135 sic etiam corporum assumptio in illis accidens est, quod esse Angelis possibile cur pertinaces naturales negarunt? si enim, quod exempli gratia sit dictū, Solis intelligentia

non

non solùm Muris corpus fabricat: sed etiam dat animam in fimeto. quantò facilius, commodius, & celerius confecerit Angelus sibi corpus? est enim id corpus minus negociosum, quàm Muris corpus, habetquè ad Angelum relata materia potentiam obedientialem, ad Solem verò potentiam passiuam.

§136 cum itaquè substantiae separatae habeant aliquod accidens, habent propterea aliquid sibi realiter coniunctum praeter suum esse. non sunt ergo (vt perperàm senserunt Philosophi) inter illa entia connumeranda, quae esse tàtùm (vt terminis Scholasticis vtar) irreceptum habent: nullũ enim esse irreceptũ praeter se cõnectit sibi aliquid. Gaet. de ente & ess. cap. 5.

§137 quandòquidem praecisa caussa, ob quam habet esse aliquid sibi praeter se annexum, nulla est alia quàm quod esse in eo recipitur, in quo & aliud potest recipi: alioquin esse vniuscuiusquè substantiale, vel cum alijs praeter se idempticè compactum esset, cuius falsitatem indicat esse substantiae primae, quod non est esse album, vel vnirentur, sicut actus, & potentia: quod sanè si esset, vltimus actus ad alterum ordinaretur. res prorsus impossibilis. ea igitur coniunguntur ratione, vt ambo in tertio recipiantur.

§138 adest itaquè in Angelis potentia positiua.

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO DE NVMERO ANGELORVM.

§139 ex istis apparet multò maiorem numerum Angelorum esse, quam Plato, & Aristoteles crediderint: cum enim interuallum inter potentiam intellectualem, animas nẽpè nostras, primumquè principium, infinitum sit: propterea probabile admodum videtur super animas ex varia intellectualis actus, & potentiae coniunctione plures Angelorum gradus, quam gradus formarum infra animas esse posse, cum spatium inter ipsas, atquè materiam finitum sit. Fici. The. Plat. lib. 1. cap. 5.

§140 atquè hoc forsan voluit Commentator dixisse, in hoc praeter morem suum satis prius, cũ affirmauit nos absq; natura intellectus possibilis, non potuisse pluralitatem in substantijs abstractis intelligere. 3. d anima com. 5.

Humanae

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO DE ANGELORVM DISTINCTIONE TANTVM SPECIFICA.

5141 id etiam veluti à veritate dissentaneum sancimus omninò nullam aliam inter Angelos esse distinctionem praeter specificam. credimus enim nos & in Angelis distinctionem numeralem reperiri: nec enim speciei repugnat de pluribus posse praedicari: omnis autem Angelus est in natura specifica. quod quidem logicè dictum sit.

5142 praeterea omnis quidditas iuxtà ipsos Ethnicos sapientes communicabilis est pluribus indiuiduis ex sui natura quis autem negabit in Angelica natura quidditatem reperiri? argumentum à Methaphysicis depromptum.

5143 deindè adest in Angelis (vt supra probauimus) potentia positiua, & actus cum suis accidentibus. adsunt ergò potentia, & actus cum conditionibus indiuiduantibus. quae sanè ratiocinatio Physica est.

5144 postremò nonnè inconueniens esset naturam specificam in vniuerso frustrari? modò cum Daemones fine proprio beatitudine nempè careant, quaelibet Daemonum species esset frustrà.

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO DE ANIMATIONE COELORVM, ET EIVSDEM POSITIONIS BONVS SENSVS.

5145 est etiam à nostrorum patrum decretis, & à fide inconcussa alienum coelos esse animatos, quod & Damascenus palàm adnotauit: corpora enim quantumcunquè suprema sunt respectu Angelorũ valdè materialia, proptereà nullo pacto tantam possunt habere Angeli ad ea propensionem, vt ipsorum sint informatiui.

in comp. teol. lib. 2. cap. 6.

5146 potest tamen haec opinio (vt adnotauit Egidius) ad bonum sensum reduci, si Philosophorum dictum ità declaremus, vt nequè etiam ipsi voluerint ex anima coeli, & coelo fieri vnum secundum esse: sed pro tanto motores coelorum dixerint coelos animare, & viuificare, quatenus eis influunt motum, qui quidem motus est quoddam opus vitae: nam & aquae fluentes dicuntur aquae viuae: manentes verò immobiles dicuntur mortuae.

i cõ. prop. 2. aut de caus.

hoc

5147 hoc etiam & Theologi concederent: dicunt enim & ipsi quòd motores coelorum, coeli s influunt motus.

5148 modus tamen loquendi valdè est varius.

5149 sed dubitabis fortè vtrum posit ad modum fidei trahi; quòd ponantur animae coelorum praeter intelligentias, & sanè cum lex diuinitatis sit, vt semper infima supremorum coniungerentur supremis infimorum, propterea Theologicum erit praeter Angelos superiores dare & inferiores, quibus commissa sit corporum administratio inconueniens enim esset, quòd intelligentiae superiores, quae sunt proximiores primò, & magis attingunt ipsum immediatè, connecterentur corporibus tanquam eorum motores.

5150 si ergò hos Angelos inferiores administrantes corpora coelestia volunt vocare animas, Angelos verò superiores intelligentias, trahitur aliquo pacto hoc Philosophicum dictum ad id, quod fides ponit. plenè tamen nunquam, cum Philosophi tot posuerint intelligentias, & tot animas, quot sunt orbes. nos autem tenemus quod millia Daniel 7. millium ministrant Deo, & decies millies centena millium assistunt ei: indecens eni esset, quòd corpora essent Dionys. 14 Ang. hier. in tàm magno numero: nobilissima verò pars vniuersi in tàm modico.

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO DE DAEMONIBVS.

5151 cùm verò isti Angeli creaturae fuerint, impeccabiles minimè potuerunt esse, quandoquidem habet omnis Scotus 2. dist. 6. q. 2. & dist. 23. creatura naturalem propensionem ad summum commodum sibi, propterea illi qui naturae inclinationem sequuti ab vniuersali recesserunt bono, iure à summo deiecti coelo ex Angelis Daemones effecti sunt.

5152 non sunt itaque Daemones (vt malè senserunt Philosophi) animae illae, quae ex ostraceis exierunt vehiculis: differunt enim Angelus, & anima specie: diuersorum enim generum, & non subalternatim positorum, diuersae sunt species, & differentiae: sed Angelus & homo sunt in diuersis generibus, & non subalternatim positis: rationale namquè est sub differentia specifica posita sub genere

genere corporis, à qua procul dubio penitus seiungitur Angelus.

5153 praeterea nisi differrent specie aliquid esset frustrà in natura: daretur enim forma, quae nunquàm perficeret materiam.

5154 postremò quicquid est demonstrabile de vno specie, & de altero quoque demonstratur: demonstràmus autem animam esse formam corporis: quod de Angelo demostrari minimè potest. seiunguntur itaque specie,

5155 verùm instabis forsan cum Platonicis, & Origene, quòd vbicunquè aliqua specie distinguuntur, id ex eo est, quia differentia nobilior vnum ab alio separat: homo verò & Angelus cum in nobilissimis differentijs conueniant, intellectu nempè, ac voluntate, specie distingui non poterunt, quòd nulla reperiatur differentia voluntate, ac intellectu nobilior. sed hunc scrupulũ egregiè admodùm tollit D. Thomas, qui quidem asserit differentiam nobiliorem genere sicut determinatum indeterminato, & proprium communi, nõ autem sicut alia, & alia natura: alioquin irrationalia animalia, vel vnius essent speciei, vel in eis esset alia perfectior forma, quàm anima sensibilis. sicut ergò illa secundum diuersos gradus determinatos naturae sensitiuae differunt, sic rationales animae, & Angeli differunt specie secundum diuersos gradus naturae intellectiuae.

p.par.sum: q.51.ar.3.

HVMANAE PHILOSOPHIAE CASTIGATIO DE IDEIS, ET DE DEI POTENTIA.

5156 in illa verò rerum gradaria creatione, quam in Idearum positione concesserunt Philosophi, licet altum quiddam, & eximium meditati videantur, errarunt tamen valdè ob ignorantiam omnipotentiae Dei: arbitrantur enim Philosophi Deum esse quidem omnium caussam: auxiliantibus tamen causis secundis. at Theologus omnium caussalitatem immediatam adscribit Deo, siquidem omnia absolutè possibilia potest efficere Deus.

5157 cum enim vnicuiquè potentiae actiuae correspondeat possibile vt obiectum proprium secundum rationem illius actus, in quo actiua potentia fundatur: esse autem diuinum

D. Thom. p.par.sum: q.25.ar.2.

diuinum cui ratio diuinae potentiae nititur, sit esse infinitum, non coarctatum ad aliquod entis genus: sed in se totius esse perfectionem comprehendens: propterea quicquid potest habere rationem entis sub possibilibus absolutis continetur, quorum respectu Deus dicitur omnipotens, nihil autem opponitur rationi entis nisi non ens: quamobrem non est, quòd repugnet rationi possibilis absoluti, nisi quòd implicat esse, & non esse simul.

§158 quòd sanè omnipotentiae non subijcitur, non quia deficiat ipsa: sed quod id rationem effectibilis, aut possibilis non habet. vndè conuenientius dicitur id fieri non posse, quàm quòd Deus non possit efficere.

§159 neque his ea repugnant Euangelij. non erit impossibile apud Deum omne verbum. id enim quod contradictionem implicat, verbum esse non potest, cum nullus intellectus illud concipere queat.

§160 quòd autem asserunt Philosophi caussam secundam requiri propter imperfectionem effectus, nihil habent, ob quod Christianum a sua possint remouere sententia. ponitur enim secundum istos Philosophos Deus alicuius producti caussa totalis, & immediata, in quo tamen velint, nolint adest imperfectio, cum Deus eo in infinitum perfectior sit: proindè ex quo imperfectio in communi non repugnat Deo quin possit producere effectum imperfectum, oportuit (vt egregiè adnotauit Ochan) Philosophos assignasse rationem specialem, quare plus repugnat Deo illum effectum producere quàm alium. 1. sen. dist. 41.

§161 verùm si respondeant Philosophi aliquos effectus, ita perfectos esse, vt nullo modo possint esse à caussa secũda: aliquos verò ità imperfectos, vt nullo modo possint à prima caussa immediatè oriri, dicam ego eos in contradictionem labi quandòquidem aliquibus in locis arbitrantur, indeficientis, summaeque perfectionis esse omne genus entis efficere, & implere. quae sanè si meminissent, nunquam (vt opinor) immediatam rerum omnipotentiam abstulissent Deo. Proclus in Tim. Simplic. in vlt com. 1. de coelo.

§162 ex quibus etiam tollitur ea responsio, quam existimauit Lychetus potiorẽ nempè quòd secunda caussa ad effectus 1. sen. dist. 42.

nouitatem

nobilitatum requiratur, ita vt secunda caussa eam tribuat imperfectionem, quae conditionis est: non autē illam, quae ad quidditatem attinet.

5163 adde quòd & in hac responsione Philosophorum sententiam percepisse non videtur: ipsi enim in gradario intelligentiarum processu ad aliquam quidditatis imperfectionem secundam caussam concurrere voluerunt.

5164 illud etiam in Ideis omnes ferè Theologi reprehenderūt quòd in illa successiua rerum productione creaturae creandi facultas adiudicaretur: intellectio enim Angeli cū sit actus quidam accidentalis, qui necessariò in eo requiritur, tanquam prior quocunque producto per ipsum ad extra; vel est sicut actus productiuus termini, vel sicut formale principium eius productiuū. primus sanè modus repugnantiam habet: quandòquidem actus termini productiuus, terminusquè productus sunt in eodem. nō itaquè ad producendum aliquid extrà requiritur in Angelo immanens actus, qui sit actus productionis.

5165 secundus autem modus excluditur: quòd actus accidētalis non posSit esse formale principium creandi substantiam: cum enim vnaquaequè potentia actiua, quae ad sui constitutionem potentiam receptiuam expostulat. requirat idquè necessariò potētiam pasSiuam in agendo (alioquin terminus actionis esset absolutior principio suo, quod est inconueniens) propterea non poterit actus accidentalis, qui tūm in essendo, tūm in agendo potentiā receptiuam supponit, esse principium formale creandi, cum creatio nihil supponat. haec sanè Scotus. 4. sen. dist. 1. q. 1.

5166 his tamen omnibus repugnat Durandus, qui quamuis lib. 2. dist. 1. q. 4. asserat nulli creaturae communicatum esse, quod creet: arbitratur tamen nullam adesse rationem inconcussam, ob quam fateri cogamur, cretauram virtute Dei nullo supposito in quo agat non posse aliquid extra producere: neq; enim necessarium est in productione ex nihilo virtutem infinitam reperiri, ob non entis ab ente infinitam distantiam, illa namquè distantia non est infinita, qua est maiorem dare: atqui est dare maiorem distantiam, quā sit illa, quae est entis à non ente, quod ponitur terminus creationis,

creationis, eò quòd non ens, quod implicat cōtradictionem multo plus distat ab ente, quàm illud non ens, cum ex ipso nihil aliud possit fieri.

§ 167 quod vt etiam clarius innotescat, animaduertendum cēsemus quòd ea distantia, quae ab extremis mediatis clauditur, tanta est, quanta est quantitas, siuè sit intensiua, siuè extensiua medij interpositi: quandò autem distantia est inter extrema immediata, tunc tanta est praecisè distantia extremorum, quantum vnum extremum est altero maius. vbi enim non est medium inter extrema, nihil aliud est ibi distantia, nisi excessus vnius extremi super alterum.

§ 168 cùm itaquè ens finitum creatum non excedat in infinitum nihil sibi correspondens (non excedit enim nisi tantum, quantum ipsum est) proindè non est ibi distantia infinita.

§ 169 quòd autem inter ens, & nihil nulla sit proportio, fit ex eo, quia alterum positiuum, alterum purè est negatiuum: positiui autem ad non positiuum nulla proportio.

§ 170 similiter quòd nulla sit proportio distantiae, quae est inter duo entia creata, ad distantiam inter ens creatum & nihil, non est propter infinitatem alicuius earum: sed quòd vna est inter vtraquè positiua extrema. altera verò vnum habet extremum negatiuum.

§ 171 nequè inferat quis ex ista improportione, quòd virtus, quae potest super vnam distantiam, sit improportionabilis virtuti, quae potest super aliam. videmus enim similiter nullam esse proportionem distantiae inter lumen, & tenebras, ad distantiam inter calorem, & frigiditatem: cum tamen quaelibet sit finita, & eadem virtus Solis super vtramquè possit: aerem enim de tenebris ad lumen, & è frigiditate, ad caliditatem deducit.

§ 172 nec instes esse de ratione actionis creaturae, quòd sit motus, vel mutatio, quae subiectū supponunt, nō est enim Deo minus possibile accidens à subiecto reuellere, dum producitur ab agente naturali, quàm post illius productionem. est autem secundum possibile, quod fit in sacramento altaris, ergò & primum, scilicet quod accidēs

producatur non ex subiecto, nec in subiecto ab agente naturali: cooperante tamen Deo non ad productionem: sed ad talem existentiam rei productae, & per consequens producetur absque mutatione, quae subiectum requirit. & haec Durandus subtilius, & verius quàm Scotus.
§173 cuius argumenta facillimè possunt tolli si dicamus, aliquem actum praecedere terminum actionis, qui nec est productio termini, nec principium formale productiuũ: sed est directiuus, vel inclinatiuus, siuè explicatiuus principij productiui, respectu productionis, & termini producti. quod sanè in omni agente per cognitionem, & per artem reperitur: intelligere namquè, & velle, quae necessariò praeexiguntur termino producto, non sunt productiones, nec principia formalia productiua: sed vnum eorum, scilicet intelligere est directiuum, & aliud, scilicet velle est inclinatiuum, seu applicatiuum principij actiui ad agendum.

SVMMA TRINITAS EX PRINCIPIIS PLATONICIS, ET ARISTOTELIS PERSVASA.

IN PLATONEM, ET ARISTOTELEM.

§174 cùm verò superius ex vtriusquè Philosophi sententia Deum vigore infinitum demonstrauerimus, quis audebit potentiam hanc infinitè actiuam otiositate, ac torpore plenam asserere? ne itaquè infinita haec plenitudo frustrà sit, debet se in infinitum fundere, propagare, & communicare.

Hen quol. 6. q. 1. §175 nec placet nobis hanc propagationem esse per actum intellectus reflexiuum, vt sensit Henricus.

p. par. sum. q. 27. ar. 5. §176 seu per actum intelligendi, vt arbitratur D. Thomas.

§177 vel per actum intellectus productiuũ, vt opinatur Scotus.

Sco. l. 1. dist. 2. q. 4. §178 sed esse tantum ex foecunditate naturae (vt existimat Durandus) quam sanè foecunditatem habet ex sua infinitate, non quòd sit vel intelligens, vel volens.

l. 1. dist. 6. q. 2. §179 sicut enim calor ignis, si esset intelligens, diffunderet caliditatem sibi similem, quemadmodum & nunc facit, foecunditate naturae suae, nec suppetias ferret intelligere, aut velle, sic natura diuina licet sit intelligens, & volens,

lens, ex sua infinita plenitudine habet foecunditatem, cuius virtute persona fit à persona, ad quam tamen nihil intelligere, aut velle cooperatur.

§180 sed communicabit nè se extrà se cuiquam infinitè? non sanè (vt mihi videtur) cum extrà ipsum omnia sint finita illa igitur summa bonitas intra se se ipsam infinitè diffundit, & propagat, & quia cui se infinitè communicat finitum esse non potest, ipsum infinitum esse necesse est, quod & ideo patris filium vocabimus.

§181 lapsi sunt itaquè penitus illi Philosophi, qui nè scilicet hanc summam bonitatem vlla ex parte vacuam, & otiosam confiteri cogerentur, vel plures mundos infinitos asseruere, vel mundum hunc licet vnum infinitum tamen defendere conati sunt, quorum omnium absurditatem in superioribus libris demonstrauimus.

PLATONICI ORACVLI CORRECTIO.

§182 hoc idem confirmat Platonici illius coelestis Oraculi sonus ὁ θεὸς ἐπιστάμενος ἅμα καὶ δυνατὸς αὐταρκῆ καὶ τελειότατον θεὸν ἐγέννα Deus sapientissimus, & potentissimus Deum sufficientissimum, & perfectissimum genuit. in qua sanè re ego ita censeo, quae rectè ille senserit, suauiterquè expresserit, parum pro rei dignitate intellexisse. à Prophetis enim Plato cum sublegeret ea, quae à vulgi more essent maximè abducta, literas quidem expingebat, sensum exteriorem hauriebat, interiorem, in quem se nunquam abdidisset, nobis relinquebat.

§183 quis enim mentis compos mundum dicat per se sufficientem? quis perfectissimum? quae illum mouit caussa, vt superlatiuo vteretur, cum tamen nihil videas, quod aut corruptibile per se non sit, aut non habeat in se principia corruptionis?

§184 quin eodem in libro Deos ipsos affirmat suaptè natura corruptibiles esse: conditoris tamen benignitate sempiternos.

§185 vel ipsi coelo cuiusmodi tribuamus perfectionem, quippè qui semper mouetur, vt perficiatur: perficitur autem Dei multiplici imitatione.

§186 ergò verè Deus infinitus mundus non verè non simplici-

ter, non à se: sed quadam quasi vtitur Plato adulatione. non est ergò perfectus tantùm abest, vt sit perfectissimus, non est item per se sufficiens. pendet enim ille ab omnium rerum principio primo, propter quem à quo, in quo vnum sunt omnia, & cuius vnius egent, vt sint vnum.

5187 praeterea quare dixit genuit: non autem creauit? nam creauit Deus mundum, non genuit. quod enim gignitur eiusdem, vel speciei, vel generis, vel essentiae est.

TERTIA PERSONA.

5188 in quocunquè verò est vnitas, & aequalitas vtriusquè cônexionem esse oportet. nec enim ex maxima vnitate, & maxima aequalitate subsistit maximè vnũ, sine maxima connexione.

5189 quare sicut summa vnitas omnium est principium aequè & summa aequalitas omnium principium, & ipsa summa connexio omnium, & vnitas, & aequalitas, & connexio non sunt nisi vnum summum ens, summè vnum, summè bonum, verum plenum, & potens. nec enim infinito extra infinitum locus est.

5190 in intelligentia verò post primum, est quoddam vnitatis vestigium, & quod illic est aequalitas, hic iam est quaedam alteritas, & quod rursum illic maxima, & simplicissima vnitatis, & aequalitatis, absquè quacunque compositione cônexio (vbi enim maxima vnitas nulla prorsus compositio esse potest) hic iam vnitatis, & alteritatis quaedam compositioni aduenicns connexio.

5191 sed quemadmodum in intelligentia, vnitatis, & alteritatis compositio est ab vnitate, & alteritate. sic & summa connexio ab vnitate, & aequalitate simul enascitur, & procedit.

5192 quòd si in hisce rebus potentiam passiuam requiras eam concedimus, quae infinito agenti, qua infinitum est substrata esse potest. non repugnantia nempè terminorum.

5193 sed si haec vera sunt aequalitas, & connexio per modum naturae oriri, & procedere videntur, cum tamen apud Theologos Filius, qui aequalitas debuisset à Philosophis vocari per modum intellectus gignatur: Spiritus verò Sanctus, qui connexio à nobis appellatus est, per modũ

voluntatis

voluntatis procedat, dicimus nos, quòd si habitudinem tantùm virtutis productiuae ad actum producendi perpendamus, nullam personam in diuinis per modum voluntatis: sed quamlibet per modum naturae produci. oritur enim Filius, proceditq; Spiritus ex virtute agente necessitate immutabilitatis, determinataq; ad vnum.

§ 194 si verò supposita producentia consideremus, sic Spiritus producitur per modum voluntatis: Filius autem per modum naturae. natura enim vnum ab vno tantum fit, & nō à pluribus eiusdem gradus, & ordinis, quorum quodlibet esset per se sufficiens ad totum perfectè faciendum. secus autem in his quae voluntate fiunt: plures enim tum concurrere possunt moderando per voluntatem virtutē suam. cum ergò Spiritus Sanctus a duobus procedat, ita quod aequè perfectè producit vnus sicut ambo, nec perfectius ambo simul, quàm alter: proindè dicitur Spiritus Sanctus per modum voluntatis produci.

§ 195 si autem attendatur ordo productionum, & productorū, Filius dicitur procedere per modum voluntatis: sic enim & in imagine creata prima emanatio est secundum intellectum: secunda verò in qua terminatur emanatio manens pertinet ad voluntatem. primò enim est cognitio boni, deindè oritur ex hac illius amor, ibiquè intrà naturam rationalem sistit emanatio. Filius autem cum prima emanatione diuina producatur, Spiritus autem Sanctus sequente, & vltima. proindè dicitur Filius per modum intellectus: Spiritus Sanctus per modum voluntatis produci.

VNIVERSAE TERTIAE
PARTIS EPILOGVS.

§ 196 Impleuimus ex his horreum Religionis nostrum, in quo vt fruges solas cōgereremus, lectissimo vanno prius Idololatriae Scarabeos explosimus: vidimus enim nec bidētalibus, nec extis introspectis, nec praepetibus gubernatis, nec oscinibus eruditis, nec vanis vatibus inspiratis, nec fulminibus iaculatis, nec nubibus micantibus, nec deniquè cunctis Ethnicorum ariolorum praesagijs posse quicquam aliud elici, quàm ea malorum Daemonum

obsequio

obsequio, & opera perfici. quod non minus etiam enf tuit in maleficis philtris, & in Theurgicorum vitta molli, verbena pingui, thuribus masculis, licijs discoloribus, lauro fragili, limo durabili, ceraquè liquabili. euitauimus quoquè ex areis nostris ea assumere, quae in Hebraeorum recentiorum sordidissimum penum solent collocari. id quò facilius ageremus duce CHRISTO ab eis desciuimus, vocauimusquè Gentes, nè tamen in hac vocatione se se Maumethani vellent immiscere, ea curauimus diligentia, vt eorum ducem Maumethem multis contradictionibus obnoxium, incredibilibus blasphemijs pollutum inter caeteros detegeremus. tandem exactissimo rationum cribro lectissimas Christianae legis fruges secreuimus, quorum saluberrimis alimentis ennutriti eas adepti sumus vires, vt & Philosophiam castigare, & quod ipsa de primo principio indiscussum reliquerat inuestigare, audacter aggressi simus. fuit autē principium eiusmodi, vt tametsi eius aliquid sumus, ex eo tamen nihil sit sumptum. mira sanè res. namquè de nihilo cuncta qui creauit propter infinitam potentiam, à se ipso attribuit, quod foret nostrum propter infinitam bonitatem, nihil sibi auferens ob infinitam sapientiam. nequè enim potuit sibi deesse, qui & nobis adesse voluit, & non quiuit non superesse.

GRATIARVM ACTIO
AD DEVM.

1197 Tu igitur ineffabilis superessentia, in qua nequè pars, nequè motus, nequè medium, nequè extremum, nequè ingressus, nequè exitus vllus est, nequè quicquam aliud nisi hoc vnum, ipse, cuius nomen praeter antiquorum piam diligentiam effingentes αὐταυτός dicimus, sicuti iam vt humanae inscitiae munitissimas latebras vestigatas expugnares, illud peregisti opus, quo nullum maius effici nequit, nimirum quod ex summo creatore simul, & creatura compositum est, vt ratione quidem creaturae dicatur opus: ratione verò creatoris immensum opus. ità & nunc eodem amore, eademquè virtute non inferior es ipso: sed in opere summè inaequali, tamen aequalis ipsa

ipse tibi, da pijssime domine nos menti, quae tui similis, tuiquè assecla est, continue benignitatem, ac munificentiam tuam concipiendam transmittere, vt cum nos experiare non ingratos consilijs illis tuis, inuictis, inconcussis, infinitis pergas dona tua in nobis augere, quosquè per haec tua veniamus ad te omnium bonorum, ac totius beatitatis fontem aeternum, atquè perennem.

PRIMI LIBRI ERRATA
sic corrigito.

Interpunctionum defectus.
fol. 9. con. 111. l. 2. existit? fol. 121. con. 1756. l. 6. dicemus? con. 1761 l. 7. suscipiemus?

Interpunctionum excessus.
fol. 108. con. 1579. l. 3. est itaquè

Interpunctionum transpositiones.
fol. 108. con. 1650. l. 6. arripit: Aristoteles

Literarum defectus.
fol. 5. con. 77. l. 4. particeps ib. l. 5. eam f. 7. c. 90. l. 4. lacunibus! f. 49. c. 698. l. 6. tertijs f. 59. c. 810. l. 2. ijdem f. 62. c. 865. l. 3. Romanam, & Lacedaemoniam fol. 64. c. 922. l. 3. Tirranicam ib. l. 4. auaram f. 90. c. 1279 l. 1. eriguntur f. 134. c. 1989. l. 1. Seruus verò bello captus.

Literarum excessus.
fol. 34. con. 475. l. 1. Orpheus f. 35. con. 491. l. 3. feliciter f. 60. c. 833. l. 4. litus, fol. 66. 937. l. 3 principi ib. c. 941. pretium f. 83. c. 1202. praecipuè f. 91. c. 1313. l. 6. nautam f. 101 c. 1466. l. 1. praeiij f. 116. c. 1629. l. 1. Oeconomicis ib. c. 1580. l. 5. Thieste f. 118. c. 1723. l. 3. ea f. 128. con. 1573. l. 2. quae sint f. 134. c. 1989. l. 1. feruntur f. 135. c. 1998. l. 2. proinde c. 2000. l. 6. audacter.

Literarum transmutatio.
fol. 25. con. 337. l. 5. arbitrantur f. 26. con. 350. l. 2. Pythagoraeis f. 34. c. 471. l. 3. voluntati, rectae rationi, & honestati f. 35. c. 492. l. 7. Euelpides f. 43. c. 610. l. 7. Dea f. 47. c. 668. l. 4. has f. 49. c. 698. l. 4. respódemus f. 52. c. 721. l. 6. ponderibus f. 55. c. 768. l. 5. publicè f. 57. c. 788. l. 7. inconcussis f. 58. c. 796. l. 1. dubitabit f. 61. c. 858. l. 2. competunt f. 63. c. 891. l. 1. cum f. 64. c. 922. l. 5. popularem f. 73. c. 1035. l. 8. Martis f. 78. c. 1094. l. 1. quae f. 80 c. 1140. l. 2. quae f. 97. c. 1409. l. 3. arbitrantur f. 104. c. 1520. l. 1. adnectendum c. 1522. l. 3. vehementissimum f. 105. c. 1537. l. 4. inclita f. 107. c. 1568. l. 10. indigentiam c. 1569. l. 8. pagi.

Syllabarum defectus.
fol. 11. con. 137. l. 4. irrationali c. 166. l. 1. proportionem f. 95. c. 1370. l. 1. deinde f. 103. c. 1516. l. 2. & 3. quibusnam in regionibus f. 105. c. 1531. l. 5. deprimerentur.

Syllabarum excessus.
fol. 28. con. 219. l. 5. alterutro.

Verborum defectus.
fol. 47. con. 672 l. 3. in qua iuxta leges f. 53. c. 736. l. 4. fuit Spartanae f. 78. c. 894. l. 9. quae secundum animi cósensum est intelligenda, non autem secundum personarum qualitatem, aut quantitatem f. 79. c. 1127. l. 4. quis non f. 97. c. 1419. l. 2. quaeritur interdum.

Verborum excessus.
fol. 91. con. 1313. l. 5. verò perindè.

Verborum transmutatio.
fol. 97. con. 1418. l. 1. noctis f. 109. c. 1550 nos rithmum f. 120. c. 1750. l. 6. illatam eis f. 131. c. 1978. l. 1. est seruitus.

SECVNDI LIBRI ERRATA
sic corrigito.

Interpunctionum defectus.
fol. 154. con. 2195. l. 3. animal? f. 196. c. 2700. l. 2. totum, illud l. 6. principium? c. 2702. l. 5. collocandas, ponantur l. 8. aptetur, tonus f. 198. c. 2730. l. 6. diatessaron? f. 199. c. 2746. l. 6. complecti, secundum l. 8. dicuntur. secundum l. 9. excitat. secundum l. 11. ordinat. secundum f. 204. c. 2875 l. 3. simplex. quod l. 4. comprehensus. cum l. 5. anguli. itidem f. 213. c. 2979. l. 4. graduum. metienda f. 215. c. 2993. l. 7. cócurrens. an f. 217. c. 3025. l. 8. qualitatis. cum f. 218. c. 3037. l. 4. refracte. ostensum f. 220. c. 3072. l. 1. argentum, aes l. 2. encaustum, dicere f. 222. c. 3090. l. 11. voluit. alligatá c. 3099 l. 4. erit? f. 224 c. 3113. l. 1 continetur. ab c. 3116. l. 5. directus. atquè fol. 226. c. 3155. l. 3. superioribus. veri f. 227. c. 3161. l. 5. raro, modò l. 6. plerumque. interdum l. 10. Sagittarium, secundum l. 12. cernitur. tertiam f. 229. c. 3203. l. 3. sunt. ex l. 4. Macrobius. ex l. 6. Plinio, ex f. 232.

c.3222.l.6. est.deinceps f.238.c.3260.l.2 & comitetur: ac f.237.c.3215.l.9.auxiliatum hinc f.254.c 3477.l.5. opinantur) f.263. c. 3562.l.5. mobile? f.316.c.4141.l.4. accipiat, quod f.340.c.4393.l.3. anima?

Interpunctionum excessus.

fol. 190. con.2727.l.1. distinxerimus haec f.217.c 3025.l.8 intensius & remissius f. 218.c.3037.l.4. etiam & f.220.c.3065.l.3 sunt qui f.223. c. 3108. l.4. excentrico secundum f.362.c.4610. l.12. diuina trāsiens

Literarum defectus.

fol. 170. con. 2379. l. 8. immò f.179. con. 2485.l.5. Neobulem f.194.c.2681.l.3. alterae f.200.c.2749.l.1. Ammonius f. 203. c.2804.l.2. haederae f.220.c.3071.l.1. To reuticae f.237.c.3275.l.1. immò f.275. c. 3676.l.5. ex his f.285.c.3780.l.6. terrae f. 308.c.4036.l.1. calorem.

Literarum excessus.

fol. 139. con. 2029. l. 12. prophetis f.146. c.2116.l 7. ociosus f.170 c.2369 l.5. quaetunt f.215.c.2991.l.9. quacunque f.218. c. 3041.l.5. considerandā f.219. c.3058.l.2. forma f.221.c 3091.l.1. operae pretium f. 239. in titulo conclusionis 3304. l.4. constituunt f.242.c.3328.l.1. clarè f.253. con. 3454 l.8. deferetur fol.268. con.3629.l.4. queat f.293.c.3881.l.9, influxu f.318. con. 4154. l.2. brachij.

Literarum transpositiones.

fol.139. con.2030. l.5. praesidem f.154.c. 2191.l.8 .paries f.268.c.3621. l.1. Ideae.

Literarum transmutationes.

fol.146. in titulo conclusio. 2118. & verae f.179.c.2484.l.3. peruocandum f.193 con. 2669 l.4. productioni f.196. c.2702. l. 14. proportionem f.200.c.2753.l.3. octuplam f.220.c.3174.l.2. Pythagoraeorum f. 212. c.2961.l.3. inuentum f.127. c.3161. l.10. secundam f.128.c.3177.l.5. tumorem fol. 231.c.3205.l.2. Saturnus ib. anno c.3211. l.1. Peleponesso f 295.c 3894. l.1. aestum c.3895.l.4. molis f.299.c.3943. l.4. fint f. 318.c.4156.l.1. notis f.321 c.4185.l.3. distinguatur f.330.c.4280.l.2. qui.

Syllabarum defectus.

fol. 195. con. 2684. Rebus pub. f. 245. c. 3359. l.3. animatum.

Verborum defectus.

fol. 156. con. 2266. l.3. transumpto debito f. 270. c. 2366. l. 3. communicabili, & incommunicabili f.274 c. 3773. l. 8. interimque f.293. c. 3873. l. 7. refrigeratur, vnde intra terram quomodo f.299. c.3943 l.4. illos, cum f.301.c.3958.l.1. vtriusque arcus.

Verborum excessus.

fol. 151. con. 2172. l. 5. significat duabus f.128.c.3176.l.1. proindè mare f. 129. con 3189. l.3. nam aetem f. 308. c. 4030. l. 5. metallorum posuerunt.

Verborum transmutationes.

fol. 199. con. 2746. l. 16. examinat f.218. c.3141. l.6. ob quam f. 222. c. 3096. l. 3. non est f.280. c.3731. l.1. qualitas est fol. 282. c.3751. l. penultima, & vltima, id est pro actu secundo non esse sumēdas: sed tm pro actu primo f.310.c.4058.l.10. semen.

ERRATA TERTII LIBRI
sic corrigito.

Interpunctionum defectus.

fol.370.con.4664.l.13. valeant? f.389.c6 4885.l.14.euadunt,iam c.4890.l.6. deprehendentis?

Interpunctionum excessus.

fol.413.con.5087.l.7. Graecique alij

Literarum defectus.

fol.369.con.4660.l.2. Chrysippo f.383. c 4825.l.1. maximae f.415.c.5028.l.12. Arrius f.429.c.5149. l.2. ponantur.

Literarum transmutationes.

fol.373.con.4710.l.2. caussando fol.375.c 4738.l.3. praeindicasse f.377. c. 4754. l.2 genera f.382.c.4810.l.26. succedant f.383 c.4825.l.1. portiones f.384.c.4830.l.3. declaranda f.387.c.4867.l.1. rationi f.402. c 5041.l.21. multas f.409 c.5050.l.4. quoq;

Syllabarum defectus.

fol.382. con.4810. l.14. Impuberes.

Syllabarum excessus.

f.382.c.4810.l.15. Claudunt.

Verborum defectus.

fol.371. con.4678. l.4. trigenariumo ctaui

Verborum excessus.

fol.381. c.4805. l.5. fit cum f.411.c.5065 l.1. opportat Holophernis.

REGISTRVM.

* ** a † A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ

AAA BBB CCC DDD EEE FFF GGG HHH III

Omnes ſunt quaterni, praeter a qui eſt ternus, & * ** † ZZ HHH qui ſunt duerni, & III qui eſt ſimplus .

ÆTERNITATI